

116

8



~~V 28~~

9. III. 17.

~~A II 19.~~

~~ATX 19.~~





8873

259



MATHIAS PETRUS KATANCSICH

O. M. S. P. F. O. P. C.

AA. LL. PHILOS. DOCTOR
IN REG. SCIENT. VNIVERS. HVNG.
ARCHEOL. ET NYMISM. PROF. EMERIT.

— * —
ÆTATIS SVÆ LXXV.

91
K

VII. 979. 811
1/116.

I S T R O

EIVSQUE ADCOLIS

COMMENTATIO

IN QVA

AVTOCHTHONES

ILLYRII

EX GENERE

THRACIO

ADVENAE ITEM APVD ILLYRIOS

A PRIMIS RERVMPUBLICARVM TEMPORIBVS

AD NOSTRAM VSQVE AETATEM

PRAESERTIM QVOD

ORIGINEM LINGVAM ET LITERATVRAM

EORVMDDEM SPECTAT

DEDVCVNTVR

AVCTORE MATH. PETRO KATANCSICH

PANNONIO

AA. LL. E. PH. D. I. R. V. H. A. E. N. P. O. E. B. C.

ACADEMIA LAZAR - SERTU
Profesorilor
2267/116.

BIBLIOTECA
ASTRA

UNIVERSITÄT K. K. MATH. NAT. HIST. BOHEM. LEHRER BIBLIOTHEK

Biblioteca Judeana ASTRA



259TV

B V D A E

TYPIS REGIAE VNIVERSITATIS PESTINENSIS

MDCXCXVIII.

Nagyszombat
Tudási Könyvtár
259

Állomány. Tudai könyvtár
N. Szombathely

116

Illyricis regnator aquis, tibi Nile secundus,
Danubius laetum profero fonte caput.
Saluere Augustos iubeo, natumque patremque,
Armiferis alui quos ego Pannoniis.
Irriguum penitis caput occultatus in oris,
Totus sub vestra iam ditione suo.
Qua gelidum fontem mediis effundo Sueuis,
Imperii grauidas qua seco Pannonias.
Nuncius Euxino nunc iam volo currere Ponto,
Vt sciat hoc superum cura secunda Valens.

Auson. Epigram. 3. et 4.

LIBR. „GH. LAZAR” - SERIO
Biblioteca Profesorilor.
No. _____

P R I N C I P I
R E G I O
I O S E P H O A N T O N I O
H V N G A R I A E
P A L A T I N O
F R A N C I S C I I A V G V S T I
F R A T R I
D I V I L E O P O L D I I
F I L I O
D I V I I O S E P H I I
N E P O T I
B O N O R E I P V B L I C A E
N A T O

Hegyeszebeni
tanári könyvtára
R. Kir. Állami Könyvtár

I S T R V M
H V N C
E I V S Q V E A D C O L A S
D I V E R S A Q V I D E M O R I G I N E
S A T O S
S E D
P R I N C I P E S G E R M A N O S
P A R I C V L T V
F I D O Q V E O B S E Q V I O
V E N E R A N T E S
D E V O T V S A V C T O R
A E T E R N A E M E M O R I A E
I V G I S Q V E P I E T A T I S
T E S S E R A M
D. D.

LECTORI BENEVOLO S.

COMMENTATIO, quam nunc in lucem damus, ante hos XIII annos conscripta erat, eo dumtaxat fine, ut Istri adcolarum Geographiam tractaturis viam monstraret. Placuit tamen, Ethnologiae gratia, non veterem modo aetatem, quam in Geographicis spectamus, verum et recentiore lustrare, quo ab aduenis, qui tempore diuerso isthuc accesserunt, populi, quos indigenas vocamus, discerni valeant. Hoc in genere tria potissimum consideranda nobis putabamus, gentis cuiusque originem, loquendi rationem, et literaturam. Haec enim praecipua esse Philologiae capita, quibus gentium diuersitas ostendi, et autochthones ab reliquis secerni queant, hac in re periti nouere. Itaque, breui delineatione Istri praemissa, eos primum adcolas fluminis Europae principis examinamus, quos autochthonas arbitramur, quales sunt Thracae cum progenie sua, Dacis quippe, Mysis, Illyriis, Pannoniis, Noricis, Vindelicis, Carnis, Istris, Venetis, quos aetas posterior Slauos nuncupauit. Aduenis accensemus, Scythas, Graecos, Celtas, Romanos, Sarmatas, Gothos, Hunnos, cum progenie quosque sua, Turcis, Germanis, Valachis, Slouacis, Hungaris; quibus Iudeos, Albanos, Armenos, Zingaros iungimus: ut regnum Ethnologiae adcolarum Istri vno conspectu videri possit.

Atque hoc in tractatu quidem eo in primis operam contulimus nostram, ut florentis imperii Romani tempus cum gentium barbararum motu, quo pleraque populorum et prouinciarum vocabula metamorphosin accepere, conneremus; quod hac ratione ex difficultatibus mille, quibus plerosque ethnologorum implicari videas, nos elucari utcumque posse crederemus. Cum enim haec aetas gentem Slaudum, cuius ante nulla in monumentis erat mentio, in medium protulerit, vniuerso repente diffusam Illyrico, nisi priorem harum prouinciarum conditionem prae oculis continuo habeamus, Thracas, Pannonios, Dacos, Illyriosque ignorabimus: in primis, quod e recentioribus non pauci essent, qui Auentini, Lazii, Velseri, Valuasorii, Schoenlebeni vestigia secuti, omne Illyricum nomen in Celtas trahere sint conati. Schlozerus quum aduenas isthic cum indigenis committi videret, ne quid in re impeditissima temere adseruisse putaretur, quinam Illyrii, Pannoniue fuerint,

P R A E F A T I O.

rint, ignorare se, fateri maluit. Thunmann, e vocabulorum apud Valachos et Albanenses cognatione, hos ex Illyriis, e Thracibus illos emerfisse opinatur, nulla cum Slaus affinitate agnita. Sed, cum Valachi sermone Itatorum, ab Albano et Illyrio prorsus diuerso, vtantur, quo se hac difficultate expediat, censet, Thracus veteres Illyriosque, ab Romanis subactos, Italiam loquenti rationem adsumere coactos fuisse. Quod cum arbitrarie dictum sit, neque ratio adpareat, qui Albanenses, modicus cetera populus, non item Thracēs, ἔθνος μέγιστον πάντων ἀνθρώπων, Herodoto teste, cum vtrique Romanis paruerint, antiquum conseruasse idioma valeant; nobis quidem ingenua Schloezeri confessio, hac subtili opinione, magis arridet. Mannertus, vt alios mittamus, scriptor Geographiae veteris recentissimus, Illyrios Thracum genus esse, ab Celtico diuersum, adserit, veteri Threicio sermone non indicato, nisi ambigue, cum scribit: „Lingua Illyriorum originaria reperitur fortasse apud hodiernos Epirotas; in Illyrico proprio diuersae Slauicae dialecti omne illius vestigium sustulere.“ Vt adeo, nisi patrios consulamus scriptores, eosque cum antiquis contendamus, per hos quidem exteros, quinam veteres Illyrii fuerint, ignorare cogamur.

Pares tenebrae se se offundunt in Slauicis originibus detegendis, quas ab Volga et Maeotide, id est, ab vmbriis Cimmericis, plerosque arcessere videas; quae naeniae cum a scriptoribus patriae dudum sint explosae, mirum, hos Slauicarum rerum patronos, domesticis non consultis, vltro eas nobis occinere: adeo vnis coniecturis, et vocabulorum catalogis nixi, et Slaus, et Bulgaros, et Valachos, si diis placet, ab Caucaso, cum Scythiis, id est, gente ignota, in Illyricum deriuant. Quorum conatibus eo perducimur demum, vt veteres Danubii adcolas, quos e priscis vna et patriae scriptoribus nosse coeperamus, nescire prorsus cogamur. Ducicas origines non pauci ostendere adnisi sunt, quos Christianus Engel in expeditione Traiani fideli calamo recenset; sed cum Getae Gothique, exemplo Iordanis, Procopii, aliorum, a plerisque recentiorum committantur, aduenarum cum indigenis confusio manet. Quamquam Gothi, nostra opinione, ad Tanaim et Tyram fluuios tam sint vetusti, quam ad Istrum Daci Getaeque. Id me apud Herodotum deprehendisse opinor, qui Cimmericos ab Scythiis propulso, partem in exortum Asiamque, partem in occasum concessisse scribit. Ex his, ad Mithridatis tempora nati Bustarnae, valida gens, sub motus Hunnorum in Gothos mutati; vt in Geographicis perspicue monstramus. Atque haec nobis praecipua esse videtur eausa, cur Getae cum Gothiis, suis ab vetustissima aetate contubernalibus, suadente etiam vocabulorum cognatione, ab seculo inde quarto committerentur. Per
peram

P R A E F A T I O.

peram sane, cum Basternas Strabo Tacitusque originis Germanae, clare perhibeant, Getis Dacisque stirpi Threiciae ab Geographo adfertis.

Haec nos, duce Bayero, cui in Philologicis parem non vidimus, ante hos vicenosprehendimus annos, fontibusque eo monstrante excussis, nouum Thraciae gentis Systema condere adnisi sumus. Quam id feliciter cefferit, eruditi hoc in genere lectores, perpensis, quae producimus, argumentis, censebunt. Speramus porro fore, vt partium studio, quod animos veteri Philologia ornatos occupare non solet, remoto, in RACIS, vt vocamus, Serbisque, et Bulgaris, Thracas, Dacosque, & Mysos; in SOCCIIS, Croatis, Carniolis, Pannonios: in Dalmatis, Illyriis, Carnis, et Venetis, priscos eiusdem vocabuli populos, aduenis mixtos, comperiant, ad Threiciam seu Illyricam stirpem pertinentes: veteremque illam paroemiam, sermonem Slauum his in prouinciis ante quintum sextumue seculum non esse auditum, et qui nunc in Lyturgicis apud Orientalis ecclesiae cultores obtinet, esse antiquissimae dialecti communis et literariae vniuersae gentis Slauorum, quo et Illyrii nomine contineantur, fabulis, e tenebris migrantium tempore medio populorum ortis, accensere velint: gentem Illyricam non ab Caucaaso, et ymbriis Cimmeriis, amplius deriuaturi, sed suae comperturi domi. Profecto mirari subit, in tanta Illyricorum, Croaticorum, Carnicorumue, hac in primis aetate, librorum copia, apud hos Slauicarum rerum seu Bohemicos, Russicosue, seu Gallicos, Theutonicosue scriptores, nihil prorsus Illyricae linguae comperiri; vnis e dialecto Sarmatica congestis vocabulorum catalogis adeo abreptos, vt nostram penitus ignorare omnes videantur. At mirari desinet lector, si hos et domi suae in rebus Slauicis, quod originem concernit, peregrinos videat, quum omne Sarmaticum nomen ad Istrum, ad Carpaten, in Bohemia, Morauiaque, ab quinto primum sextoue repetunt seculo; cum Dacis, Hercinium et Carpaten adcolentibus, Sarmatas fuisse vicinos a vetustissimis inde temporibus, ab Claudii imperatoris aetate mixtos, Strabo, Plinius, Tacitus, Ptolemaeus perspicue doceant. Verum haec isthic monuisse suffecerit, quod hanc prouinciam hoc in opere ex professo tractamus. Id modo lectorem heic monitum volebamus, nos ex his rerum Slauicarum scriptoribus in Philologia Istri adcolarum indigenarum perquam exiguum profecisse, domesticis, quos, vbi opus est, sequimur, demtis.

Quod aduenas concernit, eos mirum in modum cum indigenis, praesertim aetate remotiori, plerumque committi videas, vt, quid cui tribuendum esset, dispici nequeat. Nos gentes nationesque secernere, ac temporis ratione servata in classes redigere conati sumus, indicata veteri patria, origine, lingua. De Celtis egere

P R A E F A T I O.

egere multi, non pauci de Scythis, Valachis, Gothis, Hunnis; at, si Philologiae ratio habeatur, praeter Valachos quadam ex parte Gothosque, ceteros ignoramus. Adhuc, quod mirere, Zingarorum originem et linguam, post Grellmanni conatus, magis nouimus, quam Gothorum Daciae Valachorumque. Qui tamen cum plurimas voces Geticas in suum adoptarint sermonem, Philologo Illyricae linguae perito spatiosum scribendi campum aperirent. Idem de Hunnis censeto, quos, si Hungaricae stirpis fuisse dicamus, cum Dacis multum ac diu versatos, ex vtriusque idiomatis notitia facilius explorare ac deprehendere possemus. Arnautos, Turcas, Iudaeos, Armenos heic recensere non attinet; quod eorum in decursu operis, quantum argumenti ratio poscebat, meminimus. Et haec quidem quoad Philologiam Ethnologiamque, nobis commentatione hac in primis spectatas, dicta sunt.

In proferendis veterum testimoniis, quibus vnis antiquitas consistat, religiosi adeo eramus, vt ipsis eorum verbis ad sententiae nostrae confirmationem vteremur; seu quod nostra haec aetas id habet moris, seu quod in fontibus multa, quae adhuc obseruata non sint, latere saepenumero experti sumus. Opiniones huic fundamento superstructas modeste proponimus, relicto cuius eas amplectendi aut reiiciendi arbitrio; cum et nos ad aliorum opera legendum ita comparati accedamus, vt placitis eorum dare locum, aut negare, liberum nobis esse credamus. Itaque pro vna pugnamus veritate, neque tacitis, per quos profecimus, magistris, neque dissimulatis ob auctoritatem naeuis, (seruile enim id esse putamus) neque data lenociniis verborum opera. Scilicet naturam, quantum fieri potest, imitamur, quae calamistris ornatuque superfluo decorem amittit; specie natia et simplici exhibita pulcritudinem conseruat. Si tamen opus, quod aliis occupati negotiis contexuimus, rescribere licuisset, oratio quoque pluribus locis expeditior, notae vero cum episodiis forent pauciores. Quamquam haec Philologis quidem Ethnologisque, quibus hoc opere potissimum placere volebamus, remoram aut taedium fortasse non facessent. Vnicum superest, quod Lectores aduertere velimus, librum hunc a nobis Eszekini, dextra Draui ripa, conscriptum esse; proinde cum in eo quidpiam de partibus trans Danubium sitis legerint, laeuam huius fluminis ripam intelligant. Quos cum, vt commentationi huic Specimen Philologiae et Geographiae Pannoniorum anno MDCCXCV Zagrabiae editum, in quo plura isthuc pertinentia vberius adcuratiusque pertractantur, adnectere velint, hortamur, vna, vt operam nostram, bono Reipublicae Literariae destinatam, aequi non facere nolint, oramus. Datum Pestini Kalendis Iuniis MDCCXCVIII.



Q. D. B. V.

COMMENTATIONIS

DE

I S T R O

CAPVT I.

ISTRI memoria vetus.

I. **V**ETVSTISSIMUM sane ab hominum memoria *ISTRI* haberemus nomen, si ea, quae de Argonautis, eosque insequentibus Colchis apud posteriores leguntur auctores, aetati Iasonis adcommodari possent; sed, cum vniuersa, quanta ea est, fabulae moles ab ingenio Poetarum aeuo recentiori prognata sit, et ante Darii Hystaspis tempora nulla Istri apud veteres occurrat mentio, a) tantam flumini Europae principi dare vetustatem, cum id vellemus maxime, nequimus. Homerus in *Odyssæa* b) meminit Iasonis ab Aeeta redeuntis, meminit et Argo nauis, vbi Circeen adducit loquentem, Vlyssæmque, vt sibi de Sirenium cantu, deque Scylla et Charybdi praecaueret, monentem; quod Strabo ingeniose a Poeta commentum, imitatione Medaeae, ostendit. c) Ita vero canebat Homerus:

Τῆ δ' οὐπω τις νῆος φύγεν ἀνδρῶν, ἧτις ἴκηται,
"Ἄλλὰ δ' ὁμοῦ πίνακός τε νεῶν καὶ σώματα φωτῶν
Κύμαδ' ἀλὸς φορέουσι πυρός τ' ὄλοσθ' οὐέλλαι.
Οἷη δὲ κείνη γε παρέπλω ποιντοπόρος νῆος,
Ἄργω πασιμέλουσα, παρ' Αἰήταο πλέουσα,

Καί

a) Reperitur quidem ap. Hesiodum in Theogonia v. 238. seq. vid. Schlötzer. p. 180. sed tota ea Theogonia Hesiodo recentior est, Bayero quoque teste, p. 172.

b) M¹ v. 66. p. 376 edit. Chemnic. 1776.

c) Geogr. L. I p. 46. edit. Paris. 1620. Conf. omnino L. V. p. 224.

Καί νύ κε τὴν ἐνθ' ὧκα βάλει μεγάλας ποτὶ πέτρας,
 Ἄλλ' Ἥρη παρέπεμψεν, ἐπεὶ φίλος ἦεν Ἴήτων.

Hac vero nondum vlla naus effugit virorum, quaecumque accesserit,
 Sed pariter tabulataque nauium, et corpora virorum,
 Fluxus maris auferunt, ignisque perniciosi procellae.
 Sola fane illa praeternauigauit mare sulcans naus,
 Argo omnibus curae habita, ab Aeeta nauigans:
 Et fane illam ibi celeriter fluxus coniecissent magnas ad petras;
 Sed Iuno praeterire fecit, quoniam carus erat Iason. „

Vt Iasonem ad Italiam deduceret Poeta, poterant ei argumento esse quaedam circa haec loca celeberrimae illius nauigationis vestigia, quorum Strabonis quoque aetate memoria superabat, de quibus ita Callimachus: a)

Αἰγλήτην Ἀνάφην τε Λακωνίδι γείτονα Θύρη
 Λέγων - -
 - - Ὡς ἦρωες ἀπ' Αἰήταο Κυταίς
 Ἄυτις ἐς ἀρχαίαν ἔπλεον Ἀρμονίην.

Ac de Colchis locutus, inquit:

Οἱ μὲν ἐπ' Ἰλλυροῖο πόρου σχάσαντες ἔρετμα,
 Λῆα παρὰ Ξανθῆς Ἀρμονίης ὄφιός,
 Ἀζυρον ἐκτίσαντο· Τὸ μὲν Φυγάδων τίς ἐνίσποι
 Γραικός, ἀτὰρ κείων γλῶσσο' ὀνόμηνε Πόλας.

Quae Xylander ita reddidit:

*Aegleten Anaphenque tibi Spartana propinquam
 Thera abiit linquens - -
 Heroum quo pacto Aetam turba Cyteum
 Linquens, ad priscam nauiget Harmoniam.*
 - - - - -
*Secessum maris Illyrici simul ac tetigerunt,
 Finem remigio mox statuere suo,
 Harmoniae dirumque vbi serpentem induit olim,
 Ad laeuam sedes constituere sibi:
 Atque urbem fecere, suo quae nomine fertur
 Astyron, ac proprias composuere domos.
 Nomen ab exulibus Graeco sermone notatur,
 Ast illam dixit colchica lingua Polas.*

An

a) Ap. Strab. l. c. Conf. Casaub. not. p. 28. seq. Vbi hunc Callimachi locum eximie illustrat. vid. etiam Steph. Πόλα cum not.

An Homerus de Illyrici ora, sinuque maris Adriatici quidquam acceperit, e carminibus quidem eius non liquet; pronum tamen est, ut censeas, Poetam, ceteroquin diligentissimum in rebus huiusmodi, si fama de his ad eum venisset partibus, id neglecturum fuisse minime: in primis, quod facile erat ex Ionio mari, quod is ignorare nequiuit, profectorem sumere in Adriaticum.

Sed ignotae tunc erant hae in Graecia prouinciae, ob piratarum fortasse infestationes, a) quas aetate sequenti crebro heic exerceri solitas accepimus. Ut adeo omnis Adriae memoria Homero longe posterior esse videatur.

II. Poetae, qui post Homerum de Argonautis commentati sunt, cognita aliquantum Illyrici ora, qua Macedoniae praetexitur, eos ad Harmoniae saxa deducere; denique ad intimum, ubi hic innotuisset, sinum Adriatici. Nemo tamen ex omni Poetarum turba Argo nauim Istro committere, ante Apollonii, (quem vulgo Rhodium dicunt, cum esset natus Alexandriae) tempora ausus est. Hic in Argonauticis ita versatus est, ut Iasonem cum sociis a Phaside primum Ponto committeret; tum in Paphlagoniam; inde breui tempore in Istrum, atque hoc aduerso in Adriaticum denique pelagus deduceret. Non satis: ab Istro hoc Adriatici prouexit eos in Padum, ex hoc in Rhodanum, atque hinc in mare Ligusticum, et in quae nescio loca alia, propitiis an iratis numinibus, traduxit; Graecorum scilicet indolem secutus, qui, ut erant nouarum audissimi rerum, totos in foro confidebant dies, aut, qui litora adcolerent, in portu stabant otiosi, diligenter operientes, si quis peregrinorum venisset, a quo noui quid intelligere possent. Inde orta aemulatio apud omnis generis artifices, in primis vero Poetas, qui, ut primum recens quidpiam de exteris acceperit, id in scenam dare certatim conabantur. Ex quo factum est, ut tot tantaque de prouinciis remotioribus prodigia, non aliunde, nisi e Graecia ortum acceperint. b) Huiusmodi si quid unquam, certe Argonautarum expeditio fuit, quam cum Homerus, ut erat Poeta, in Mediterraneum promouisset, alii post eum, quo vel iuarent vatem, vel se non minus posse ostentarent, per omnia terrarum orbis maria traduxere. c) Ista quidem Poetis, quibus orbem pro arbitrio condere datum est, ignosci poterunt, non item historiae scriptoribus, quorum est veritatem, seposito omni adsentationis furo, pro virili dicere, ac fateri; et tamen, quod mirere, complures erant ex historicorum gremio, qui Apollonium secuti sint, uti erant eius Scholiastae, et qui hac de re ad Strabonem vsque scripserant, vniuersi. Sed et Apollonius quem sequeretur habebat, ut postea visuri sumus. Itaque, cum Istri memoria in carminibus occurrat longe posterius, quam in historiis, nobis hoc ea quidem loco suffragari nequeunt. Homerum tamen, utpote omnium vetustissimum, penitus dimittere non possumus:

A 2

ceci-

a) V. Strab. p. 317. C. p. 207, C. Liu. X. 2.

b) Vid. Bayer de Font. Erud. et Sapient. Graec. a. p. 512.

c) Ut fecit Apollonius Rhod. cuius geographiam admirabilem adpellat Casaubonus in not. ad Strab. L. I. p. 46.

cecinit enim *Thracas* et *Mysos*, a) Istri adcolas, fluvium quoque, in Europa nobilissimum, citra dubium commemoraturus, si de illo quidpiam accepisset. Vicinos item populos, vti Pannonios, Getas, Dacos, quamvis non suis nominibus, expressit tamen epythetis conuenientibus, eos *lacte vescentes, equimulgos, illustres, longaeuos, iustissimosque* nuncupans. b) Hoc sit nobis ex Homero aduersus eos praesidium, qui terram hanc ante excidium Troiae habitatore vacuum sibi imaginantur, cum Mylia, nobis ad orientem proxima, viro laeta fortisque celebretur. Mirabar saepenumero, doctissimos etiam viros in ea esse opinione, vt Antenorem cum Henetis, aut, si diis placet, Aeneam cum Teucris, aut Graecos cum Iafone, Colchosque Argo nauim insequenteis, eosque numero copiosos, his olim in agris confedisse, palam, nulla idonea ducti ratione, admitterent. Sed alius de hoc erit differendi locus. c) Nunc, quod in Poetis primam Istri memoriam reperire nequimus, in Historiographis an reperire sit, videamus.

III. Ponti ora occidua, qua Istri ostia sunt, ante Darii in Scythas expeditionem Graecis cognita non erat. Tum vero Scylax, quem Cariandensem ab Carianda vrbe Cariae dicimus, ab rege, Herodoto teste, d) missus Asiae litora exploratum; quem Europae item litora explorasse, ac de his Periplum Dario dedicasse, perhibet Dionysius Halicarnassensis. e) Professio haec Darii Hystaspis ad Istrum incidit in annum Olympiadis LXVI alterum, Periodi Iulianae 4199, ante Christum 515, vti nos eruditissimus Bayerus in Chronologia Scythica veteri docuit. f) Herodotus, qui post hoc tempus nono et sexagesimo anno historiarum libros edidit, Scylacis Periplo, quem nos integrum non accepimus, bene vsus, de ponte, quem Darius in Istro fecerat, sic loquitur: g) ὁ ναυτικός στρατός τὰς Κρανέας δι-εκπλώσας, ἔπλεε ἐν τῷ τῆ Ἰσθμοῦ ἀναπλώσας δὲ ἀπὸ τὸν ποταμὸν δυῶν ἡμερέων πλόου ἀπὸ θαλάσσης, τὸ ποταμὸν τὸν ἀνχίνα, ἐκ τῆ σχιζεται τὰ ζώματα τῆ Ἰσθμοῦ, ἐξέ-γυνε. *Naualis exercitus praeteruectus Cyaneas* (insulas ad Bosphorum Thracicum) *recta ad Istrum nauigauit, subuectusque duorum dierum itinere, a mari, fauces fluminis, vbi in ostia scindi incipit, ponte iunxit.* Huius pontis, ab Dario constructi, facit Strabo quoque mentionem, vt postea videbimus. Quae ad Istri memoriam vetustissimam spectant praeterea, sunt *Istriani* Herodoti, quos Me-
la

a) Iliad. N. v. 4. seqq. Conf. *Strab.* L. I. p. 6 seqq. eleganter hunc Poetae locum illustrans, Mysosque et Thracas Europae adferens. Conf. *Bayer Chron. Scyth. vet.* p. 170. ed. Halae 1770. A Pinedo in *Steph. Abiis* p. 6. ed. Amstel. 1678.

b) *V. Strab.* L. I. initio. L. VII. p. 298. Conf. *Dissert. nostram de ling. Pannonior. Strab.* L. XII. p. 553.

c) Omnis eorum peregrinatio in mari, procul a Pannoniis. *V. Strab.* L. I. p. 48. Vberius de his in *Geogr. Pannon. agemus.* Conf. *Dissert. memorat.*

d) *Ap. Bayer.* p. 77.

e) *Lib. I. de Alexandria, ap. eumd. l. c.*

f) *Pag. 152. Conf. eiusd. Chron. illustr. p. 172. et passim.*

g) *Lib. IV. Cap. LXXXIX. ap. Cellar. Geogr. Ant. Lib. II. C. VIII.*

la Pomponius Istricos adpellat, a) sedem iis tribuens ab Istro, vnde nuncupati, ad Tyram, quem Dnieper vocamus hodie. Scylax autem in Periplo *Istrum* coloniam Milesiorum, ab Istro dictam, memorat, dum inquit: *Ιερον πόλιν Μιλήσιοι Κτίζουσιν*. Quidam insuper fluvii, Istrum ab utraque parte influentes, ab Herodoto recensentur, quales sunt ab Scythia progressi, *Porata*, hodie Prut; *Tiarantus*, *Aluta*, praecipui. Inter hos alii tres *Ordissus*, quem Graeci posteriores *Ἀρδείσκον* dixere, hodie Argischa; *Naparis*, *Ialonorza*; b) Ararus, qui postea *Σέρεθος*, nobis Sereth. *Marin* quoque, a fontibus, quos circa Darius errabat, cognitum nominat, cuius adpellatio ad nostram vsque peruenit aetatem; cui enim *Marosch* ignotus est? Ripam vero australem petebant ex monte Haemo *Angrus* cum *Brongo*, cui is planitie Triballorum vagatus miscebatur. Si Brongum Herodoti, Strabonis *Bargum*, *Βάργον*, seu, vt ipse alias dicit, c) *Μάρτον*, *Martum* interpretari liceret, haberemus *Morauam* Seruiae, atque in hunc influentem *Rascham*. d) Tandem, *ex regione*, inquit, *quae supra Vmbricos est, Carpis*, et alius ad boream *Alpis*, in *Istrum* eduntur. Carpin Cl. Seuerini vult e) *Drauum*, *Alpin Tibiscum*; an recte, nescio. Vterque sane hic fluvius apud Herodoti posteros audit eo nomine, quo apud nos hodie; et historicus ibi de *Alpibus Carpatibus*, ni *Albim* dicere voluerit, quidpiam innuere voluisse videtur. f) Fontem quoque Istri memorat Herodotus: ait enim eum *ἄρξασθαι ἐκ Κελτῶν, καὶ Πυρρήνης πόλεως*, oriri ex *Celtis et Pyrene vrbe*; praeterea ferri per habitatas terras, *μέσσην σχίζοντα τὴν Εὐρώπην*, *mediam diuidentem Europam*. g) Haec vniuersa est apud Herodotum Istri memoria. Vnde censere proum est, notitiam eius ad Saum, Drauumque non peruenisse, Istri latere australi; h) aduerso autem nonnisi ad Alutam et fontes Marulii; de Carpate vero, ac de fontibus Istri aliqua e rumoribus accepisse. At Ponti notitia ei longe maior, inprimis ora boreali, quam posterioribus fuerit, quod egregie, vt solet, ostendit vir doctissimus Bayerus. i) Et haec quidem circa ostia Istri versati memoriam eius vetustissimam eruere conati sumus. Nunc, quoniam vocabulum eius in eodem Scylacis Periplo apud Adriam comparet, eo progrediamur.

IV.

- a) L. II. C. I. p. 36. edit. Lips. 1773. Horum sedem constitui non posse censebat Cl. Seuerini Comment. de vet. incol. Hung. Cisdan. C. I. §. 7.
 b) Sic interpretatur Cl. Bayer. L. de situ Scyth. p. 80. seq. Conf. Seuer. op. cit. p. 10.
 c) Libr. VII. pag. 318. Nisi et Bargum et Martum Hebro committas potius cum Plinio.
 d) Cl. Seuerini quo, nescio, argumento Angrum *Drinum* Bosniae, Brongum vero *Sauum*, esse volebat, Comment. cit. C. I. §. 6. *Bargum* Plinii L. IV. c. 18. Hebro misceatur.
 e) Comment. cit. pag. 15. *Cius* Herodoti si non *Κιαβρος* Ptol. certe *Isker* est.
 f) Sane. Vid. Schlözer. p. 108. §. 8. v.
 g) Lib. II. cap. XXXIII. Idem repetit Strabo L. II. p. 128.
 h) Misere me Mannerti, qui Herodotum haec loca spectasse oculis ait. Profectio non erat is horum fluminum nomina praeteriturus. Verum de his in Geographia vberius.
 i) Scyth. vet. sit. et chron. p. 197. Conf. de num. Rhod.

IV. Enumeratis ab occasu Tyrrhenis, Celtis, Henetis, hanc Periplus, ab Holstenio redditus, de Istris habet phrasim: a) „Post Henetos, ait, Istrorum gens est, atque fluuius Ister, exit autem hic fluuius in Pontum, fronte quasi ad Aegyptum conuersa; praeternauiatur Istriarum regio vnus diei, noctisque spatio.“ Haec sententia, si tamen Scylaxis, et non posterioris alicuius est, b) adeo inualuit, vt plurimos in errorem traheret, eruditissimos quoque, teneretque ad Romanorum vsque in Istriam dominationem; sed neque tunc penitus extirpari potuit. Occasionem errori nomen Istrorum dedisse videtur. Cum enim Graecis cognita essent Istri ostia, cogniti quoque *Istriani*, eius adcolae, heic vero sinu Adriae populum cognominem, et fortasse cognatum, deprehenderent, audituque a maioribus horum perciperent, coloniam hac aduerso flumine Istro deductam fuisse ab iis, qui ad ostia eius antiquissimis iam coluissent temporibus, aequali vocabulorum sono decepti credere, Istrum vsque huc propagari. Quia vero Scylax Istrum heic mari coniungi non adseruit, sed esse dumtaxat, et in Pontum fronte quasi ad Aegyptum conuersa exire, Sauumque adeo, cuius ripae sat longe distitae a mari hoc sunt, nobis ostendere sua phrasi voluerit; omnis de Istri in Adriaticum defluxu opinio Rhodii auctoritati innixa videtur. Neque enim ante Apollonium haec vllus somniauit. Callimachus, praeceptor eius, Argonantas non vltra Harmoniae saxa in Adriaticum inuexit, quamuis Colchos, vestigia illorum sequentes, ad Polam vsque, sed per Adriaticum, non per Istrum, deduxisset. Scilicet discipulus bonum praeceptorem longe superare volebat. Haec aetas illa fuit, qua in Aegypto Ptolemaeus Philadelphus supremum ius dicebat, eumque secutus Euergetes. Et ista quidem de Apollonio proferimus, quatenus haec Argo nauis in Istro profectioem, ac per hunc ad sinum Adriae adpulsum concernunt. Nam, quod Istri in Adriam influxum dumtaxat respicit, huius iam ante meminit Aristoteles, ac Theopompus. Huius Strabo fidei non multum defert cum alia propter, tum quod aiebat, τὸν Ἴστρον ἐν τῶν ζομάτων εἰς τὸν Ἀδρίαν ἐκβάλλειν, *Istrum vno ostiorum in Adriam effluere.* Cuiusmodi errores, ex rumoribus et opinione vulgi conceptos, λαοδογματικῶς, Eratosthenem quoque, ex Polybio tradit, habere. c) Profecto et hic de Istro Graecorum error non aliunde, quam ex falsis vulgi relationibus promanarit. Aristoteli quoque, principi philosophorum, ac Theopompi coaeuo, haec ex eodem fonte deriuata opinio insedit: nam libro de mirabili auditione, φασί, dicebat, τὸν Ἴστρον ῥέοντα ἐκ τῶν Ἐρκυνίων καλεμένων δρυμῶν ἐχίζεσθαι, καὶ τῆ μὲν εἰς τὸν Πόντον ῥεῖν, τῆ δὲ εἰς τὸν Ἀδρίαν. *Aiunt Istrum, apud siluas Hercynias dictas effluentem, scindi, et vna quidem parte in Pontum, altera vero influere in Adriam.* d) Repetiit opinionem hanc libro VIII de animalibus, piscem, quem τριχάϊον vocat,

a) Ap. Luci. de regn. Dalm. et Croat. p. 13. ed. Vindob. 1758.

b) V. Bayer. p. 78. de situ Scyth. vet. Profecto non pauca sunt recentioris manus in Periplus eo signa. Conf. Geogr. Thrac. Restitutio textus Vossii non omnibus placet.

c) L. VII. p. 317. Conf. *Pintian.* not. in Plin. L. III. C. XXII.

d) Conf. *Meteorol.* I. p. 146. col. 2.

vocat, describens. a) Ab Aristotele quotquot Istri meminere scriptores ad Strabonem vsque, in eodem sunt errore versati. His Timagetus, quem Apollonius videtur secutus, occasionem id sentiendi praebuerit, cum doceret, b) Danubium e Celticis montibus ortum, locum quemdam regionis eiusdem ingressum scindi in duas partes, quarum alteram in Pontum properare, alteram in mare Celticum (Adriaticum) deferri. Additque, Argonautas hoc posteriore Istri brachio in mare Tyrrhenum peruenisse. Primus Diodorus Siculus, errorem obseruasse videtur, c) eos, qui hanc de reditu Argonautarum sequerentur opinionem, coarguens, quod *duos eiusdem nominis fluuios* male confunderent; idque tunc demum exploratum inquit, cum Istri a Romanis forent subacti. d) De his triumphum egit C. Sempronius A. V. C. 626, vt e fragmento Fastorum triumphalium colligitur, quod sic habet: e)

C. SEMPRONIUS. C. F
C. N. TVDITANVS
COS. DE. IAPVDIBVS
KAL. OCT. A
DCXXVI

Annus hic Urbis, quo Romae consulatum gesserant Cn. Octavius, et T. Annius Rufus, est ante Christi epocham octauus supra centesimum ac vicesimum, quo Istria quidem in Romanorum potestatem concessit, sed error ille de Istro neuitquam eliminatus est. Neque Diodorus plenam huius rei notitiam habuisse videtur, vt qui *duos eiusdem nominis fluuios male a prioribus confundi* adseruerit; docere nos hac phrasi volens, dari quidem apud Istrios flumen, cui nomen Istri esset, sed hoc ab eo, quod efflueret in Pontum, esse distinguendum. Scilicet opinio haec, Istrum fluuium emitti per Istrios, adeo altas in scriptorum animis fixit radices, vt non ante, quam omnis haec plaga Sisciam vsque arma Latinorum experta esset, extirpari valuerit.

V. Primus Strabo, Geographorum, qui ad nos quidem peruenerunt, sicuti vetustissimus, ita et diligentissimus, hunc nos dedocuit errorem, f) eos, qui Istrum quemdam alium, ex magno illo ortum, in mare Adriaticum exire dicerent, ignoratione locorum deceptos inquit; *οἱ μὲν κατὰ ἄγνοιαν τῶν τόπων, οἱ δὲ καὶ ποταμὸν Ἰστρου ἐκ τῆ μεγάλου Ἰστρου τῆν ἀρχὴν ἔχοντα ἐκβάλλειν εἰς τὸν Ἀδριαν φασί.* Sed neque dari fluuium apud Istrios, etli distinctum a magno illo dicas, qui nomen

a) V. Casaub. not. in Strab. L. I. p. 57.

b) Ap. Casaub. l. c.

c) Hist. L. IV. ap. eumd. Casaub. l. c.

d) *Istricum* bellum coepit A. V. 571. Liv. XXXIX, 55. finit an. 576. Ib. XLI, 2, seqq. sed rebellantes, oppressi an. 577. Ib. XLI, 11. Petiti primum V. C. 558 cum Illyriis. Epit. Liu. XX.

e) Hard. not. in Plin. L. III. C. XXIII. Conf. Fast. triumph. Goltzii p. 146.

f) L. I. p. 46.

men Istri haberet, vbi Eratosthenis, id per inundationes aquarum olim factum perhibentis, opinionationes refellit, clare docet. a) Latinum modo textum, quoniam longior est, huc adponam. „ Communis autem, *inquit*, hic ei cum aetate prioribus nonnullis est error, qui putauerunt esse quemdam fluium Istro cognominem, qui in Adriam exeat ab illo diuisus, ab eoque denominari gentem Istrios, per quos defluit, eoque Iafonem e Colchis nauigasse.“ Quinam illi aetate priores Eratosthene fuerint, vidimus ante. Floruit hic sub Euergeta et Epiphane regibus, natus Olymp. CXXVI. an. I. Ex hoc Strabonis loco manifestum fit, non dari fluium, qui nomen Istri haberet, praeter μέγαν illum. Si quis enim apud Istrios Adriae huius nominis fluius exstitisset, eum sane de Istria saepe locutus commemorare non omisisset. Sed nec posteriorum Strabone, qui Geographiam tractassent, Istri heic meminit vllus. Plinius, vbi hac de re incidit sermo, Strabonem veluti secutus, opinionem quidem refellit egregie, sed, vti nonnumquam solet, fabulis quoque aures praebet. Nam vbi et Nepotem, Padi adcolam, hoc in errore fuisse memorasset, b) „ Nullus, *inquit*, ex Danubio amnis in mare Adriaticum effunditur. Deceptos credo, quoniam Argo naus flumine in mare Adriaticum descendit, non procul Tergeste, nec iam constat, quo flumine. Humeris traectam Alpes, diligentiores tradunt. Subiisse autem Istro, dein Sauo, dein Nauporto, cui nomen ex ea caussa est, inter Aemonam Alpesque exorienti.“ Quinam illi sint diligentiores, qui hoc tradant, nihil meminit. Ni Apollonium, eiusque scholiastas intellexerit, vix alium sane. c) Qualis autem sit hac in re Apollonii geographia, supra meminimus. Et quomodo naues (ni lintres fuisse velis) spatio quingentorum stadiorum, quod ab Nauporto ad Aquileam erat, d) transuehi, et humeris quidem, potuerint, haud concipio. Duplex erat a Sauo ad litus Adriatici via, vti Strabo nos edocuit. e) Vna ab Aquilea per Nauportum Aemonam; altera ab Tergeste ad lacum Lugeum, indeque, vt credo, ad Colapim. Priorem ad Nauportum ab Aquilea quingentis, aut quinquaginta minus, minimum quadringentis f) descripsit stadiis, qua merces vehiculis per Ocrum, Alpium humillimam, ad Nauportum vsque (quod alias Pamportum adpellat) deuehebantur. Stadia quingenta millibus passuum LXII, id est 13 milliaribus germanicis, aequiualent: si tam longe Argo naus traecta humeris esse potuit? Altera ad Lugeum lacum via et longior est, et magis impedita, maxime a lacu ad Colapim; intercurrunt enim altiora montium iuga, et Colapis longius a fonte nauigabilis esse incipit.

-
- a) L. I. p. 57. Praeesserunt haec verba: „ Atqui neque Ponticis e partibus Ister oritur, „ (vt docebat Eratosthenes) sed contra a montibus vltra Adriam fitis: neque in vtrumque, que exit mare, sed in solum Pontum: et finditur ad ostia demum sua.“
- b) H. N. L. III. C. XXII. fine.
- c) Erant Tarrheus, Sophocles, Theo. v. Step. p. 4. n. 22.
- d) Strab. L. IV. p. 207. stad. CCCC memorat; Lib. autem VII. p. 314. CCCL, aut D; posterior hic calculus cum itin. Anton. coincidit, si his II. M. P. addas. Octo stadia vnum M. P. efficere, notum est.
- e) Loc. paullo ante citatis.
- f) Ita videtur scribere voluisse: nam, quae proportio 350 ad 500?

incipit. Sed mittamus demum seu Argonautas, siue Colchos, Adriatici vndis, quas nec viderant fortasse, iactari, atque posteriore, quam Strabo nobis ostendit, via ab Istris ad Lugeum, et postea secundo Colapi ad Sisciam, inde vero Sauis defluxu ad Istrum, a quo cum Argo nautis ad finem Adriacae momento traiecimus, nunc mille ac ducentis ab Tergeste stadiis confectis, redeamus. a)

VI. Memorauimus, antequam secessum in Adriam fecissemus, Herodoti notitiam ad Sauum vsque non peruenisse, neque aliud de Istro, nisi per habitatas hominibus terras lapsum, et apud Pyrenam oppidum fontem commemorasse. Dicebat autem Herodotus, Istrum ex iis ἄρξασθαι Celtis, qui essent Cynesiis finitimi, extra cypos Herculis. Quo mihi quidem videtur montes Pyreneos auctor designare voluisse, quidquid de Cynesiis sit, quos Cellarius in Lusitania oceanum adcoluisse dicit. b) Dalecampe, de Istri fontibus agens, c) loco Herodoti relato, vbi fortasse legendum, inquit, προηγύνης χώρας, scilicet pro Πυρρήνης πόλεως. Hoc vt opinaretur, inductus est quadam vocabulorum similitudine. Nam, vbi fontem Istri non procul ab *Eschingen* pago (alii *Donau-Eschingen* adpellant) abesse memorasset, „mox ab origine, inquit, duos recipit riuos, alterum *die Priegen*, a quo vicinus tractus *Pregena*: alterum *die Bregen*.“ At vero longius haec loca sunt a Pyreneis montibus disiuncta, quam vt verbis Herodoti adcommo- dari queant. Quid si legas potius ἐκ Πυρρήνης ὄρεος, ex monte *Pyrene*, quodsi nullam urbem huius nominis (nuspian enim memoria eius isthic reperitur) existisse velis. Quamquam et haec quoque existere olim poterat, collapsa demum aetate recentiori. Atque vocabulo Πυρρήνης montis Pyrenaei viciniam Herodotum intelligere voluisse, Aristoteles, in eundem lapsus errorem, confirmat, dum ex montibus *Pyreneis Istrum oriri* scribit. d) Nescio autem, an *Pirenus mons*, quem Cellarius in Rhaetia signat, ex quo Atagis cum Athesi in Adriam defluebat, isthuc aliquid facere queat; procul enim sunt haec ab Istro, et alii *Brennum* pro *Pireno* habent, vt pote Brennis ac Genaunis vicinum: e) neque Cellarius ipse, vbi de Rhaetia tractasset, quidquam de *Pireno monte* memorauit. f) Hic error, vel, si dicere malis, ignorantia de fontibus Istri mansit ad Strabonis aetatem vsque. Nam, quod Pindarus dicebat, Istrum in Hyperboreis montibus oriri, multo est obscurius, quam

a) Totidem Strabo L. VII. p. 314, stadia hoc itinere esse dicit, quae M. P. Rom. 150 efficiunt. Parum sane; ni *Drautem* pro Danubio dicere voluerit, vt e contextu conicias. Nam paullo ante, et si erronee, *Sauum in Drauum* apud Segestam influere dixit. Certe interuallum hoc pertingit vsque Drauum.

b) G. A. L. II. C. I. p. 79. Verba Herodoti ex L. IV. C. 49. sunt: ἀρξάμενος (Ἴστρος) ἐκ Κελτῶν, οἵ ἐς χατοὶ πρὸς ἡλίας δυσμέων μετὰ Κύνητας οἰκέσι. Oritur (Ister) ex Celtis, qui vltimi ad solis occasum post Cynetas habitant.

c) Not. in Plin. L. IV. C. 24.

d) Ap. Seuerin. Comment. cit. p. 15. not. a.

e) Vid. Koeleri tabul. Rhaet.

f) *Pirinam* filuam Schönli. alpes Iulias, ad Iapidiam, memorat. vid. Farlat. Tom. I. Proleg. C. IV.

quam ea, quae dixerant priores: hoc enim vocabulo veniebant eo tempore septemtrionalia omnia. Primus itaque Strabo, Tiberii in Germanos professionem describens, Istri apud Sueuos exortum adeo clare designat, ut eius oratio mihi hoc loco magis, quam ea Plinii, perspicua videatur. Sed, quoniam fluuius noster Danubii nomine suos haec exhibuit fontes, de his capite sequenti commentabimur. Illud quoque, quas Ister gentes olim permearit, resoluemus alibi; uti et memorabilia fluminis, quantum ea priscis consignata sunt monumentis.

C A P V T II.

Varia ISTRĪ nomina, eorumque etymologia.

I. ISTRUM alio nomine *Danubium* audisse, vulgo notum est. Memorat Stephanus Byzantinus, aliquando etiam nuncupatum fuisse *Matoam*, item *Danufim* vel *Danufium*. Sed haec vocabula quidem, quaeque sunt, posteriori aetate obtigerint Istro; Ister vetustissimum est: hoc videamus primo. Istri memoriam capite praecedenti adduximus adusque Darii Hystaspis tempora, quibus clara apud Herodotum, eo scribentem aeuo, occurrit memoria. Quamvis porro vetustiore Herodoto scriptorem in medium proferre nequeamus, qui distincte Istri meminisset, tamen, si aliis id genus monumentis, aut etiam opinionibus (quis enim hoc in tam remotis temporibus vetet?) Istrum ad secula priora posse referri ostendemus; aequum nobis lectorem fore arbitramur. Age, quantum in hac rerum caligine possumus, conemur! Colonias ab Graecis primis iam rerum publicarum temporibus in varias orbis partes esse missas, cum alii meminerunt, tum in primis Strabo pluribus Geographiae suae locis. Et commodo haec quidem res barbaris (ut eos adpellabant) populis accidebant non minimo: nam Graecorum consuetudine moribusque imbuti ad humanam et ciuilem vitam sensim adducebantur, ut linguam quoque, mercatores maxime, non minus, quam suam, vsurparint. Milesii prae ceteris hoc sunt nobis loco memorandi. Hi (ut alias per Thraciam colonias ab iis deductas omittam) *Istrum* condidere in Ponto, sacrum fluminis ostium inter et Tomos, celebratam vati Sulmonensi urbem, cui nomen ab Istro flumine *Ιστρος* tribuere. Meminit huius auctor Periplus Ponti Euxini, scribens: *Ιστρον πόλιν Μιλήσιοι Κτίζουσιν, Istrum urbem condiderunt Milesii.* a) Quod Scymnus Chius ante dixerat, *Istron* ciuitatem a flumine Istro nuncupatam, addens. Ita vero ipse: b) *ἡ πόλις, inquit, Ιστρος ἀπὸ τῆ ποταμῆ ἔλαβε τὸνομα - - Καὶ ταύτην τὴν πόλιν Μιλήσιοι Κτίζουσιν. Ister ciuitas ab Istro flumine nomen accepit: - - et hanc urbem Milesii condiderunt.*

a) Not. Harduin. ad Plin. H. N. L. IV. C. 18. Conf. Voss. Periplus. p. 11.

b) Ap. Cellar. Orb. Ant. L. II. C. 8, p. 588.

runt. Quo autem exstiterit loco, Strabo nos ita docet: a) Εξιν ἀπὸ τῆ ἱεροῦ ζώματος τῆ Ἰστροῦ ἐν δεξιᾷ ἔχουσι τὴν συνεχῆ παραλίαν, Ἰστρος πολίχνην ἐν πεντακοσίοις σταδίοις, Μιλησίων κτίσμα. Est a sacro ostio Istri in ora continenti dextram versus ad D stadia, Ister oppidulum, a Milesiis conditum. Stadia quingenta faciunt M. P. LXII cum dimidio, vbi hodie Vister oppidulum. Πολίχνην adpellat Strabo, quod de illius aetate intelligas, velim: quondam enim potentissima ciuitas, Ammiano Marcellino teste, fuerat. b) Arrianus, qui sub Hadriano scripsit, Ἰστρίαν compellat, quem Graecorum non nulli, vt Stephanus, secuti sunt; c) qui tamen Istriam apud Ionium prouinciam esse perhibet, (Ionii vocabulo Adriaticum intelligens) Istros vero duas agnoscit vrbes; vnam in Ponto, quae nostra est: alteram in Creta, ab Artemidoro Istronem dictam; cuius quidem, si ea vquam exstiterit, recentior aetas, sit oportet. Latinis exemplo praeiuit Mela, d) vt Istropolim dicerent: sic enim Plinius, e) sic Tabula Peutingeri habet. Haec sint de vrbs nomine, atque conditoribus, satis. Nunc ad vetustatem illius. Hanc Eusebius in Chronico ita scriptam reliquit: Ἐν Πόντῳ πόλις Ἰστρος ἐκτίσθη, in Ponto ciuitas Istrus condita, et quidem anno Olymp. XXXI, 2; Tulli Hostilii, Rom. regis 18; ante Christi epocham 655; vrbs conditae 99. Haec ea fuit aetas, qua Milesii plures in variis partibus condidere colonias. Olbia certe, ante Borysthenem, hac est constructa aetate. f) Fortasse et Calatis in Ponto, quam Istropoli proximam Pomponius Mela perhibet. g) Byzantium quoque, sed ab indigenis, hoc tempore constructum est. h) Vt intelligas, non minimum hac tempestate florem in Thracia fuisse. i) Ab hoc Istri a Milesiis conditae anno, qui ante Darii in Scythas profectioem quadragesimus erat supra centesimum, nulla fluminis nostri apud vetustiores expressa occurrit mentio. Quis tamen idcirco Istri nomen exstitisse negabit? Si Istron oppidum Milesii ab Istro flumine dixerunt, oportet sane fluuium hac adpellatione iam ante in vsu fuisse. Mihi, si quid video, Istri origo ab eodem fonte, quo ipsi prodire Thraces, repetenda videtur. k) Quod vt probabile dictum lector censeat, sic nostram hac de re instruimus orationem.

B 2

II. Thra-

- a) Geogr. L. VII. p. 319.
 b) L. XXI, C. VIII. p. 254. edit. Lips. 1773.
 c) De Urbib. v. Ἰστρία, et Ἰστρος. conf. not. Thom. Pined.
 d) L. II. C. 2. p. 40. edit. Lips. 1773.
 e) H. N. L. IV. C. XVIII. p. 96, et C. XXIII. p. 156, edit. Lips. 1778.
 f) Olymp. XXXIV, 1. ap. Euseb. in Chron. Ἐν Πόντῳ Βορυσθενῆς ἐκτίσθη. Conf. Not. ibid. et Cellar. O. A. L. II. C. VI.
 g) L. II, C. II. Conf. Cellar. L. II. C. VIII. Strab. L. VII. p. 318.
 h) Olymp. XXX, 3. Euseb. Chron. Opp. S. Hieron. T. VIII, p. 438. edit. Veron. 1740.
 i) Appianus in Illyr. Graecas in Mysia vrbes dicit Istron, Dionysopolin, Odissum, et Mesebriam, has Mysias finitimas ait, Mysios porro Illyriis adnumerat.
 k) Non vtique a fabuloso illo rege Istro, cuius duos filios Elorum et Aethaeum Troianis auxilio fuisse memorat Philostratus ap. Bonfin. Rer. Vngar. Dec. I. L. I, p. 6. edit. Colon. Agripp. 1690. sicut nec Thracum ab Thrace Nympha, Eust. ad Perieg. v. 323. ap. Steph. v. Θράκη. n. 85.

II. Thraces a Thira, postremo Iapheti filio, esse prognatos, antiquorum sententia est, quos magno numero Alexander Natalis recitat, a) ex Hebraeis, Graecis, et Latinis. Sit pro ceteris Iosephus Flavius, vir inter Iudaeos Titi Vesp. temporibus imprimis clarus. Hic de antiquitatibus gentis suae differens, postquam memorasset: *ἐπι τῆς Ευρώπης ἕως Γαδείρων, γῆν ἣν ἔτυχον καταλαμβάνοντες, καὶ μηδὲνός προκατοικήσαντος, τὰ ἔθνη τοῖς αὐτῶν, ἐκάλεν ὀνόμασι*, id est, ut Diuus Hieronymus, hunc secutus, habet: *in Europa vsque ad Gadira, nomina locis et gentibus relinquentes* (filii Iaphet) terram possederunt: *e quibus postea immutata sunt plurima, cetera permanent, ut fuerunt*. Cum, inquam, haec memorasset, de Thira paullo post locutus ait: *β) Θειράς δὲ Θείρας (aliis Θρηῖκας) μὲν ἐκάλεσεν, ὡν ἦρξεν. Ἐλλήνες δὲ Θρηῖκας αὐτὸς μετωνόμασαν. Thiras autem Theiris nomen dedit et imperium; quos Graeci Thracas adpellauerunt*. Hieronymus ira paucis: *Thiras (sunt) Thraces, quorum non satis immutatum vocabulum est*. Hunc Iosephi locum Thomas de Pinedo in notis ad Stephanum eadem phrasi, primam si demas vocem, quae ei Θείρας est, adducit, et interpretatur: „Thires vero Thiras quidem vocavit, quorum fuit princeps, Graeci autem Thraces eos vocarunt.“ c) Iosephum, qui hoc a suis accepit maioribus, omnis pene recentium turba sequitur. Nemo tamen hoc in genere, si diligentiam, et eruditionem spectas, Bocharum Samuelem superavit. Quod si iam horum vestigiis insistere volumus, *Thracas* ab Thira, filio Iapheti ultimo, adpellatos comperiemus. Et sunt multae vsque hodie vocabuli huius reliquiae. Sed vetustiora lustremus ante. Gentem vetustissimam Thraces, ab Thira Iapheti nuncupatos, argumento esse valent regum Thraciae vetustissimorum nomina, ut est *Therei*, *Theropsis*; hunc Diodorus Siculus memorat, d) illum Herodotus, e) et Thucidydes. f) Praeterea fluvius ac portus *Athyras*, ad Byzantium; g) vrbs *Tyrifstasis* in Cherrhoneso; h) *Thrausi* populus Thraciae ad Haemum. i) Et, ut alia mittam, nobilissimus Scythiae fluvius *Tiras*, seu, ut scribunt alii, *Tyras*, *Τύρας*, Herodoto *Τύρης*, *Tyres*, quem hodie *Dniestrum* dicimus, nomen *Thirae* parentis nonne servavit feliciter? Sane *Tyragetae*, Thracum soboles, insulas fluminis huius, Plinio teste, habitarunt, et ab Istro ad Tiram *Tiritae* Herodoti. k) Ab hoc ciuitas quoque *Tyra*, quae ante Ophiusa, nuncupata est, ab Istri Pseudoostomo CXXX. M. P. remota. Quid si et *Istrum* ab Thira illo patre nominatum esse dicamus? Profecto, neque *Dniester* et *Ister* vocabula multum expressione differunt. Et, si Thiras Thracum pater est, fluvium Euro-
ropae

a) Hist. Eccl. tom. I, Differt. X, Art. IV, p. 185 edit. Venet. 1771.

b) In Not. ad D. Hieron. Quaest. Hebr. in Genes. tom. III. p. 318.

c) Voc. *Θράκη*, *Thrace*, p. 311. edit. Amstel. 1678.

d) Lib. III, ap. Alex. Natal. c. 1.

e) Lib. VII. Conf. Bayer. Memor. Scyth. ad Alex. M. p. 186.

f) Lib. II, et IV.

g) Ap. Plin. Lib. IV, C. 18, cui *Athyras*, *Mela* L. II, C. 2.

h) Plin. H. N. L. IV, C. 18, vbi *Tirifstasis*.

i) Herod. L. V. *Liv.* L. XXXVIII, C. 41.

k) V. Bayer. p. 86.)

ropae principem quidni in patris memoriam cognominarint nepotes, in primis, postquam fluminibus dare cultum coeperunt? Ad huius opinionis robur accedit ipsa vis vocabuli *Thiras*. Quod enim sacer codex adpellat Thiras , *Thiras*, in sententia Graecorum veterum a) δορασην designat, seu *hastis pugnantem*; accipiunt enim hi vocem hebraicam Thiras , in Piel Theres , scribuntque Theras , (*Theras*, (voces pene eodem sonantes modo) quod iis δορασης est, ἀπό τῆ δόρατος , ab *hasta, lancea*. b) Nonnulli Thiras *deuastantem* interpretantur, quod in idem redit. Siue autem Thiras efferre velis, seu radicem huius Tharas , nihil in voce hac promptius reperies, quam Thrax , *Thrax*; non enim aliud ei accidit, quam συνοπή in vocali *a*, et in fine μετάπλασμος , ξ pro D ponendo, quae duae litterae permutantur saepius. Plurima sunt apud Graecos vocabula, quae formam et significatum nominis Thiras retinent. Huiusmodi sunt, Θρασύς , *audax*, ab θαράω , *eudeo*; atque isthic *sigma* est eiusdem et valoris et enuntiationis cum *samech*. Θύρα , *venatio*, ἀπό τῆ θυρός , a *fera*. Τείρω , *vexo*, *adfligo*. Τύρος , Syriace *rupem* significat, graece τύρος *caseum*, a τείρω *siccio*. c) Sed haec a Graecis longius petita videntur, qui peregrinas voces in sonum sibi familiarem trahere consueuerant; Thracas, et cognatae iis gentes, *Thirae* nomen feliciter conferuasse videntur. *Tyr* nomen Martis apud Thracas ortum, postea non ad vicinios modo populos, sed in vltimum fere septemtrionem propagatum est, si non ante *Orhini* illius professionem, certe sub id temporis, vbi adhuc superest, et *magnum quemque virum* in septemtrionalibus linguis designat. d) Apud Thracas autem nostros *Tir* est *vis, impressio, impetus*. Deriuatum *tiram*, *pellis*; *tiras*, *pellis*. (vide hebraicum Thiras) Compositum *istiram*, *expello*; *stiram*, *compello*; *ifer*, *expulso*, et porro. Sed et radicis habraeae Tharas , multa sunt apud nos eiusdem significationis vestigia. Quod enim Hebraei dicunt Tharas *destruxit*, hoc nos prorsus ita *taresu*, *destruis*; e) *satarti*, *comminuere*; et propius ad hebraicum, *haram*, excindo; *haranje*, excidium: denique *excindis*, *destruis*, in secunda praesentis indicatiui, singulari numero, est ipsum hebraeum (sed in praeterito) haras ; *heth* pro *thay* posito, quod fieri consuevit saepius.

Vides

a) Oper. Hieron. tom. III, fragm. IV, p. 578. Diuo Doctore *Thiras* est *timens, rediens* (alibi *redimens*) aut *superfluum*; sed aliam is respexerit radicem. Thiras occurrit Genes. Cap. X. v. 2. quam vocem *Calmet* Diction. Bibl. v. *Thiras*, *destruentem* explicat.

b) Thracas *longis hastis* fuisse vsos, veterum testimonio constat. *Homer. Iliad. IV, v. 533.* $\text{δολίχῃ ἔγχυα χερσῖν ἔχοντες}$. Conf. *Liu. L. XXXI. C. XXXIX*, *romphaeae* (*Thracibus*) *ingentis maznitudinis*.

c) Adde ταραχθέντα *Hesychii* ap. *Bayer. p. 264.*

d) Istud quidem *Bayer* in reb. *Scyth. temp. Mithrid. p. 264* dicebat, sed *Thor* potius quam *Tyr* in mythologiis septemtrionalibus legitur. Quod ait, *in compositis augendi vim habere hanc vocem*, id apud Thracas vna cum radice *Tir* est reperire facilius.

e) Nisi deriuatum velis a Thiros , *musto*, vt quasi Tharsis , *vinosus* sit. Vid. *Steph. not. in Καρχηδών, 69.* Conf. eiusd. Táρας .

Vides igitur, apud Thracas *Tirae* nomen mansisse integerrimum, ex quo Graeci *Θρακίς*, Poetae etiam *Θρακίς threces*, ac *thracēs* fecerunt; denique sublata prima vocabuli *Θραξ* litera per aphaeresin *RACZ* hodiernum prodiit. Scilicet, multis sunt vocabula obnoxia casibus, nescio tamen, an vlla gens in orbe terrarum clariora sui conditoris vestigia teneat, quam Thracum nepotes *RACZI*. a)

III. Celebre olim *Thirae*, parentis nostri nomen fuisse inde quoque licet colligere, quod eius memoria, quamuis ea tenuis, apud profanos etiam scriptores comperiat. In *Fastis* enim *Siculis*, quos *Raderus* edidit, b) ex *Semironio* *Babylonio* refertur, *Thurras* quidam regnasse, post *Ninum* in *Assyriis*, cui ipsius *Thurrae pater*, *Zames*, *Rheae frater*, nomen *Martis* imposuit, a planeta: *Θούρρας ὀνόματι, ὅτινα μετωνόμασεν ὁ τούτου πατὴρ Ζάμης, τῆς Ρεάς ἀδελφός, Ἀρεα, εἰς ὄνομα τοῦ πλάνητος ἄστέρου*. Hunc deinde *Thurram*, ait, expeditione suscepta versus boream, *Caucasum* quemdam ex stirpe *Iapeti* bello adgressum, denique in *Thracia* obiisse. *Θούρρας* hic non est alius a *Thira* nostro, vt *Samuel Bochartus* in *Phaleg* fufe monstrauit. Nec est magna in voce distinctio: nam *θ* et *υ* apud Graecos permutari expressione, notum est; geminatum vero elementum *ρ* hebraicam arguit dictionem *תרת*, quae in *Piel* obtinet *תרת* *Theres*, vt memorauimus, vel etiam *תרת* *Thirres*, quod cum nostro *Thurras* in geminatione *ρ* literae conuenit. Quamuis autem *Ζάμης*, *Zames*, quo nomine *Thurrae* pater appellatur, *Persis* terram denotet, haec enim iis *זמין* *zamin* dicitur; tamen apud *Thracicos* etiam populos *zame*, *zeme*, *zemia*, non aliud quam *terra* est. Vnde *Samo-thracia* apud *Strabonem* c) *terra Thracum* vocatur, quod nos hodie *zemia Thracia* nuncuparemus. Terram dicit *Turrae* parentem gentilium consuetudine, qui heroas celebraturi ab *Ioue*, terra, oceano, progenitos comminifcebantur, in primis, si nomina parentum ignorantia aut ignominia velasset. Nos e sacro codice nouimus, *Thiram* patre *Iaphet* prognatum esse. Illud autem in *Fastis Siculis* de *Thira* censeo esse verum: hunc ex *Assyriis*, aut campo *Senaar*, cum suis progressum in *Thraciam* venisse. Cetera, quae de *Nino* et *Caucafo* referuntur, aliunde petita sint. Id heic singularem meretur obseruationem, quod *Zames* pater filio *Thirae* nomen *Martis* imposuisse dicitur: *Martem* enim a *Thracibus* cultum ignorare nequit, qui *Graecos* scriptores consuluerit; d) et quidquid supra de

voca-

a) Non sunt hi cum *Rasciis*, a flumine *Rasca* nuncupatis, confundendi, etsi progeniei eiusdem, sed iis recentiores qui sint; nisi et *Rascam* et *Rascios* *Rascianosque* a *Thracibus* siue *RACIS* deriuari malis.

b) Ap. *Sigefr. Bayer. Conuers. rer. Scyth. temp. Mithrid.* p. 263, vbi in versione latina *Zames* intermissum est.

c) *L. X.* p. 457, is quidem a *sublimitatibus* dictam opinatur, quod ex ea *Ida* videtur. Sane κατ' ἐξοχήν sic eam *Thracēs* compellarint. Sed vid. *L. VII.* except. p. 331. ἢ *Σαμοθρακίη, Σάμος πρὶν*. Conf. *Bayer.* p. 196.

d) Vid. *Sénerin. Pann. III.* p. 58. n. c. vbi magno numero citantur, qui de his scripsere. Conf. *Mel. L. II. C. I.* de *Scythis Mars omnium Deus*, p. 38. *Steph.* in *Θράκη* not. 86. *Ouid. Pont. L. IV,* ep. XIV, v. 15. *V, 3, 22.* *Tr. Dalmatae semper bellicosi habit.* *Cic. Epist. Famil. L. V,* 11.

vocabuli *Thiras* etymo recensuimus, *Marti* conuenire, nemo inficiabitur. Iam, vt ad propositum ex hoc episodio, quod *Istri* originem inuestigaturo necessarium fuit, redeamus, cum inter composita ex voce *Tir* etiam *ISTER*, *expulsio*, compareat, vocabulum a radicis significato non obcludens, vt palam est, quis prohibeat, *Istrum* ab *Thira* patre nuncupatum? Fluuios a maioribus nostris olim cultos fuisse, notum sane est. a) Primi autem inter diuos referebantur *auctores gentis, urbium, imperii*; quorum nomina cum temporis progressu in obliuionem deducta essent, aut accedente superstitione mutata, peculiare deorum, ac dearum nomen acceperunt multi fluuii, montes, luci. b) Noster tamen fluuius in hoc ceteris antistare videtur, quod auctorem denominationis suae ostendere possit, eumque profecto antiquissimum, *Thiram* scilicet, Iapheti filium, Noemi patriarchae nepotem. Aetas, qua hoc ab *Thira* *Ister* acceperit nomen, certo quidem ostendi nequit, sed tamen, quod probabile sit, consideratis rerum adiunctis, aliquid e coniectura dici potest. Turris Babel aedificari coepta est, anno Per. Iul. 2467, cum *Thiras* esset annorum circiter 108. Tribus annis coquebantur lateres, iique incredibilis magnitudinis. c) Vniuersa aedificatio, XIII annis durabat. Itaque anno P. I. 2480, ab Diluuiio 113, ab opere delitum est, orta linguarum confusione, orbisque terrarum inter filios ac nepotes Noe, *secundum familias et linguas*, diuisus. - *Thiras* cum esset filius Iaphet, cui in sortitione illa Europa obtigit, Ponti Euxini occidentem occupauit latus, constitutisque primum per Thraciam ciuitatibus, deinde vsque *Tiram* progressus, nomen integrum et viam sui memoriam isthuc reliquit. d) Fortasse viuere quoque ad *Tiram* deliit. Profecioni huic *Thirae* cum suis, si eam terra factam dicamus (nam mari citius fieri potuit) annos assignemus vicesenos, cum attigisset constitutam sibi sedem *Thiras*, CXXV circiter habebat annos. Bis tantum vixerit, vt e Semi nepotibus colligere licet. Ducentorum spatio annorum in magnum sane populum *Thirae* progenies euadere potuit, viuente adhuc patre, qui consiliis suis monitisque optimis, quae a patre Iaphet, ac Noe auo (350 hic vixit post diluuium annis) acceperat, vniuersam regebat posteritatem, constitutis ciuitatibus, urbibusque conditis, et coloniis vltro citroque, maxime in occasum, *Adriam* versus, et in vtramque fluminis *Danubii* ripam, fere ad fontes vsque, deductis. Haec est *Istri* quoque, de quo agimus, aetas. Siue autem sub aduentum *Thirae*, circa an. P. I. 2500, e) siue postea, elapsis aliquot annis, *Ister* nominari coepit, non mul-

-
- a) Vid. Ioan. Seuerini Pannon. Illustr. p. 66. Conf. Dissert. nostr. de ling. Pannon.
 b) Strab. L. VII p. 297, seqq. de diis Getar. Conf. nott. Casaub. Tyr. Max. Dissert. VIII. de lucis v. Tacit. mor. Germ. c. IX cum nott. varior.
 c) Eut. Alexandrin. ap. Ioann. Molnár, Jeles Épül. p. 154, longos 13 cubitos, latos 10, crassos 5, adserit. Turrim intra 40 annos ad 10000 cubitos ascendisse.
 d) Ammian. p. 253 *Tyros* urbem coloniam Phoenicum dicit, ab *Tyro* fortasse; at Herodoto *Tiras* et fluuius est, et oppidum.
 e) Conf. Bayer. p. 126, vbi ante Iosephi Patriar. tempora id accidisse inquit.

multum intereff, modo ab *Thira* nuncupatum fciamus. a) Et haftenus quidem de *Istri* etymo dicta funto. Nunc ad reliqua fluminis Europae principis nomina.

IV. *Danubii* vocabulum, quo *Ister* alias nuncupatus eft, primum (quantum equidem fcio) apud Iul. Caefarem occurrit in belli Gallici memoriis, b) vbi de filua Hercinia fermo eft. *Oritur* haec, inquit, ab *Heluetiorum*, et *Nemetum*, et *Rauracorum finibus*, *reftaque fluminis Danubii regione pertinet ad fines Dacorum, et Anartium*. A Caefaris aetate *Danubii* meminere multi. Vtrum ante hoc tempus flumen iftud vocabulum *Danubii* gesserit, determinari quidem certo nequit, cum nemo huius antea meminerit; cenfere ramen facile poffumus, olim iam, a vetuftiffimis inde temporibus, *Danubii* nomen exftitiffe, ignotum autem tam diu manfiffe ea de cauffa, quod hae superiores fluminis partes, quibus in primis *Danubius* diceretur, a nemine adhuc fiue Graecorum, feu Romanorum, Iuftratae fuerunt. Iucunda poft modum eft inter fcriptores orta de duplici fluminis vocabulo concertatio. Aliis *Danubii* nomen ad *Vindobonam* dumtaxat producentibus; c) aliis ad *Illyricum*, d) quod quidem dubium eft, cum *Danubius Illyricum* vetus non attigerit. Alii promouerunt ad *Getas* vsque; e) alii denique ad *Axiopolim*; f) reliquo tractu *Istrum* nuncupantes. Vt nihil certi ex eorum fententiis eruere poffis. Sed quorfum opinationes iftae, ac certamina, fi fluuius idem duplici gaudebat nomine. Certe *Nafø*, qui ad *Istri* oftia exilium tolerabat, *binominem* adpellat; g) vt intelligeremus, flumen hoc ad influxum vsque in *Pontum* et *Istri* et *Danubii* nomine tum quidem audiffe. Ouidium funt in hoc fecuti plures. h) Vnde autem *Danubio* nomen? Mihi hoc in genere quidem fententia clariffimi *Seuerinii* praeplacet. Is, poftquam *Henetos* *Slauum* genus memoraffet, agens de lingua *Pannoniorum*, i) *Inde fine dubio*, inquit, *maximum veteris patriae flumen*, (*Danubius*) *quem Parthenium* k) *Graeci vocabant, lingua vernacula Dewina, vel Dvina, vtrumque latine virginale, vel virgineum dixeris, nuncupabatur: quod forfitan Nymphae amore amnis, vt, auctore Q. Curtio, in rupe propter Marfiam, re-*

tentae

-
- a) Eccard. in Orig. Germ. p. 23, *Istri* nomen fluuiio eueniffe ait ab *Eften*, vel *Iften*, quod orientem fignificet. An recte, videant alii. Mihi fane facilius apud Hungaros *Iften* (fi *Ister* vmquam fic nuncupatus eft) quod *Deum* notat, reperiri poffe videtur, quam apud Germanos. Sed haec adcuratius infra C. VII n. 5 expendemus.
- b) Lib. VI C. VI, p. 195 edit. *Baffan.* 1775.
- c) *Agathem.* Geog. L. II C. 4. μέχρις Οὐνδοβόνης πόλεως Δανέβιον Κηλῶσιμ. Conf. not. *Hard.* in *Plin.* L. IV c. 24. *Fuhrm.* p. 391. *Cellar.* L. II c. 5.
- d) *Plin.* H. N. L. IV C. XXIV. Conf. *Cellar.* Geogr. Ant. L. II, C. V. p. 459.
- e) *Strab.* L. VII, p. 304, feq. *Pomp.* L. II C. I, per immania gentium *Danubius* eft.
- f) *Ptolem.* L. III C. VIII ap. *Cellar.* l. c. *Appian.* ad *Sauis* influxum. Conf. *Cafaub.* in *Strab.* L. VII. p. c.
- g) *Ex Pont.* L. I epift. VIII, v. 11. fane *Ister* et *Danubius* promifcui funt huic.
- h) *Status Siluar.* L. V. *Aufon.* in *Mofella* 106.
- i) *Pannon.* *Illuftr.* L. II C. IX.
- k) *Parthenius* in *Asia* apud *Henetos*, non *Danubius*; et *dan*, *bifter*, *Illyrica* funt. Vid. *Croat. patr.* p. 45. Conf. *Geogr. Moef.*

tentae illic confederant. Slavi utique veteres flumina videntur pro diis coluisse: inde in Polonia Dwina, et Bog fluvii. Addere potuit, Boszut in Slauonia, Boszna in regno eiusdem nominis, et complura alia. Cui si locum damus opinioni (et quid est, cur non demus?) censere non difficile est, flumen, quod primum Istri nomen ab Thira patre accepit, postea virginium, quacumque demum de causa, nuncupatum fuisse. Quod accidere quidem primis iam Thirae nepotum coloniis huc deductis potuit, sed, quod Istri nomen et antiquius, et celebrius erat, praeterea crebrius ad fontes, ad ostia rarius Danubii vocabulum audiebatur, ignotum hoc ad Caesaris usque aetatem manlit apud exteros, illis id non obseruantibus, maxime quod patria denominatio esset, quam illorum lingua non patiebatur; unde factum est, ut Danubium pro Dewina, vel Dewicza (dicimus etiam Dina, ex quo Duna) vocabulis, ut ii dicebant, barbaris, scriberent primo Romani, tum ab his edocti etiam Graeci. Hodie vulgo Dunay Thracum expressione vocatur, quod quidem ex Dyna veterum est; ex quo Latini per metathesin Danuuius, ut habent lapides, fecerunt. a) Atque istud Danubii nomen adeo aetate posteriori inualuit, ut apud Latinos quidem saepius occurrat, quam Istri; apud Thracum vero nepotes non amplius nominetur Ister; ab eo fortassis tempore, quo peregrinae gentes in horum agros impressionem facere coeperunt. b) Germani fluium Donaw adpellant, prima vocali mutata; quo nonnulli in eam sunt inducti sententiam, ut Danubii nomen ab Germanis petendum censerent, et quidem ab Tanne, abiete; ignari temporum ac rerum, cum multis ante seculis Danubius per Geticos fluxerit populos, quam Germani de eo quidquam accepissent. Et, si acceperunt etiam, prius ad ostia (vbi nullae abietes sunt) quam ad fontes, acceperint. c)

V. Aliud nomen Istri, quod aut olim fuisset in usu, aut hodie foret, apud veteres non reperio, vnum si demas Stephanum Byzantinum, et, qui hunc secutus est (non Strabonem, ut is citat, d) Eustathium ad Periegetae v. 301, qui Danusium quoque et Matoam, si diis placet, ex qua, nescio, calamitate Scytharum, quam in eo passi essent, cognominatum adserunt. Liceat Stephani verba in medium proferre. „Danubis, inquit ille, vel Danusis, Ister fluuius, olim Matoas dictus, ex quadam calamitate, quae Scythis accidit. Matoas enim Graece dicitur ἄσιος, id est, limosus, quod saepe transeuntes nil mali passi sunt. Danusis vero interpretatur, utpote, qui errandi culpam habet.“ Corruptum hunc esse locum Stephani, Hispanus interpres adserit, eumque, restituta phrasi graeca, sic reddit:

„An-

- a) Grut. p. 448 ap. Cellar. Geogr. Ant. L. II C. VIII, p. 595. Conf. Hard. in not. ad Plin. L. IV C. XXIV, ex numo Traiani.
- b) Iornandis aeuo adhuc vigerit, qui Rer. Get. C. 12 Danubius, ait, lingua Bessorum: Hister vocatur. V. Seuer. P. I. p. 25.
- c) Conf. Danuf et Adduanum Coleri, in nott. ad Tacit. Germ. C. I. p. 577. n. 1.
- d) Nuspiam enim haec Strabo meminit. V. Casaub. not. ad Strab. L. VII p. 304. Conf. a Pinedo Nott. ad Steph. Δαυεβίς.

„ Antiquitas Matoas vocatus, quod dicitur secundum Graecam linguam Αμοιός, *limofus*, quod saepe eum traicientes nihil damni passi fuissent, quadam vero calamitate Scythis contingente, Δανύσιοι, *Danusius* adpellatus est, tamquam habens errandi culpam.“ a) Pro *Danubis* et *Danufis* Stephani, legit ex Eustathio *Danubius* et *Danusius*. Quae autem ea Scytharum lingua sit, quae *Danusium* dicat *calamitatem*, et *Matoam linum*, equidem ignoro. Scythae, in primis adcolentes Istrum, in Germanos demum et Sarmatas, Plinio teste, b) transiere; at vero nomina ea Stephani apud neutros in eo significato reperies. Vt tamen adsertum eius non penitus reiecissemus, censemus eum de *Matoa* vocabulo quidpiam audiuisse, etymologiam vero addidisse ex proprio. *Mati* apud gentes Thracicas *matrem* significat, *Matioa*, seu *Machua*, *nouercam*. Itaque, cum antea Scythae huiusmodi adpellarent *matrem*, communiter autem, vt ostendimus, *virginem*, accepta postmodum calamitate, *nouercam* dixerunt. Quod Graeci, cum linguas barbarorum nescirent, praepostere interpretati sunt. Et haec est magna sane historiarum calamitas, quod tam Graeci quam Latini scriptores antiqui, sermonem barbarorum perosi, pro gentis suae more, nihil integri de iis tradidere. Quis enim consuetudinem gentis, moresque describet citra periculum errandi, ignorato eius idiomate? Sed neque historia, aut geographia sibi constabit, si hoc nescias. Quomodo enim adscribes prouinciam, aut fluuium, aut urbem, quae sint barbaro insignia vocabulo, si nescias, quid ea in graeco aut latino sermone sibi velint, si vim vocis ipse penetrare nequeas? Inde profecto factum est, vt veteres illi Graeci, siqua etiam barbarae linguae adducunt vestigia, tam ea sunt corrupta, vt vix inde quidpiam, nisi diuinando, elicias. Atque vtinam et ista maiori essent copia! Eius enim haereseos erant veteres illi, vt vim vocis barbarae suo efferrent sermone plerumque; quod, cum saepe de eo non bene edocerentur, longe sonabat aliud, quam nomen barbarum. Latini, quod a Graecis acceperant, suum facere satis ducebant, retentis saepe, non numquam mutatis Graeciae vocabulis, vt dicimus, propriis, adeo quidem, vt, nisi graecos fontes, e quibus ipsi hausere, consulas, in maiores te illi anfractus coniciant. Atque his veterum laqueis nostra aetate plurimi implicantur. Sunt enim, qui hanc prouinciam adeo imparati accedant, vt linguarum patriae aut nullam, aut exiguam habeant rationem, Graeciam vero nec salutasse videantur. Quid ab his speres, nisi nubem pro Iunone, *linum* pro *matre*? Sed redeamus ad Istrum. De variis eius nominibus dictum haecenus; nunc, quae in eo apud veteres memoratu digna occurrant, persequi libet.

a) Not. ad Stephani Δάνυσις.

b) L. IV H. N. C. XXV, sine.

C A P V T III.

In ISTRO memoratu digna.

I. **V**BI primam Istri comperimus memoriam, inde hoc quoque in argumento initium sumere, apud ostia scilicet, eoque aduerso ad occasum progredi, animus est, in primis, quod isthoc ordine temporis quoque rationem habitum iri speramus. Primum itaque de ostiis agendum. Non conuenit inter antiquos, quot ea numero esse debeant; aliis terna, aliis quina, nonnullis septena censentibus: idcirco forsitan, quod hi minora etiam, illi maiora dumtaxat numerarunt. Et sane, tria ostia ceteris ampliora, vt hodie quoque sunt, olim fuisse videntur. Sed opiniones veterum lustremus. Apollonii, qui Argonautica cecinit, Scholiastes, τρία, inquit, ζώματα ἔχει ὁ Ἴστρος, tria ostia effundit Ister. a) Quod, etsi facile explicari queat, si maiora ab eo intellecta dicamus; tamen id quoque, vt hoc adsereret, eum inducere potuit, quod triquetram Peucen insulam in Apollonio legerit. Ephorus apud Strabonem b) quinque ostiorum, πεντάστομον, adpellauit Istrum; c) quem Dionysius in Periegesi, d) et Festus Auienus, interpretis huius, imitati sunt, e) hac phrasi: Πενταπόρις προχοήστιν ἐλισσόμενος περὶ Πέυκην, quod Festus: ora per aequor quinque vomunt annem, qua se procul insula Peuce exerit. Hic ille Dionysius est, qui ab Augusto missus ad orbem describendum erat, Plinio teste. f) Vt adeo Istri ostia propriis lustrarit oculis, sed magna cum paruis recensuerit. Plinius ora sex tribuit Istro; Mela cum Strabone septem. g) Et ille quidem alueorum latitudinem non satis distinxisse videtur, cum ait: h) in Pontum vastis sex fluminibus euolui, Istrum, quorum singula tanta sunt, vt prodatur in quadraginta millia passuum longitudinis vinci mare, dulcemque intelligi haustum. i) Clarius hoc Strabo, dum, γίνονται, inquit, μεταξύ τῶν ζομάτων νησίδες. τὰ μὲν δὲ τρία ζώματα ἐφεξῆς τῷ ἱερωῶ ζώματι ἐστὶ μικρὰ. τὰ δὲ λοιπὰ τοῦ μὲν πολὺ ἐλάττωα; τῶν δὲ

C 2

- a) Ap. Casaub. in nott. ad Strab. L. VII p. 305.
- b) Iam Herodotus id adseruit, L. IV p. 237.
- c) Geogr. L. VII p. 305 fine.
- d) Hard. in nott. ad Plin. H. N. L. IV, C. XXIV. Conf. Cellar. O. A. L. II, C. VIII.
- e) Perieg. v. 301. Fest. v. 441.
- f) H. N. L. VI, C. XXXII, ed. Hard. cuius not. vid. Conf. a Pinco in auctor. Steph.
- g) Totid. Ammian. vt infr. et Tacit. M. G. init.
- h) Hist. Nat. L. IV, Cap. XXIV.
- i) Ranzanus Epit. Rer. Hung. Ind. II p. 558 edit. Tyrn. 1765, hunc locum Aristoteli Meteor. Lib. II, tribuit, et pro quadraginta M. P. ponit sexaginta; scilicet, vt fabulam reddat ampliorem. Vtrum hoc Aristoteles habeat, nescio; certe Solinus C. XIII totidem Plinii verbis.

δὲ μείζονα, inter ostia (Istri) exiguae existunt insulae: ac tria ostia, quae sacrum subsequuntur, parua sunt: reliqua his maiora, sacro tamen multo minora. Straboni Mela respondet. a) „Ister, acceptis aliquot annibus, ingens iam, et eorum, qui in nostrum mare decidunt, tantum Nilo minor, totidem, quot ille „ostii, sed tribus tenuibus, reliquis nauigabilibus effluit.“ Ac de numero quidem septeno Istri ostiorum, ipse Naso, eorum adcola, testem agit, canens: b)

Ultima perpetior, medios proiectus in hostes,
Nec quisquam patria longius exsul abest.
Solutus ad egressus missus septemplex Istri,
Parrhaliae gelido virginis axe premor. „

Posteriorum, quotquot Istri ostia meminere, septem numerarunt omnes, magis veterum, ut credo, auctoritate ducti, quam quod recens de his accepissent documentum. Non enim persuadere mihi possum, ostiorum Istri numerum, qui iam olim variabat, inde ab Augusti temporibus ad nos usque perstitisse eundem; cum is nostra iam memoria pluribus locis mutarit situm, maxime inter insulas, et ostia eius longe aliter a priscis notentur, quam ea nostrae exhibeant chartae. Scilicet facile suos flumina mutant alueos; unde fit, ut quotquot diuersas in manum tabulas accipis, tot variantes eorundem fluminum obserues ductus. Neque aliter cum his contingit. Sed nos ad descriptionem ostiorum, ut ea a veteribus tradita sunt, progrediamur.

II. Ut ordo Istri ostiorum rite describatur, Strabonis verba in primis pensanda erunt. Nomina suggeret Plinius cum Ptolemaeo et Marcellino; in reliquis Herodotus quoque iuuabit. Strabo itaque, dum ait: c) *Ἐντεῦθεν δ' ἐπὶ Τύραν ποταμὸν πλωτὸν, ἐννακόςιοι σταδίοι*, Ab Istro ad Tyram fluiuium nauigabilem esse stadia nongenta, intelligi vult, hoc interuallum a borealissimo Istri ostio ad Tyram censendum esse, et linea quidem recta. Si iam, ut Strabo nos alibi d) docuit, 700 in gradum ponamus stadia, ab ostio fluuii Dniester ad ostium Danubii maxime boreale, adcuratissime 900 comperiemus stadia. e) Quae, positae in vnum milliare Romanum 8 stadiis, efficiunt M. P. CXII et semissem. Hoc *ψιλόν, exiguum*, Ptolemaeus nuncupat, et a lacu proximo *Thiagolam*: f) Marcellinus e contrario *septimum ingens*. g) Et hodie quoque in chartis plerisque maximo fertur alueo. Quod argumento esse potest, *ψιλόν* illud vetus arena obstructum postea, vi

a) De situ Orb. L. II, Cap. I.

b) Trist. L. II a v. 287.

c) Geogr. L. VII p. 305.

d) L. II p. 113, 132.

e) Vid. Tab. Hung. Hafii edit. princ.

f) Ita quidem Cellar. O. A. L. II C. VIII. verum Thiagola non ostium Istri, sed Ponti palus erat.

g) L. XXII, Cap. VIII fin.

vī omni collata in proximum. a) Cadit ostium hoc in charta Cel. Hafii, in gradum lat. 54 min. 2; long. vero 47 min. 16.

Alterum a borea ostium Plinio *Spireostoma*, Ammiano autem *Stenostoma* dicitur. Si graeca haec vocabula reddas latine, idem obtinebis, quod ex Ptolemaeo $\psi\iota\lambda\acute{o}\nu$ significat. Nam restituta Plinii voce $\Sigma\pi\epsilon\iota\sigma\tau\omicron\mu\alpha$, *Spiraeon-stoma*, *tenuē ostium* habebis, ἀπό τῆς σπείρας, *Steno-stoma* vero, graece $\Sigma\tau\epsilon\nu\acute{o}\nu$ $\zeta\omicron\mu\alpha$, *arctum ostium*, a $\sigma\tau\epsilon\nu\acute{o}\varsigma$ *arctum*: quae in idem redeunt. Quo autem pacto nomina haec, vni ostio conuenientia, distrahentur? Equidem censeo, istud maxime boreale fuisse, et esse idem cum $\psi\iota\lambda\acute{o}\nu$ Ptolemaei. Nam, quod Marcellinus ait, *Septimum ingens, et palustri specie nigrum*, cum sine cognomine ponat, Ptolemaei *Thiagolam* intellexisse videtur. Et hac ratione Plinium quoque conciliabimus cum aliis. Istud itaque primum erat Istri a borea ostium, cuius positionem paullo ante memorauimus. Id etiam Hafius primo statuit loco, et ab *Thiagola* palude secernit.

Ab hoc tenui ostio, $\beta\acute{o\rho\sigma\iota\omicron\nu$ $\zeta\omicron\mu\alpha$, *Boreon-stoma* est Ptolemaeo, et Marcelino; Plinius vna litera demta, *Boreostoma* dixit. Graeca vox, *septemtrionale ostium* denotans. Quanto istud interuallo a priori seiunctum fuerit, antiqui non memorant. Hafius, qui ostia Istri e mente Arriani disposuit, remouet VI M. P. Boreale idcirco dictum puto, quod aliud boream versus maius non esset. Incidit sub gradum long. 47 min. 13. latit. 44 min. 56.

Tertium a borea ostium *Pseudostoma* omnibus tribus est. Graece $\Psi\epsilon\upsilon\delta\omicron\sigma\omicron\mu\alpha$, quasi *fictum*, aut *spurium* diceres *ostium*; fortassis, quod erat, vt primum illud, *tenuē*. Hafius adpellat *pulcrum*, et a priori V M. P. remouet; vtrumque eiusdem cum *sacro* magnitudinis designat, iisque insulam quadratorum M. P. IX includit. Vtrum ex Arriani mente, nescio. Si Ptolemaeum cum sociis audias, hoc $\kappa\alpha\lambda\acute{o}\nu$ $\zeta\omicron\mu\alpha$ dicere non poteris, cum id sequenti conueniat ostio. Sed et *Pseudostoma* in meridiem magis remouet Plinius, quam vt Hafiano huic possit congruere. Dum enim is Tyram a Pseudo Istri ostio CXXX M. P. remouet, b) hoc a borealissimo, quod *Spiraeostoma* nuncupauit, M. P. XVII, et semisse, vult remoueri; cum in charta Hafii XI M. P. dumtaxat remotum compareat. Itaque, si Plinii calculus bene habet, *Pseudostoma* eius incidet, paullo supra Naracum Hafii, in gradum long. 47, min. 10. latit. 44, min. 47. Hafii III ostium, quod ipse *Pulcrum* vocat, positionem habet graduum long. 47, min. 12. latit. 44, min. 53.

In quarti quoque denominatione conueniunt Ptolemaeus, Plinius, et Ammianus, id $\kappa\alpha\lambda\acute{o}\nu$ $\zeta\omicron\mu\alpha$, *pulcrum ostium* nuncupantes. Huic certum assignare situm nequimus; attamen, si non ipsum Hafii Naracum est, certe proximum ei, circa hodiernum *Stravico* locum, exstiterit. *Pulcri* nomen a riparum situ, fortasse recto, fuerit sortitum. *Sacro* minus, si Strabonem audias: dicebat enim tria, quae sacrum consequuntur, in boream, *ostia parua* esse; cetera autem his maiora, in-

ter

a) Hoc ad tuendam Cellarii opinionem, qui *Thiagolam* quoque ostium Istri putabat.
b) H. N. L. IV, C. XXVI initio.

ter quae fuerit et *Pulcrum*. Hafii *Stravicum*, ad quod ostium hoc fuisse puto, habet gradum long. 47, min. 6. latit. 44, min. 45.

Quintum Plinio et Marcellino *Naracustoma*, Ptolemaeo *Inariacium*, dicitur. Sed illam esse lectionem genuinam et Scylax in Periplo, et Apollonius in Argonauticis, a) probant. Is enim clare *Ναράκω ζόμα*, hic non nihil mutata voce *Νάρκων*, *Narecum*, habent. Scholiasfes Apollonii pro *καλέσει Νάρκω*, legisse videtur *καλέσειν Αρκω*; sed melior est Apollonii lectio, quam et auctor Peripli Ponti Euxini, quem Scylacem diximus, confirmat. Ostium hoc ita nuncupatum a *congelatis et stupidis piscibus*, quorum ibi maxima sit copia, Dalecampius existimat. *Νάρκην* is quidem, quam nos *torpedinem* dicimus intellexerit. Vtrum ibi maxima huius generis piscium copia reperiat, equidem nescio: cum nemo veterum huius meminerit. Harduini sententiam probo magis, *os pigrum et stupidum*, ob quamdam paludis immobilitatem nuncupantis. Et sane *νάρι*, vnde Scylax *νάρικος*, pro *νάρκος*, vt Apollonius expressit, *stultam* denotat. Idem quoque obtinebis, si a *torpore Νάρκω ζόμα* cum Harduino dixeris. Huic ostio id spatium tribuerem, quod est *Zoff* inter et *Stravico*, loca in Hafii tabula signata, medio circiter; cuius positio foret graduum long. 47, min. 2. lat. 44, min. 41.

III. Postremum a borea ostium Straboni et Ptolemaeo *ιερόν ζόμα*, est; Plinio, et qui eum securus est, Marcellino *Peuce*, a contigua insula nuncupatum. Et *ιερόν* quidem: seu *sacrum*, idcirco audiebat, quod esset Strabone teste maximum omnium. Ultra hoc in austrum aliud non fuisse ostium, Ptolemaeus monstrat, dum *ιερόν ζόμα νοτιώτατον*, *sacrum ostium maxime australe* dicit. Positum eius e Strabone intelligere possumus, qui hoc a septimo, quod *ψιλόν*, *tenu* adpellauimus, *τριακοσίους ζαδίας* *tercenta stadia* abesse perhibet. Cadit nimirum sub longitudinis gradum 46, min. 55. latit. 44, min. 38. Quod adcuratissime omnino in sua Hungariae charta signauit Hafius. Ex hoc Strabonis loco id quoque discimus, omnia simul Istri ostia quantum in latitudine spatium occuparint; tercenta nempe stadia, seu XXXVII M. P. cum semisse. Nulla, quod sciam, tabularum, orbem antiquum repraesentantium, hanc Istri ostiorum rationem habuit, neque Cellarii illius, neque Koeleri, nec alterius cuiusquam, vnam si demas Hafii Hungariae tabulam; cuius viri mathematicos labores orbis literatus, in primis Hungaria nostra, nunquam satis laudare valebit. b) Cum porro hoc Danubii ostium in australi *Zoff* agro ponatur, nescio, quaenam sint illa ad *Yegni Cale*, *Carahitmen*, et *Chiuftange*, Euxini litore, ostia fluuiorum, a Prutho per montes medios e Danubio decurrentium, vt ipse quoque in sua charta signauit Hafius. Credo errorem incisoris esse, qui fluuios Bulgariae hos a montibus, Danubio praetentis, deducturus, male ex ipso deduxit Istro. Continua enim heic, teste Ranzano quoque,

a) Harduin. Nott. in Plin. L. IV, C. XXIV.

b) In multis adcuratiores sunt D' Anuilleanae ac Schraemblinae, quibus in Geographia vsi sumus.

que, a) sunt montium iuga, inde a Silistria, ubi flexus est Istri in boream, ad Iaccium usque, Danubium Pontum ingredi prohibentia. Quod nisi fieret, ab Silistria ad Varnam, brevissima scilicet via, Ponto mixtum iri, euitato ingenti illo in septemtrionem circuitu, quisque videt. Hoc monere volebam spectatores insignis chartae Hasianae, ut ne quis errorem hunc viro doctissimo tribuat; qui ceteroquin ex aliarum inspectione chartarum, et ex ipsa ostiorum Hasii designatione, agnosci facile poterit. Nam haec nova essent Istri ostia, ab recensitis omnino diversa, et *sacrum* e sensu veterum non esset maxime australe. Huius singularem habet Plinius mentionem, quam nos numero sequenti, ubi de insulis, inter Danubii ostia comprehensis, sermo fiet, adducemus. Adhuc Strabonis verba examinare libet. Dicebat is, *parua* esse, quae *sacrum* consequuntur, *ostia*; alia his maiora, sed *sacro* multo *minora*. Quod non sic intelligendum videtur, quasi *parua* haec ab *sacro* forent continue censenda, sed mixtim cum maioribus; ut e Ptolemaei, aliorumque, quos adduximus, recensione patet. *Parua* fuerint, *Ψιλόν tenue*, *ψευδοστόμον*, et *ναράκων*; reliqua tria maiora: nam septimum in Thiagolam abiit.

IV. De insulis, quas Istri includebant ostia, haec tantum Strabo: *Πρὸς δὲ ταῖς ἐκβολαῖς μεγάλη νῆσος ἐστὶν ἡ Πέουκη, κατασχόντες δ' αὐτὴν Βασάρναι, Πευκίνοι προσηγορέουσι. εἰσὶ δὲ καὶ ἄλλαι νῆσοι πολὺ ἐλάττω, αἱ μὲν ἀνωτέρω ταύτης, αἱ δὲ πρὸς τῇ θαλάττῃ.* *Ad ostia Istri magna est insula Peuce, quam tenentes Bastarnae, Peucini sunt cognominati. b) Sunt et aliae insulae multo minores, aliae supra hanc, aliae ad mare. c) Numerum reticet. Mela sex fuisse dicit, d) quum, sex sunt, ait, insulae inter Istri ostia: ex his Peuce notissima et maxima. Quamvis plures esse ponerint, uti nobis etiam fuisse videntur, verba Strabonis perpendicularibus. Certe apud Hasium, qui ostia Istri cum insulis interiacentibus ex Arriani mente signavit, decem numerantur. Vnius Peuces nomen occurrit; reliquae ignobiles fuerint. Situm eius Strabo egregie monstrat, dum a *sacro ostio ad Peucen CXX stadiorum subuectionem esse* memorat; aduerso scilicet hoc ipso Istri ostio. Stadia haec XV M. P. efficiunt, quo intervallo Peuce a sacro distabat ostio. Ex hoc, et priori Strabonis loco videmus, Peucen ad mare usque non pertigisse, ut Apollonius in Argonauticis e) voluisse videtur, dum *triquetram insulae figuram fuisse dicit, cuius basis mari obuersa sit.* Vnde Periegeta: *f) Νῆσος δὲ ἡ Πέουκη τρίγωνος, μεταξύ κειμένη τῶν τῶ Ἰστρου σομάτων.* *Insula vero Peuce est triangularis, sita inter Istri ostia.* Qui latus illud Peuces, quod alias ad mare faciebat insulas, videntur non considerasse: nam si hoc quoque sumatur, ut volebat Strabo,*

- a) Ind. I. p. 557.
 b) Ptolem. ap. Casaub. nott. in Strab. L. IV p. 318, qui ostium Peuce adcolunt, Troglodytae, nominantur; qui reliqua ostia, Peucini; qui Pontum, Crobyzi.
 c) Geogr. L. VII p. 305.
 d) Sit. Orb. L. II C. VII, initio.
 e) Ap. Casaub. in not. ad Strab. L. VII p. 305.
 f) Sunt verba Eustathii ad Perieget. v. 301. v. Steph. Πέουκη, cum not. a Pinedo.

Strabo, rhombum potius, quam triquetram faciem, referet Peuce; qualis in Hasium quoque charta comparet. Hoc autem Istri alueo sublato, triangulum sane aequicrurum, litus pro basi habens, exhibebit. Ad quod certe respexerint, qui Peucen Rhodo aequalem adseruere; vti est auctor Peripli Ponti Euxini, Scholiastes item Apollonii, a) qui etymon quoque addit, vnde sit Peuce dicta, nimirum quod multas πένυκας, id est, larices ferret. Ad quod Flaccus adlusisse videtur, dum cecinit: b) *Ostia donec Danubii, viridemque vident ante ostia Peucen.* Graeci sic eam adpellarint; si tamen πένυκαι in ea erant, de quo equidem dubito: siquidem genus hoc arborum non plana, sed montes amat. Quodsi patrium vocabulum est, cantorem significabit; et id quidem non incongrue: quod Mysos et Thracas a musica Strabo quoque insigni celebrat oratione. Occupat insula Peuce, qualis apud Hasium est, alueo illo tenui, quod ad eius Naracum pertinet, sublato, XXXV M. P. in longum; in latum vero XIII M. P. Quam etsi olim maiorem fuisse, alueis postea in plures distractam partes, concedam, tamen Rhodo aequalem dicere non aulim. Haec enim longa vnum aequatoris gradum, vt in charta Cellarii est, medium lata conspicitur. Quod spatium magis illi portuoso ambitui vniuerso, quem Ister a Pruthi influxu ad sacrum ostium facit, quemque Marcellinus *figuram arcus vltimam determinare* ait, c) conuenire videtur, quam insulis, non dicam soli Peuce, sed omnibus, intra Danubii ostia comprehensis. Sed Plinium audiamus. Integram eius phrasim, quia singularis est, depromere iuuat. Ita vero ipse: „Primum ostium Peuces: mox ipsa Peuce insula, a qua proximus alueus adpellatus; XIX millia pass. magna palude sorbetur. Ex eodem alueo et super Istropolim lacus gignitur LXIII M. P. ambitu: Halmyrin vocant.“ Sacrum itaque ostium ab insula Peuce, quam adluebat, *Peuces* nomen accepit, quod etiam Ptolemaeus dicebat. De palude illa, et Halmyri lacu, nemo veterum quidquam. Marcellinus de septimo locutus erat, dum *palustri specie nigrum* d) memorasset. Ita Ptolemaeus quoque de Thiagola. Sed Plinius de sacro agit. In chartis Lotterianis alueus australis totus fere palustris est; sed, cum sit ab situ Sacri ostii longe remotus, ad Chiustenge enim defluit in mare, pro Peuce quidem haberi nequit. Apud Hasium et paludem et lacum video, sed situ longe alio, quam Plinius exigit. Existimo tamen huius verba e charta illius explicari posse. Itaque *Kulugheri* paludem, alias *Babafou*, quam Ister facit, antequam in plures diuidatur alueos, teste Zamosio quoque, e) illam credo, qua Plinius Peucen ostium sorberi dicebat; quamuis post viginti millia passuum primo diuidatur fluuius in ramos. Et mensura quidem conuenit: est enim *Babafou* palus adcurate XIX M. P. producta. Quam si non intellexit Plinius, aliam hodie quidem, quae eius congruat verbis, adsignare nequimus; nisi eam fuisse olim,

a) Ex L. III Eratosthenis τῶν Γεωγρ. ap. Casaub. in not. cit.

b) Ap. Pined. not. cit. in Steph. Πένυκαι.

c) Ponti figuram litore ibi respexit Ammianus.

d) Idem Tacit. M. G. init.

e) Ap. Bombard. Topogr. Hung. p. 370.

olim, sed postea exaruisse dicamus. Palus *Babafov* (Hafius lacum adpellat) nomen a *Baba* oppido Tatariae Dobrucensis accepit, quod Nouiodunum interpretatur Hafius. Obtinet *Baba* (alias *Babaduk*) gradum longit. 46, min. 10. latit. 45, min 26.

V. *Halmyrin* lacum Plinii facile *Karafovo Jezero*, lacum eiusdem provinciae maximum, dicere possemus, nisi is tam longe ab Istri ostiis remotus esset. Sed istud quidem, si cetera Plinii verba spectamus, non obstabit. Ait ipse, *lacum super Istropolim gigni*, et quidem LXIII M. P. ambitu. Mensura haec lacui *Kar-fouienfi* adcurate congruit: habet enim australi suo latere XXX M. P. cum semisse; tantumdem latere boreali. *Istropolim* quaeramus. Hanc *Strabo* a sacro Istri ostio, in eadem ora maritima D remouet stadiis, a) vt priori diximus capite. A *Tomis* autem stadiis CCL. b) *Tomis*, oppidum *Ouidii* exilio in primis celebre, hodie quoque nomen antiquum retinet, *Moldauis Tomis-wara* dictum, *Turcis Pangala*, *Graecis Puglicora*, vt notat *Hafius*. Obtinet gradum longit. 46, min. 1½. latit. 44, min. 6. adiacetque sinui cognomini. Huius comperto situ, videamus cetera. *Istropolis* a *Tomorum* ciuitate, secundum *Strabonem*, CCL stadiis aberat, quae *Romana* mensura efficiunt XXXI M. pass. cum quadrante. *Arrianus*, ab *Istria* (sic adpellat *Istropolim*) ἐς *Τομαίας πόλιν*, inquit, ἐσάδοι τριακόσιοι, ad *Tomaeam urbem stadia CCC*, id est, M. P. XXXVII cum semisse. Sententiam *Arriani* confirmat *hodoeporicon Antonini*, ab *Istro* ad *Tomos* XXXVI M. P. statuens, vno quam ille minus. Interuallum hoc a *Tomis* non alteri, quam hodierno *Vister* loco ad *Pontum*, in *mediterraneis* conuenit. Vsque *Carahirmen* (sic *Turcis nigra ciuitas* vocatur) quod *Hafius* interpretatur *Istropolim*, mensura haec pertingere nequit, nisi rectissimo ductu, quem *itineraria* non sequuntur. Dissensio autem *Strabonem* inter et *Arrianum* in eo sita esse videtur, quod ille via breuiore progressus est, hic diuerticula, vt fiunt hodie, exquisiuit. Nec obstat positioni huic, quod *Istropolis* ab ostio sacro D remoueatur stadiis, quae nostros LXII M. P. faciunt cum semisse. Magna enim hoc loco diuerticula sunt, maxime infra *Speram*, ob finum longe productum; quod nostrae quoque *itinerariae chartae* notant. Neque heic *Strabo* rectam intelligi voluit lineam, quae non nisi CCCL occupasset stadia, sed viam cum ambagibus; quod et *Peutingeri tabula* firmat, *Histropolim* (ita urbem nuncupat) a loco ad *Stoma* (ostio sacro) LX M. P. interuallo disiungens. c) Sic statuto *Istropoleos* situ, facile est monstrare *Halmyrin*, super *Istropolim*, auctore *Plinio*, sitam. Lacus *Karafouienfis* super *Chiustengam* est, ad occasum aestiuum XVIII M. P. remotus; qui hodie duos emittit ab oriente alueos, vnum australem in sinum urbis, alterum borealem in flumen proximum. Ad occasum *eronee*, vt memorauit, *Danubio* committitur. Sic hodie. *Plinii* tempore, potuit quamdam

a) Geogr. L. VII p. 319. Conf. *Arrian.* in not. *Casaub.* in *Strab.* l. c.

b) Ibid. Conf. *Steph.* *Τομείος*, cum notis a *Pinedo*.

c) Ap. *Cellar.* O. A. L. II, C. VIII.

dam cum Istri ostiis communicationem habere, quae sit postea impedita. His firmari quoque situs Istropoleos videtur: dum enim Plinius hanc infra Halmyrin statuit, a nobis intelligi vult, lacum ab vrbe in boream recedere, esseque inter Danubii ostia, et urbem, prout omnino est *Carasov* lacus inter haec duo positus. Halmyris, quod Graecis denotat *salsum*, urbem quoque nominis eiusdem habuit vicinam, quod e Philostorgio colligere licet, a) qui eam in Mysia ad Istrum statuit, vbi Eunomius, Arrianae factionis antesignanus, exulabat. Hierocles *Ἀλμυρίν* in prouincia Scythiae locat, in quo veteres imitatus est, qui hoc Mysiae tractu Scythas ponebant. Quid, si *Halmyris* vetus, hodie *Carsum*, siue *Kersova* est, locus ad ripam Danubii, pone lacum, cui ab se nomen impertiuit? qui olim Halmyris a lacu propinquo, qui *salsuginem* respiciebat, nuncupatus fuerit. Nescio autem, an *Salsouia* potius, quae inter ostia Danubii ab Hasio ponitur, quam *Carsum* nostrum Halmyris exponi debeat, cum vocabula idem significant. Sed maneo penes sententiam priorem: potuit enim Salsouia illa (si tamen ea suo stat loco) alia de caussa ita nuncupari, et diuerso ab Halmyride nostra existere loco. *Carsum* Hasii obtinet gradum long. 45, min. 32. lat. 44, min. 48. Et hactenus quidem de Istri ostiis. Nunc eo aduerso progredi ad eum vsque locum, quo is in plura scindi brachia incipit, ibique Darii pontem inuestigare libet.

VI. Herodoto auctore, cuius verba recitauimus iam, b) pons a Dario, in Scythas mouente, eo loci constructus est, qui *duorum dierum iter a mari aberat*, quoque *fluminis fauces, vbi in ostia scindi incipit*, occurrebant. In iter diei vnus, quale circa litora fieri consuevit, Herodotus ducena stadia ponit. c) Classis itaque Darii confectis duorum spatio dierum quadringentis stadiis, ad locum, ponti ferendo idoneum, peruenit. Stadia quadringenta, ex Herodoti calculo, quatuor quintas vnus in aequatore gradus occupant; d) ac proinde, spectata nostri eleuatione poli, faciunt M. P. LX. Progrediamur nunc aduerso Danubii ostio sacro (hoc enim Darii classem profectam existimo) hosque LX M. passus distribuamus, missoque torrente illo, quem Hasius ex *Babasov* deriuat, et angulo, in quem is influit, ad positionem graduum long. 46, min. 28. latit. 45, min. 17, contendamus. Heic vero post duos ab ingressu ostii dies, confectaue sexaginta passuum millia, consistemus omnino. Hic loci Danubius diuidi primo bifariam, tum in plures in descensu ramos, incipit. Locus huic situi proximus *Ismaeli* est, oppidum Bessarabiae, ad Istrum, vbi hic fluuium e lacu *Rosevo* accipit, in ortum a statione hac nostra M. P. II recedens. Heic Iones, Aeoles, et Hellepontii, a Bosporo Thracio, quem etiam ponte iunxerat Darius, Ponto, ac dein sacro Istri ostio deuecti, excensione facta, opus a Dario commissum, perfecere. Cum ad Istrum venit rex, iam

a) Vid. Harduin. nott. in Plin. H. L. IV, C. XIV. *Niceph. H. E. L. XII, C. XXIX.* ibid.

b) Cap. I, num. III.

c) Vid. Cl. Bayer. *Scyth. fit.* p. 78.

d) Eius enim calculus cum Ptolemaei conuenit, qui in gradum D numerat stadia. Vid. id. Bayer. a p. 78.

iam ponte a Graecis stratus erat fluuius; quo transmissio, curaque pontis credita Graecis, inter quos Miltiades quoque, Cherrhoneli Thraciae dominus non pridem factus, numerabatur, a) in Scythas abiit Darius. b) Huius pontis, ab Dario constructi, Strabone quoque meminit, cuius mihi verba non nihil obscura videntur. Haec vero sunt: c) μέγιστον δὲ τὸ ἱερόν ζόμα καλέμενον, δι' οὗ θαλάσσιον ἀνάπλεον ἐστὶ τὴν Πέουκην, ἑκατὸν ἑικοσι. ἢς κατὰ τὸ κάτω μέρος, ἐποίησε τὸ ζεύγμα Δαρειῶς δύνατο δ' ἂν ζευχῆται, καὶ κατὰ τὸ ἄνω. maximum autem est sacrum ostium dictum, a quo ad Peucen subuectio est stadiorum CXX. infra hanc, ponte litora iunxit Darius: cum possit etiam supra idem fieri. Postrema haec Cellarius reddit: d) iuxta cuius (Peuces insulae) partem occidentalem Darius pontem fecit; cum idem in orientali fieri possit. Atque istud est, quod non capio, dum ait, idem futurum quoque fuisse parte insulae orientali, quod occidua factum est. Heic enim Ister vnico decurrebat alueo; ibi, vt ipse statetur, septem diuersis. Quo idem pacto fieri potest, vnum facere pontem, et facere septem? Nisi dicamus, Istrum in septem primo diuisum ramos, postea rursus, antequam Ponto misceretur, coiuisse. Atque huius modi cum ostiis Danubium nobis exhibuit Lotterus in charta, quam de l'Isle ex Marfilii obseruationibus compilauit. Sed ego hunc in Strabone sensum non requiro: ipse enim sibi hac phrasi contradiceret; vt qui septem ostiis in mare Istrum effundi docuerit; et nemo veterum sit, qui hanc infra Peucen fluuiorum coniunctionem memorasset. Hac enim ratione non septenis, sed vno Ister in Pontum labi diceretur ostio. Neque similis Nilo dici posset Danubius, nisi diuersis mare ingrederetur fluminibus. Et qui ea Strabonis verba, cum hac opinione conciliari possent? τούτο δὲ καὶ πρῶτον ἐστὶ ζόμα ἐν ἀριστερᾷ εἰσπλέοντι εἰς τὸν Πόντον τὰ δ' ἐξ ἡς εἰς ἑὸν παράπλω τῶν ἐπὶ τὸν Τύραν. illud vero ostium primum (sacrum) est ad sinistram, Pontum intranti; reliqua sunt in litore, iuxta quod ad ostia Tyrae nauigatur. Quo modo reliqua ostia erunt in litore, si hoc vnicum Istri os diuidebat? Existimo itaque, Strabonem eo loco humani aliquid passum, vt qui docere voluisse videatur, pontem Darii infra Peucen, κατὰ τὸ κάτω, hoc est, vt equidem capio, ea insulae parte, quae ad mare spectabat, circiter viciesimum ac centesimum stadium ab ostio sacro, vbi ea insula, Strabone teste, incipiebat, fuisse constructum. Superiora enim fluminum apud Geographos dicuntur ea, quae fontes respiciunt; inferiora, quae ostia. Vt adeo sententia Strabonis sit: litora (sacri ostii) ponte ab Dario infra Peucen (ad ortum) iuncta fuisse; cum idem supra Peucen (ad occasum) fieri (in eodem ostio) possit. Quod memoriae lapsus indicat; nisi descriptores errarint, prius κατὰ τὸ κάτω μέρος, parte inferiori, quam κατὰ τὸ ἄνω, superiori, ponendo, quae versa vice poni debebant.

D 2

Sed

a) Corn. Nepos in Miltiade Cap. III.

b) Vniuersum iter eius, compendio descriptum, habes ap. Bayer, op. c. a p. 189.

c) L. VII p. 305.

d) Not. Orb. Ant. L. II Cap. VIII p. 586.

Sed nec ita fit salua opinio Strabonis: non enim in Istri ostiis, sed ante eius in ostia diuortium, pons a Dario exstructus fuit. De quo fit huc vsque dictum. a)

VII. Ab Darii ponte aduerso prouecti Danubio adusque ripas Daciae, alium, priore longe celebriorem, offendimus pontem, auspiciis Traiani Augusti in eodem flumine fabrefactum, eo tempore, quo ipse Caesar Decebalum, Daciae regem penitus erat perdomiturus, b) Daciamque, postea Traiani diuortiam, in prouincia Romanae formam redactus. Eius hoc aedificium splendoris et magnificentiae erat, vt Caesar quidem, ceteroquin maximus, semet ipsum in eo vicisse videatur; Danubius autem vniuerso sui defluxu simile non spectarit aliud. Sed ipsum auctorem, qui pontem integrum viderat, Dionem Cassium, Pannoniae olim Praefidem, audire licet. c) „ Traianus, *inquit ipse*, pontem lapideum in Danubio fecit, quem ego digne admirari nequeo. Nam etsi Traiani sunt alia opera magnifica, tamen is pons longe omnibus antecellit. Eius pontis pilae sunt XX ex lapide quadrato, (*καρπιδες λιθά τετραπέδης*) altitudine pedum LX. Distant inter se interuallo CLXX pedum, suntque fornicibus (*ἀψίδι*) coniunctae. Cuius operis sumtus licet sit incredibilis; tamen plus admirationis habet, quod haec in fluuio gurgitibus pleno, limosoque alueo facta sunt, quodque fluxus eius fluminis alio auerti non potuit. Neque vero latitudo ipsius idcirco a me dicta est, quod permagna sit (nonnumquam enim duplo, triploque maius inundat) sed quod tanta fit in eo loco angustissimo, quo tamen nullus erat ad faciendos pontes adcommo- datior. Quo in loco quanto magis flumen ex lato in angustum fluit, rursusque ex angusto multo fit latius, tanto rapidius fertur, altiusque est, vt id pontis faciendi difficultatem maxime augeat. Ex quo Traiani magnitudo animi intelligi facile potest. Is pons nobis quidem nulli est vsui (nec enim transitur) sed exstant pilae eius, ostentationis causa, quasi tantummodo factae sint, vt constet ex iis, nihil esse, quod humano ingenio effici non possit.“ Hic Dionis de Traiani ponte locus est, quem integrum transcribere placuit, in primis, quod eum e recentioribus multi non intellexerunt, et ideo conuellere adnisi sunt. Comes Marsilius, insigne apud eruditos nomen, literis ad Bernardum de Monfaucon datis, d) Dionem, magis, vt credo, Lipfii, ac Iouii commotus verbis, e) quam scriptoris

vetustissi-

-
- a) Adde pontem Constantini lign. cuius vestigia ad ostia Isker fl. in Bulgar. visuntur. Memoratur is ap. Seuerin. Pann. Ill. p. 265. Sed Theophan. ad an. 24 Constantini, Chr. 140. *Τούτω τῷ ἔτει Κωνσταντῖνος ὁ εὐσεβὴς τὸν Δανῆβιν περάσας, γέφυραν ἐν αὐτῷ λιθίην πεποίηκε, ἢ τὴς Σκύθας ὑπέταξε.* Hoc anno piissimus Imp. Constantinus Danubium traiecturus, lapideum pontem in eo construxit, et Scythas edomuit. „ De quo in Geographia Moesiae vberius.
- b) De Dacis triumphauit primum A. C. 103. Sequenti Decebalum vicit, redacta in prouinciam Dacia. V. Euseb. Chron. Oper. S. Hier. tom. VIII, p. 693 ed. cit. Plura in Geogr. Daciae.
- c) Hist. Rom. L. LXVIII. c. 13.
- d) Ap. Bombard. Topogr. Hung. a p. 304.
- e) Vid. Ioan. Molnár. de claris aedif. L. IX, C. III.

vetustissimi, traducit non satis modeste, dum aut ea omnino virum non tenuisse, inquit, quae scire historicum plane oportuit; aut adulandi studio eo abreptum esse, ut sibi parum videretur, orbi vniuerso imponere tanta, tamque mirabilia de machinae huius elegantia, atque splendida structura, praedicando; modo ea, quae principibus suis laeta nosset, et iucunda referret. Quod pronum adeo erat, ut ne palmum abesset, quin fidis his verbis inductus orbis, huic semper errori adhaeresceret. Memorat postea, se commoditate, in expeditione militari circa ea loca, usum pontis rudera detexisse, atque in opere Danubiali adcurate expressisse. Qua de re maximas ei habemus gratias; sed, quod Cassium, scriptorem insignem, tam male tractat, indignum esse putamus. Age vero! quid peccauit in sua narratione Dio? Magnificentiam, inquis, praedicando. Quam illam, sodes? Viginti columnas fornicibus iunctas, et immensam pontis longitudinem. Haec enim sunt Marfilii obiecta. Sed dic nobis, bone Marfili, vbi haec Dio scripsit? Numquid ἀΨις fornicem designat? a) Certe nobis testudo est, ἀπό τῆ ἀπρω, connecto. Scilicet, Liplius te, et rumor vulgi, non Dio, seduxit. Pilas enim fornicibus deuinctas, ut Liplius dicebat, nusquam habet Cassius. Debebas ante Graecum consulere textum (sic enim Dio scripsit) quam haec in praestantissimum historicum iacere maledicta. Quod autem immense longum oggeris pontem, id quidem inconsiderate, ne quid amplius dicam, agis. Nam, si te ipso teste, milliaris Italici vnius occupare potuit interuallum, quo modo reprobas Dionem, qui ne tantum quidem tribuit? Vniuersus pons e descriptione illius non ultra, quam 3885 fere pedes, comprehendit, quae summa dat 777 passus Romanos. Vbi vero sunt adhuc 223 passus ad huiusmodi milliare conficiendum? Sed neque censeas, hodiernum milliare Italicum, atque adeo pedes et passus, Romanae veteri mensurae paria esse. b) Quae cum te non ignorasse putem, illud miror, qui, cum amplius ponti spatium tute tribuis, Dionem minus tribuentem arguere possis? Calculum porro Dionis ita exhibeo. Spatia inter viginti pilas media, vnum supra vicena, complectuntur 3570 pedes, Romanos utique, non Italicos hodiernos. Vastam quamuis pilam, proportionem a latitudine sumta 1: 4, dicamus (non enim praesto est opus Danubiale) 15 pedes fuisse; viginti pilae cum duabus antis, quarum quaeuis $\frac{1}{2}$ pilae mensurabit, dant 315 pedes; qui superiori numero iuncti, scilicet 3570, producant pedes memoratos 3885. An summa haec milliare Italicum efficit? Profecto inique fero, virum ceteroquin doctissimum, sic aberrasse; in primis, dum pontis typum, in Traiani columna Viennae spectans probasset, quem Dio in descriptione sua adcurare

a) Interpres Dionis non bene fornices (si muratos intelligas) posuit.

b) Pes regius Paris. ex tab. Cl. Izzo Element. Geogr. p. 49, habet se ad Romanum hodiernum ut 1440: 1320. Cum ad antiquum sit ut 1440: 1306 $\frac{1}{7}$ = $\frac{2}{7}$. Venetus multo maior est ipso Parisino; Bononiensis illum quoque excedit. Hic enim ad Parisinum est, ut 1440: 1982 $\frac{1}{2}$. Ille ut 1440: 1540.

rate simul et eleganter exhibuit. Ita vero habet Marfilius. a) „ Pontem pariter, a Traiano aedificatum, cum munimentis vtroque in litore eleganter expressis (*in columna*) videre nobis fas fuit. b) Nihil autem solido e lapide constructum reperimus, praeter pilas, atque fulcra, quae opus omne fulcirent et sustinerent. Arcuum vero partes superiores, latera, pavementum ipsum, non nisi e trabibus rite iunctis, atque se se inter ordinatis, beneque firmatis compaginatum est, ea scilicet altitudine ac mole, quae pilarum magnitudini, firmitatique responderet. Quae pilae integrae, atque fere inuiolatae ad nostra vsque longe remotissima tempora, perdurarunt. (*vt vel inde praestantiam operis videas*) Sed minime sufficientes, quam vt tantae moli, amplissimis simul atque solidissimis fornibus, ab Dione tantopere ampliatis (*supprime iam ista*) sustinendis pares esse potuerint; vt abunde iuxta. et clare, ex certissimis Architectonicae regulis colligere est.“ Putas igitur, bone vir, Dionem adeo architecturae imperitum, vt non viderit, arcum, cuius basis 170 pedes occupet, duci ex lapide, pene impossibile fore, nisi immensae sit altitudinis. Praeterea suis non credidisse oculis, vt qui et pontem viderit ipsum, et columnam Traiano erectam, in qua pons ille expressus erat, sed *perspectiue* dumtaxat, vt dicimus, et parte quadam. Vnde satis demirari nequeo errorem doctissimi Montfaucon, qui inspecta Traiani columna, Dionis verba penitus reiecit, quod duos tantum ibi fornices lapideos obseruarit. Sed eniuvero nec duo sunt ibi fornices, nec ii lapidei. In figura, quam nobis Cl. ac eruditissimus vir Ioan. Molnár in suo eximio de *Illustribus aedificiis* opere, exhibuit, tres comparent a ripa meridionali columnae, e quadrato, vt scripsit Dio, lapide, cum triplici testudine non lapidea, sed lignea, vt cuique obiter inspicienti patet. Insuper, si totum in columna Traiani pontem expressum putauit Montfaucon, profecto nimiopere deceptus est: neque enim tribus columnis pars pontis maior, neque sine columnis, vt isthic signatur, consistere potuit, vt censuisse videtur Montfaucon.

VIII. Ceterum, cum et ipsa, quae in charta comparet, pontis species, elegantissima sit, eam describere duxi operae pretium esse, vt, qui typum hunc nostrum cum descriptione Cassii collaturi sunt, videant, vtrum is potius recte dixit, an qui eum aut non intellexerunt, aut etiam reiecerunt. Ad ipsam quoque proportionem pontis condiscendam, pro vnus columnae crassitie, seu latitudine, mensuram arbitrariam 15 pedum adsumo; non vtique docturus, ipsam pontis rationem in Traiani columna expressam fuisse, sed quam pons ibidem signatus ad suas habeat proportionem partes. c) Tres pilae, Danubii parte meridionali, e quadrato lapide, vt Cassius dicebat, prostant, cum laterali media, quas nominamus *antas*,

a) Topogr. Regn. Hung. I. c.

b) Huius typum vid. ap. Ioan. Molnár, Oper. cit. Tab. X n. 2. Descriptionem columnae in compendio ap. Cl. Seuerini Pann. Illust. p. 137. Nos in Geogr. Moesiae Daciaeque plura, ex ipsa Traiani columna, Morellii manu picta, promemus.

c) Columnae Traiani descriptionem vid. ap. Boxhorn. hist. p. 184. Conf. Seuerini Pann. Illust. L. III C. XX. p. 137.

antas, intervallo 23 pedum. Eminent super aquam pedes 19. His incumbit structura, lignea vniuersa, quae arcus intermedios, aequae ligneos, seu absides, fulcirent, ad 15 pedes. Duplicati vero arcuum, e vastissimo robore, comparent ordines (quo firmiter vniuersa moles consistere valeat) mira colorum varietate, artisque praestantia. Succedit stratum, totum itidem e vastissimis trabibus, cui *pteromata*, seu loricae laterales, lignis ex integro vestitae, figuris, formam crucis referentibus, mire ornatae, insunt, 8 pedum cum strato altitudine. Vtrum *agger* quoque medio, qua currus ibant, et a lateribus *decurforia*, qua pedites, exstiterint, e typo quidem hoc determinare nequimus, non aegre tamen vtrumque fuisse credere possumus. Communiter enim pontes olim glareae medio strati erant pro curribus, quod illi *aggerem* dicebant, quo pontem nostrum caruisse non est credibile. De *spondis*, seu *loricis* vix dubio locus erit, si eam 60 pedum in pilis latitudinem consideres, duplicatis ita, vt ex vtroque *aggeris* latere *decurforia* existerent iis intermedia. Nihil sane omiserit Traianus, quod ad pontis seu perfectionem, siue elegantiam spectare posset, cum sumtus ex thesauro Dacico haberet sufficientes, gloriae autem et maiestatis studiosissimus esset. Hisce de causis tecto quoque pons instructus esse poterat, cuius vestigia in Traiani columna non comparent. Hanc fuisse vniuersi pontis, supra aquam eminentis, structuram censeo. Illud enim spatium, quod ab tertia pila ad oram pontis borealem in typo absque columnis comparet, 50 pedum intervallo, ex ingenio sculptoris effectum sit, non vero, vt partem huiusmodi aliquam in ponte fuisse ostenderet. Nam, considerata etiam typi proportione, non erat possibile, vt tam longum spatium solae trabes absque columnis sustinere valeant. Praeterea pars fulcri arcus, pilae tertiae innixa, deest, eo citra dubium argumento, vt intelligeremus, non integrum haec exprimi pontem, sed partem dumtaxat, ex qua structurae totius imaginem habere possumus. Superficiem vero pontis ad finem vsque borealem productam, vt figura pulchrior euadat. Et quid vrnae illae, quae hoc vacuo pilis spatio visuntur, aliud sibi volunt, quam vt pilas eo loci construendas designent? Neque alia de causa videtur omissa antearum altera, parte boreali, quae ad symmetriam pontis certe necessaria est. Ex his iam colligere licet, quantum erraret is, qui haec vniuersi pontis typum se videre putaret.

IX. Turres adhuc binae, in ripis constructae, quae vniuersam fulciebant molem, firmabantque, dicendae supersunt. Australis 32 pedes supra pontem eminent, habens porticum in superficie, aperturis quibusdam, ad veterum morem, distinctam, cuius loricae ad 5 pedes adsurgunt. Medietas eius tantum prostare videtur; latus occidentale pedes 12, boreale 18 latum, quod columnam ad pedes 5 relinquit in latitudine. Porta in pontis aditu 27 pedes alta. Fenestra occiduo latere, in eadem cum *pteromatis* linea. Borealis aliam repraesentat figuram. Prostat murus ad pontis altitudinem, latus 24 pedes, cum fenestris duabus, excedens latitudinem pontis 13 pedes. Hic elegans ambulacrum superne habet ad 15 a pontis sine pedes; quo spatio turris adsurgit, supra hunc murum, 52 pedes, instructa superne porticu, vt prior; parte 5 pedes dumtaxat lata prostat. Cum in priori porticu arbores

borea confitae conspiciantur, in huius quoque turris porticu confitas putes; quae ponti non modicum amoenitatis conferebant. Haec est turrium, typo expressarum, structura; quae, si pontem quoque addas, an non multo excellentior sit, quam ipse eam descripserit Cassius, aequi iudices aestiment. Reliquias huius eximii operis ita Marsilius memorat. a) „ Vestigia pontis, quae vtraque in ripa ad haec vsque tempora perdurarunt, non alia sunt, quam pila vna, eaque fastigiata, in opposita (*boreali*) fluminis parte, tum alia ex parte, quae ripae obuertitur, vnus atque alter insigni altitudine murus. Dictae vero pilae solido e lapide compactae sunt, atque immodicae magnitudinis lateribus conuestitae. Quae dein machina vndique perforata conspicitur, et in crucis formam foraminibus distincta: siquidem tigna, quae arcas (*absidum*) iunxerant, et firmauerant, cum craticulata concameratione, vetustate exesa sunt. Omnēs autem pilae, quae ipso in alueo constructae sunt, vix aquis eminent; quippe fluentis, impingentisque vehementius glaciē vi, ac copia, multum diminutae, atque deterfae, adeo, vt humili modo aqua, certisque tantum in locis, non aequabilis cursus beneficio, vertice tenus conspiciere eas liceat. Ego ramen ope holidis earum aliquas examinaui, et distantiam vnus ab altera dimensus sum. Extremi pontis huius termini firmissimis operibus muniti fuerunt; - - quae, vt ego quidem mihi persuadeo (in Moesiae saltem litore) non alia sunt, quam quae Iustinianus Imperator figura quadrata, eoque in loco, vbi superiores Imperatores ea excitarunt, reparari voluit; cum paullo ante a barbaris demolitae, destrudaeque fuissent, vt pluribus refert Procopius.“ Haec est de pontis Traiani reliquiis oratio Marsilii; in qua ego non modo nihil aduersi iis, quae Cassius dixerat, comperio, verum etiam omnia mire confirmata.

X. Haec dum scribo, in manus mihi venit liber, cui titulus: *Nicolai Olahi Metropolitae Strigoniensis Hungaria et Atila*, editionis Vindobonae, quam Cel. Adam Franciscus Kollar, ex codice Caesareo, Olahi manu emendato, procurauit an. MDCCLXIII, cum notis eruditissimis. Hoc in libro, vbi Seuerinum arcem in *Banatu* memorasset auctor, b) pontis quoque Traiani meminit, adducta Cassii oratione. In quem Olahi locum doctissimus editor (cuius manibus bene precamur) succincte adducit omnia, quae huc spectare videbantur. Nos ea dumtaxat, quae ad Marsilii phrasim pertinent, proferemus. Ita vero Raimari c) de ponte hoc e *Danubio* Marsilii excerpta habent: „Locus sexto milliari Italico infra cataractam Danubii nunc Demyrcapi seu Porta ferrea, dictam, vbi cis Danubium in Seruia est Tetistam, (*Fetislan*) trans Danubium in Walachia Seuerinum et Cernez; T. I tab. 16. et T. II p. 25. seq. et Tab. 10, seqq. non vbi flumen angustissimum, rapidissimum, altissimum, gurgitibus plenum, alueo limoso, vt Dio, sed infra gurgites, (*hoc et Dionis verba, si bene aestimes, volunt*) vbi flumen lentum, latitudo

a) Ap. Bombard. Topogr. Hung. p. 309, edit. cit.
 b) L. I, C. XVII, § IV.
 c) In edit. Histor. Dionis Hamburg. 1752.

tudo fere milliaris Italici, fundus arenosus, et solidus, ad summum III orgyas altus, ibid. Ex pilis duabus vtrinque in continente residuis, et vestigiis reliquarum colligitur, pilas fuisse latitudinis III orgyarum, longitudinis VI org. numero XXIII, fornices XXII, distantia orgyarum XVI, cum dimidia; vt totus pons ad 443 orgyas porrigeretur, ibid. p. 27. est autem orgya VI pedum, aut VII Romanorum p. 28. Altitudo pontis conicitur pedum XLVIII, p. 28, seq. Solae pilae lapideae; fornices ex ligno, vt col. Traiana docet, altitudine fere VI pedum detrahendorum de dictis XLVIII. Pilarum medium constat ex lapidibus heterogeneis, qui vestiti sunt lateribus coctis, p. 29. supersunt et fortaliorum vtrinque rudera ad tuendum pontem, p. 31, seq. Haec sunt de Traiani ponte e Marfilii *Danubio Mysico* excerpta; quae, si is pontem vniuersum, quatenus exstabat, dimensus adcurate fuisset, non minimum eneuare Dionis verba viderentur. Sed quoniam aliquas columnarum dumtaxat examinari, et ex *antis*, vtrimque in ripa exstantibus, de structura et magnitudine pontis censuerit, nihil certi e sententia eius erui posse arbitrator, quo Dionis verba refelli queant. Pilae omnes, quibus moles pontis innisa fuit, ipso in fluuio haeserant, ita quidem, vt parte superiori nec viderentur, inferiori autem deminutae citra dubium essent. Vt adeo neque altitudo earum, neque latitudo certo explorari quiverit. Ex *antis* vtrimque superantibus potuit Marfilii longitudinem tantummodo pilarum, et pontis super aquam elationem eruere; cum antae non integram exhibeant pilam, sed partem dumtaxat, et basim habeant elatiorem longe, vtpote in ripa sitae, quam pilae in profluentis medio. Accedit illud, quod orgyae, quas putem Parisinas, rotundo omnes numero, vti et pedes, apud Marfilium compareant; quis autem nesciat, Parisinam mensuram a Romana veteri esse longe diuersam, adeo quidem, vt comparari sine partium designatione fere nequeant? Equidem, vt pilas 6 in longum, in latum 3 adcurate orgyas habuisse credam, induci nequeo. Sex enim orgyae Parisinae, in 36 pedes resolutae, ratione 49:54 sumta, quam pes Parisinus ad Romanum veterem habet, efficiunt XXXIX $\frac{3}{7}$ pedes Romanos; ac dimidium huius, quod pilarum occupat latitudo, 3 orgyae, pedes Rom. XIX $\frac{4}{7}$. Quorsum imperfecti hi numeri ad opus Romano dimensum pede, eoque citra dubium rotundo? Praeterea, non sibi constare Marfilium censeas eo, quod pontis longitudinem ad 443 orgias extendit, cum tamen Danubium eo loci ad milliare Italicum fere latum prodit. Si enim milliare Italicum, passibus mille, seu quinquies mille pedibus constans, ratione 49:54 aequat Parisinos 4537 $\frac{1}{7}$, seu 756 orgyas cum 1 $\frac{1}{7}$ pede, quomodo 443 dumtaxat orgiis vniuersum pontem, qui Danubii ripas iunxit, describes? Sed neque calculus 443 orgiarum sibi constat. Nam si spatium 22 fornicum, et 23 pilarum, quae latae perhibentur, addas, 454 hexapedas obtinebis. a)

XI.

a) Cl. Seuerin. Pann. Illustr. L. III C. XX p. 136 n. a. Pontem longum adferit, unde, nescio, 4770 pedes. Quae summa tamen milliare Italicum non aequet, confide-

XI. Atque Ista faciunt, vt e Marfilii descriptione, quae rudera dumtaxat, eaque admodum tenuia, a) exhibent, nefas profecto videatur Dionis verba, integrum referentia pontem, reicere, ac fugillare. Nisi hanc in priscos inuehendi libidinem, e coniectura et arbitrio cuiusuis natam, probare velimus, ac dicere, plus nos alienis videre oculis, quam prisci viderint suis; plusque dormiendo posse nos, quam ii vigilando potuerint. Sed sufficiant haec pro apologia Dionis, cui equidem plus semper hoc in genere fidei tribuam, quam vlli posteriorum. Adhuc quaedam de insigni hoc virtutis Romanae monumento, priusquam orationi finem imponamus, dicere iuuat. Duae illae turres, quae vnuerfam firmabant molem, nomina quoque, teste Procopio, habebant sua; b) alteri in Moesia *Pontes*, in Dacia alteri *Theodora*, nomen erat. Structura vniuersa *Apollodoro Damasceno* architecto surrexit. Causam, cur Traianus tantum opus molitus sit, idem Procopius adducit; nimirum aegre tulisse Imperatorem, *ὅτι ἐκ ἀπέραντος αὐτοῦ ἡ βασιλεία ἔην, ἀλλὰ ποταμῶ Ἰστροῦ ὀρίζεται*, quod non interminatum haberet imperium, sed *Istro finitum*; hoc est, vt inquit Cellarius, c) non continuum, sed maximo amne diremtum, impeditumque ita, vt ex vna parte alteri non possit facile subuenire. Tam mirabile opus inuidia successoris Hadriani destruxit; nam, vt Dio ait, *ἀφεῖλε τὴν ἐπιπολῆς κατασκευὴν*, deiecit superiorem structuram, vt solae pilae relinquerentur, quod barbari facile irrumpere possent, causatus: sed vera causa suberat, quod Traiani gloriae inuidit, quam cum superare desperaret, maluit eius magnitudini detrudere. Procopius addit, ruderibus impeditum flumen, mutasse cursum, subindeque (*αὐθις*) alueum repetiisse, vt nauigia non impedita deueherentur.

Locum pontis ad Seuerinum plerique posuerant; sed, cum hoc alii in Seruia longe supra Morauam, in Bulgaria alii prope confluentem Alutae locarent, nihil certi ad Marfilii aetatem vsque haberi potuit. Ex quo factum, vt celeberrimus vir Cellarius, reiectis opinionationibus recentiorum, solos antiquos censuerit audiendos; quorum ducatu *Pontem* statuit Aegetae inter et Aquas. Hasius, veteres aequae ac recentiores bene secutus, Egetam interpretatur *Fetislan*, in Seruiae finibus, prope quod Marfilii pontem locauit. Situs eius occupat gradum long. 40 min. 43. latit. 44, min. 44. pari *Fetislan* inter ac *Wirbicz*, loca Seruiae ad ripam, interuallo; parique fere *Seuerinum* inter ac *Bistricium*, ripensia Walachiae loca: d) ea Danubii

consideranti tamen descriptionem vtriusque, Dionis scilicet ac Marfilii, esse nimiam videtur. Sane, sin minus, certe 4200 pedibus, seu 840 passibus non amplius, censendum arbitror. Seuerinius *latitudinem* Dionis pro crassitie sumfisse videtur: haec enim ratione is calculus prodit.

- a) Iam aeuo Iustiniani, teste Procopio, nihil nisi *ἔρείπια καὶ θεμελίαις*, rudera et fundamenta videre fuit.
- b) L. IV de Aedif. Iustin. C. VI ap. Cellar. G. A. L. II, C. VIII. Conf. Seuer. Pant. III. L. III, C. XX, p. 136.
- c) Geogr. Ant. loc. cit.
- d) Ab Fetislan pons abest in Eurum V M. P. Totidem a Wirbicz in Argesten. Ab Seuerino in Notum VI M. P. A Bistricz in Corum VIII fere.

nubii regione, qua is recta in meridiem, eo longe abiturus, flectitur. Atque ista de Traiani ponte, in Danubii fluentis celeberrimo, dicta sunt. Persequamur alia.

XII. Ab hoc Istri loco, quo diutius quidem, sed non immerito, sumus morati, nihil iam ad fontes vsque occurrit, quod singularem mereatur obseruationem, si vnum a Valentiniano Augusto apud *Acincum* (hodie Budam veterem) e nauibus ac tabulato constructum pontem excipias, qui tamen, vt ille Darii, non diu integer constitit, iussu eiusdem Augusti solutus paullo post. Iuuat eius memoriam verbis Ammiani Marcellini referre. „ Agens, *inquit ipse*, a) apud Carnuntum Imperator, per continuos tres menses aestiuos arma parabat et alimenta, si qua fors secundasset, peruasurus opportune Quados, tumultus atrocis auctores: - - - praemisso igitur Merobaude cum militari peditum manu, quam regebat, ad vastandos cremandosque barbaricos pagos, comite adiuncto Sebastiano, Valentinianus ACINCVM prope castra commouit: *nauigiisque ad repentinum casum coniunctis, et contabulato celeri studio ponte*, per partem aliam transit in Quados, specularantes quidem ex diruptis montibus eius aduentum, quo plerique ancipites incertique accidentium cum suis caritatibus secesserunt.“ Ita Marcellinus. E cuius verbis Lazius Acincum vna cum ponte hoc ad Csepel insulam transferre conatus est, quem Cl. Schoenwisner egregie refellit, b) Marcellini phrasim Budae veteri adcommodans. Locum, quo hic Valentiniani pons steterit, certo terminare nequimus. Cum enim Buda vetus ad leporum insulam (si tamen ea tum exstitit) obtineat situm, quemadmodum supra, ita et infra insulam pons construi valebat. Quodsi adiuncta locorum perpendis, minus fortasse aberis a vero, si Valentiniani pontem ibi statuas, vbi Sigismundi regis in ponte lapideo construendo conatum vestigia, in Pestiensis ripa, superant. c) Est enim locus hic ponti faciundo maxime idoneus, vt quo et hodie, prouidentia diuae Theresiae reginae institutus, consistit, Valentiniani contabulato elegantior. Nihil praeterea in Istro apud veteres occurrit memoria dignum, ad eius vsque fontes; horum autem, vti et ostiorum, nomen apud antiquissimos iam, etsi non pari fortuna, celebre tamen comperias.

XIII. Herodotus, vti supra meminimus, d) *in Celtis ad Pyrenen urbem* Istrum oriri docuit. Quae, si Pyreneos intellexit montes, a vero plurimum abluere palam est. e) Eundem errauit Aristoteles errorem, dum *ex montibus Pyreneis Istrum originem sumere scripsit*. Hos imitati posteriores, adusque Tiberii aetatem Istri fontes ignorauere, teste Horatio quoque, dum sic adloquitur Caesarem: f) *Te, fontium qui celat origines, Nilusque, et Ister*, audit. Quod Aufonius repetiit: g)

E 2

Et

- a) Hist. Lib. XXX, C. V, p. 492 edit. Lips. 1773.
 b) Caldar. Rom. P. II, C. XI, not. A. p. 229, seq.
 c) Vid. ibid. p. 230 not. A.
 d) Cap. I num. VI.
 e) Est mons Rhaetiae Pireneus. vid. Topogr. Tirol.
 f) L. IV Od. XIII sub fin. p. 213 edit. Venet. 1771.
 g) In Mosella Edyll. X, v. 424.

Et fontem Latiis ignotum annalibus Istri. Strabo vti Danubii post Iulium Caesarem primus meminit, sic et originem eius clarissime designat. Inquit enim, Danubii fontes in Germaniae extremis versus occasum partibus esse, non procul a recessu intimo Adriatici sinus, a quo is CIO fere stadia abesset. Prope eam regionem, quam silua Hercynia, montesque ab ea dicti, suo includerent ambitu, originem Istri esse, ac Rheni; lacumque (Acronium) horum inter fontes situm, a) in meridiem, Istri fontium, et saltus Hercynii respectu, inclinare: vt necesse sit eum, qui e Gallia Hercynium petit saltum, prius transire lacum, deinde Istrum, ac porro per commodiora iam itineri loca, et montanas planicies, ad siluam ipsam progredi. Tiberium a lacu iter vnus diei progressum, Istri fontes vidisse. His depingit Strabo coloribus originem Danubii, quibus mihi quidem clarius nihil dici posse videtur. Iter diei, quo Istri fontes a lacu remouet scriptor, est 5 miliarium b) Germanicorum, et 25 mill. pass. Rom. spatium, quod adusque Danubium, et *Geissingen* oppidum, pertingit, sed non ad scaturiginem fluminis, quae longius in boream abit. Heic Ister maxime australis est, c) vno fluens alueo, hinc in ortum aestiuum, inde in occasum, aestiuum aequae, digressus. Atque hac posteriori via post VII M. P. attingit *Donefchingen* locum, ad quem vulgo Istri fontes ponuntur. Huius latere orientali primus fluuii torrens labitur, paullo infra mixtus ceteris, postquam V. M. P. a fonte decurrisset. Alter in occasum ad II fere M. P. recedens alueus, a Willingen oppido, in boream VII M. P. remoto, influit, orientali *Hufingen* oppidi ora. Postremus inde non nihil in austrum versus, ad II M. P. *Bruehlingen* salutat oppidum; a quo in Caurum flexens, post XV M. P. fontem patefacit maxime occiduum, sub gradu long. 25 min. 46. latit. 48. posium. d) Ager hic vniuersus Sueviae est, a borea Heluetis proximus. Itaque, si Strabonis verba cum situ Istri fontium hodierno conferamus, eum e praescis hac de re vti primum, sic et optime scripsisse fatebimur. Quod enim Plinius postea, et Auienus, dicebant, Istri fontes in Abnobaie iugis esse, obscurius est, quam vt Strabonis orationi praeferrri valeat. Neque obstat eius descriptioni mensurae diei, et CIO stadiorum, tenuitas; quod et ibi in diem plus 200 stadiis, gradu celeritatis crescente, imputari; et heic, pro ratione illius temporis geographiae, ab intimo sinu Adriae ad Lauriacum, e) minus censeari potuerit. Non enim haec tum adhuc ita explorari poterant loca, vt certae subiici mensurae quierint. Ex quo factum est, vt, quod Strabo dixerat, *Istri fontes non procul a recessu intimo Adriatici sinus abesse*; id Plinius multis *vltra Alpes millibus* remoueri postea scripserit. Ceterum,

vt

a) Geogr. L. VII, p. 289, 292. Conf. p. 207.

b) Quorum 15 in gradu.

c) Fluxum eius adusque Strigonium considerando. Post haec enim cadit profundius.

d) Vid. Chart. Heluet. Mayer. Norimb. an. 1751. Descriptio haec ab illa Dalecampii multum non abludit.

e) Hic enim Adriae proximus est Danubius, duos gradus cum 17 minutis remotus. Si 500 stadia cum Ptolemaeo in gradum ponas, non adeo multum ad CIO desiderabis.

vt et alios, de hoc differentes, audiamus, Festus Auienus, Dionysii Periegetae interpres, ita originem Istri canit: a)

Abnoba mons Istro pater est: cadit Abnobae hiatu
Flumen: in Eoos autem conuertitur axes,
Euxinique solo prouoluitur: ora per aequor
Quinque vomunt amnem.“

Ex Dionysio videtur sua Plinius desumpsisse, quae sic habent: b) *Ortus hic (Ister) in Germaniae iugis, montis Abnobae, ex aduerso Raurici Galliae oppidi, multis ultra Alpes millibus.* In quem locum Dalecampius, postquam in MSS. *Arnobam* legi memorasset, *Abnobii montes*, inquit, *Herciniae pars*, das Hessische Gebirge. *Arnoba conuenit magis loco scaturiginis, quem vocant uff der Ear. Fons eius non procul abest ab Elschingen pago. Mox ab origine recipit riuos duos, alterum die Prigen, a quo vicinus tractus Pregena dicitur: alterum die Pregen.* Ptolemaeus c) *Abnobam* τὰ Ἀβνοβα ὄρη nuncupauit. Marciano Ἀδάλαις, *Adula* dicitur, Heluetiae mons, in quo Rhenus capit originem. Cui accedit Ammianus, d) *Danubium oriri perhibens prope Rauracos montes, confines limitibus Rhaeticis*, qui vna cum *Adula* infra lacum *Acronium*, siue *Brigantium*, erant. e) *Abnobam* auctor *Indicis Geographici Europaei*, interpretatur *Koltenberg*, f) ad siluam nigram, vulgo *schwarz Wald*, quae est *Hercinia*. Marfilius, testis oculatus, *Danubii fontes* in Heluetiae alpibus statuit. g) Et, ne patriae scriptores praeteriisse videamur, *Olahus*, Archipraeful *Strigonientis*, vir inter aetatis suae doctissimos non postremus, ita scribit: h) *Danubius circa siluam Herciniam, siue Nigram, non longe a pago Duenschingen in Rhetia, Sueviae finitima, in planitie fontem habet, duobus, vt dicitur milliaribus a Rheni ripa distantem.* In quem *Olahi* locum *Celeberrimus Kollar*. „ *Veros Danubii fontes, inquit, haud quidem, vti creditum est haecenus, Don-Eschingae tantum, sed alibi etiam quaerendos, integro tractatu, qui Fons Danubii primus et naturalis, inscribitur, docuit M. Franc. Wilhelm. Breuniger, Tubingae A. 1719, 8uo.*“ E tribus, quos memorauimus, *Danubii fontibus, naturalis* is esse videtur, quem nos maxime occiduum cum poli eleuatione diximus; qui tamen a *Rheni ripa* longius, quam duobus, abest milliaribus: certe in Heluetiae tabula, 5 Germanicis abest. Haec de Istri fontibus.

XIV. Ex iis, quae in Istro sunt apud veteres memoratu digna, pisces quoque non postremum sibi locum vendicare videntur. Aristoteles de pisce, quem τριχαιον adpel-

a) Descript. Orbis v. 437.

b) Lib. IV, C. XXIV, p. 156, seq. ed. Hard.

c) Geogr. L. II C. 11, ap. Hard. not. in Plin. L. IV, C. 24.

d) Hist. L. XXII, C. VIII.

e) Vid. chart. Cellarii, Koeleri, cet.

f) I. H. Stefens, Cell. 1768.

g) Ap. eumd. Stefens v. *Danubius*.

h) Hungariae L. I, C. IV, § II p. 14 edit. Vindob. 1763.

adpellat, a) differens, οὗτοι μόνοι, αἰτ, ἀναπλέσιν εἰς τὸν Ἰστρον, εἴθ' ἢ σχιζέται, καταπλέουσιν εἰς τὸν Ἀδρίαν. *Hi soli (trichaei) subeunt Istrum; deinde, vbi hic scinditur, innatant in Adriam.* Quod cum legeret Plinius, memor, nullo Istrum in Adriam ferri alueo, vt Philosophi verba non reiecisse videatur, venis Istri subterraneis trichias in Adriaticum defluere finxit. Haec est oratio illius: b) *Intrantium Pontum (ex Aegaeo et Propontide) soli non remeant trichiae. - - Hi soli Istrum amnem subeunt: ex eo subterraneis eius venis in Adriaticum mare defluunt: itaque et illic descendentes, nec vnumquam subeuntes e mari visuntur.* Hi trichiae, fortasse a τριχί pilis ita nuncupati, apud recētiore, qui de piscibus Danubii meminere, non occurrunt. Onomastici similem *haleci* dicunt. Alii, quos Harduinus hallucinari ait, *sardinam* interpretantur. Plinius eam, vti lupum, et faxatiles omnes, bis anno parere scribit. c) Si quis trichiam *murenæ* genus dicat, fortasse a vero non ita procul aberit.

Alter in Danubio piscis, cuius meminit Plinius, d) *Silurus* est, *Barbonem* dicimus hodie; scriptores, qui de animalibus tractant, e) *Silurum Glanidem*; Illiriis audit *Szom*; Hungaris *Hartsa*. Sic autem de eo Plinius: „*Silurus grassatur, inquit, vbicumque est, omne animal adpetens, equos natantes saepe demergens. Praecipue in Moeno Germaniae amne protelis boum, et in Danubio marris f) extrahitur, porculo marino simillimus: et in Borysthene memoratur praecipua magnitudo, nullis offibus, spinisue interficis, carne praedulci. In Gange Indiae plantanistas vocant, rostro Delphini et cauda, magnitudine autem XV cubitorum.*“ Nescio, vtrum hac mole in Danubio sit compertus. Certe Cl. Szentiuanius non nisi septem ad summum cubitos ei tribuit; g) sed maiores quoque dari, non dubitem: cum in tenuioribus Danubio fluuiis, vti Drauus est, tanti comperiantur. An et mare *Silurum* alat, Plinius non memorat. Videtur ex oratione huius, piscis esse fluuia-

a) Hist. Animal. L. VIII ap. Casaub. nott. in Strab. L. I, p. 57.

b) H. N. L. IX, C. 20.

c) Hist. Nat. L. IX, C. 74. edit. Berol. 1766.

d) L. IX H. N. C. 17.

e) V. Linnaeum, et ex eo Piller. Elem. H. N. Anim. p. 49 ed. Bud. 1778.

f) Hunc Plinii locum respexerit Olahus, Hung. L. I, C. IV, § II, scribens: „*Pestostia (Danubii) Antacei* pisces, quos Plinius *Mariones*, nunc vulgus *Vzones* adpellat, creduntur in aduersi Danubii alueum, ex Ponto adscendere, fere Pofonium vsque.“ Codice corrupto vsus fuerit vir doctus, in quo pro *marris* legerit *mariores*: nulli enim in vniuerso Plinio occurrunt *mariores*; et locus ipse Plinii, de *Siluris* agens, opinionationem hanc refellit. In onomasticis quoque eundem legas errorem. Miror, doctissimum Kollar istud non vidisse.

g) Dissert. VI Curiosor. de Piscib. § XIII. vbi characteres *Barbonis* eleganter descriptos legas. Germanis *Wels*, vulgo *Scheide*.

fluuiatilis. Nostri Zoologi Silurum in ea piscium classe reponunt, qui alas in abdomine habent. De eo sic doctissimus Molnár: a)

Tercentas libras *Glani* saepe atque *Siluro*,
(Nomen utrumque gerit) piscator inesse fatetur.

Aelianus de piscibus, qui in conglaciato Istro capiuntur, agens, *Antacaeum*, Plinio ignotum, memorat. Iones ἀντακῆιον, pro ἀντακῆιον, quali ἀντακῆιον, pseudocetum, adpellant, quod esset κήτες γένος, ceti genus. Zoologi, qui de piscibus commentantur, antaceum hunc praetereunt, idcirco forsitan, quod iis minus notus esset. Doctissimus Szentianius, qui de animalibus patriae singularem edidit commentarium, ita de pisce hoc: b) „*Antaceus*, Hungaris Tok (*Illyriis quoque, Germanis Dick*) est piscis cartilagineus. Pro natalibus habet mare, sed mira voluptate subit amnes. (propter aquae dulcedinem) Cum ad certam magnitudinem excreuit, squamas hispidas abiicit, quas per quinque ordines dispositas gerit, in summa scilicet spina dorli, ex utroque latere geminas, extremus ordo primas attingit. Paruos habet oculos, pro tanta mole corporis. Os in parte supina, illudque ad lineam obliquam, pro aperto vasto illo hiatus, deuorat pisces. Tergum habet albicans, et lanosum. Differt ab *Hufone*, et a *Sturione*. c) Pondus illius subinde ad XXV libras adscendit. Capitur in Danubio in Hungaria.“ Aelianus antaceos in conglaciato Danubio capi teneros ait; ἐπει ὅτιγε μεγάλοι, καὶ προηκοντες τὴν ἡλικίαν, γένοιτο ἀνὰ κατὰ θύνου τὸν μέγιστον, qui postquam magni et anno si sunt, euadunt thynnus magnitudine proximi, ac etiam superiores. d) At in Danubio quidem nostro tam grandes non reperias; etsi XXV libris saepe grandiores.

XV. *Thynni*, quos heic Aelianus memorauit, singularem Danubii piscium classem efficiunt. Zoologi nostri *Hufones* adpellant, (*Illyriis moruna* est, Hungaris *Viza*, Germanis *Hausen*) et in amphibiorum censum, quod per pulmones respirant, conferunt. De thynnus multa Plinius, e) plura Szentianius. f) Ex utroque pauca referre libet. Ille, *Thynni mares*, inquit, sub ventre non habent pinnam. *Intrant e magno mari Pontum verno tempore gregatim, nec alibi fetificant. Cordyla adpellantur partus, qui fetas redeuntes in mare autumno comitantur: Limosae vere, aut e luto Pelamides incipiunt vocari: g) et quum annum excessere*

a) Zoologicon P. III p. 48, edit. Bud. 1780. Conf. Piller. l. c.

b) Dec. III Curios. P. I, Differt. VI, § XIII.

c) Vt e caracteribus horum colligas, rostro in primis ac squammis. Plures triplex hoc piscium genus confuderunt. *Olahus* Hung. L. I C. XVIII; § VI. eumque secutus *Bel* in Comp. Geogr. Membr. I § XX, *Tok* et *Ketsege*, pisces Hungaris diuersos, *Sturionem* interpretantur. Sed nec onomastici conueniunt.

d) Aeliani locum vid. ap. Casaub. nott. in Strab. L. VII p. 307.

e) H. N. L. IX C. 18, 19, 20.

f) Differt. VI § IX ac XIII.

g) *Olahus*, et ex eo *Belius* l. c. *Pelamidem* ab *thynno* distinguunt; vel potius cum *antaceo* et *sturione* confundunt; male utique.

excessere tempus, thynni. -- *dextra ripa intrant, (Pontum) exeunt laeva. Id existimatur accidere, quia dextro oculo plus cernant, utroque natura hebet.* a) -- *Captura eorum est a Vergiliarum exortu ad Arcturi occasum: reliquo tempore hiberno latent in gurgitibus imis, nisi tepore aliquo euocati, aut pleniluniis. Pinguescunt et in tantum, ut dehiscant. Vita longissima his biennio.* b) Hic vero Husonem ita describit: „Est piscis absque omni squamma, caret quoque spinis. Ossa in capite habet multa, in cetero corpore fere nulla. Excrefcit aliquando ad longitudinem XXIV pedum. Loco spinae dorsi inest illi cartilago, quae foramen habet magnum a capite vsque ad caudam, quasi terebello perforatum, atque haec, dum salitur Huso, eiicitur, alias enim salitum Husonem faciunt computrescere. Gaudet terra argillosa. Husones in Danubium, (per 150 milliaria) c) et Tibiscum adscendunt ex Ponto Euxino; (sub autumnum) neque tamen ultra Hungariam progrediuntur; capiuntur autem potissimum in autumno, idque in certis dumtaxat Danubii vel Tibisci locis. d) Est piscis timidissimus, quique vel aduersus minimum pisciculum se se defendere, vix possit, quin statim in fugam se vertat. A Sturione maxime exagitur, qui eum e latibulo eiicit, fugientemque insequitur.“ Zoologi nostri hunc ex ovo in fluuiis nasci perhibent, adolescere in mari, ac rursus in flumina redire. Ita quippe ex Linnaeo Cl. Molnár: e)

- - - - - nostri Huso Acipenser
Gloria Danubii primum isthic occupat agmen,
Nascitur in fluuiis ex ovo. Paruulus exit
In mare, moxque redit, postquam incrementa recepit.

Contra vero Szentianus, Plinium secutus, thynnos in mari fetificare docet, f) ea de causa, quod in Ponto loca ad pariendum aptiora essent, et aqua potius lentior, ideoque magis idonea ad prolem educandam. Insuper, quo tempore thynni (sic adpellat thynnos) g) e Ponto egrediuntur, capi proles eorum paruas in mari, non item in Danubio, quod ibi, non heic, suos deponunt fetus.

Thynnos capiendi rationem, quae apud Hungaros, cum ii florerent, in vsu erat, quia singularis est, heic Olahi verbis describere libet. „Inter Taurunum, inquit ille, h) et Posonium ciuitatem, sunt pleraque loca in Danubii alueo, vbi aqua est et altior, et vorticofior. In his Antacaei (Husones dicere volebat) ha-

bent

- a) Plura de his vid. ap. Szentiv. Diss. c. § IX. vbi hunc Plinii locum ex Aristoteli L. VIII Hist. Anim. C. 13, illustrat, ripam dextram (Danubii) Pontum intrantibus tangi, egredientibus laeuam, perhibens.
- b) Vid. Id. ibid. plura de thynnibus differens.
- c) Differt. VI § IX.
- d) Nobis *Tanya* dictis. Vid. Cl. Kollar not. in Hung. Olahi L. I, C. XVIII, § VII.
- e) Zool. P. II, § IV, p. 45. Conf. Piller Elem. H. N. A. p. 45.
- f) Differt. VI § IX.
- g) Graecis *θύνοος*, a *θύω* ferueo; quod circa ortum canis aestu agitur.
- h) Hung. L. I Cap. XVIII, § VII.

bent suum veluti diuersorium. In mense Nouembri, antequam glacies adpareat, trabibus tota Danubii latitudo, paribus interuallis compingitur, relicto in medio ipsius aluei loco vacuo, qui nassa, vel reti, ad id parato, communitur. Infra trabes, piscatores ex nauticulis sua tendunt retia. In ripis interim Danubii, iaculationibus machinarum, veluti tonitrua emittuntur, quibus Antacaei ex suis latebris exciti, et vi quoddammodo expulsi, Danubium circumnatant, quos postea piscatores, in retia delapsos, tam facile ad ripas trahunt, vt nihil oneris sibi adesse sentiant. Nonnumquam in loco et piscatione vna, Antacaei, demtis aliis minoribus piscibus,prehenduntur, ad numerum mille et vltra. Ex quibus reperiuntur non nulli duodecim, et vltra, pedum longi.“ In hanc Olahi periphrafin Cl. Kollarius haec notauit: „ Compendiosior hodie Antacaeorum est captura, *inquit*. Neque enim vel depactis trabibus, vel machinarum tonitru, opus habent, ad proliciendos eos, piscatores. Satis est, designatam Danubii oram, quam Hungarice *Tanya* vocant, a stipitibus repurgatam habere, vt et iaci, et subduci sine offensa, retia possint.“

Plinius, de mirabilibus aquis differens, meminit piscium quorundam in Danubio circa fontes, qui sint in cibo mortiferi. Haec sunt verba illius: *a) Ctesias in Armenia scribit esse fontem, ex quo nigros pisces illico mortem adferre in cibis: quod et circa Danubii exortum audiui, donec veniatur ad fontem alueo adpositum, vbi finitur id genus piscium. Ideoque ibi caput eius amnis intelligit fama. Sed hi quipem pisces hodie non amplius comparent. Iam fluuios in Istrum lapsos censere iuuat.*

C A P V T I V.

Ostia fluuiorum, in ISTRVM labentium, et huius magnitudo.

I. **F**LUVIOS, Istrum illabentes, Plinius LX esse dixit, medio ferme numero nauigabiles. *b)* Quod Ammianus repetiit, Istrum sexaginta nauigabiles pene recipere fluuios, scribens. *c)* Neuter autem fluminum hanc recensuit seriem. Nos, quorum prisca meminere, describemus, initio a fontibus, vbi cessatum paullo ante, accepto. Veteres, quorum geographica exstant opera, nullius fluuii ante Isaram, seu

a) Lib. XXXI H. N. C. XIX.

b) H. N. L. IV, C. XXIV.

c) Hist. L. XXII, C. VIII.

seu Ifargum, mentionem faciunt. A posteriore vno, Pedone Albinouano, memoratur *Ilargus*, a) carmine huiusmodi:

*Rhenus, et Alpinae valles, et sanguine nigro
Decolor infecta testis Ilargus aqua.*

Defluebat is per Vindelicos, ortus e montibus, Brigantino lacui contiguus; illapsus in Danubium ex aduerso Vlmae oppidi, CII M. P. ab Istri origine, ductu rectilineo. Accolis hodie *Iler* dictus.

Ab Ilargo ad XVI M. P. ex iisdem Vindelicis, influit *Guntia*, cuius memoriam seruauit Eumenius, in Constantii Panegyrico, b) scribens: *A ponte Rheni ad Danubii transitum Guntiensem, deuastata atque exhausta penitus Alemannia.* Hodie *Günz* nuncupatur, vnde loco etiam, ad ostia illius, *Günzburg* nomen.

Tertius *Licus* est, ortus in alpibus Rhaeticis, medios fere, longo tractu, praeterfluens Vindelicos, Istrum ad XLII a priore lapidem petit. Fortunatus Venantius, de S. Martino agens, ita de flumine hoc: c)

Pergis ad Augustam, quam Vindo, Licusque, fluentant.

Quod Paullus Diaconus, post Venantium, de eodem itinere scribens, d) ita expressit: *Ad Briones, et Augustam ciuitatem, quam Vindo et Lech fluentant, iter fuisse*, Martino. Hodie quoque, vti Paullus dixerat, *Lech* nuncupatur accolis. *Vindo Vertach* audit, Lico ab occasu ad Augustam illapsus.

Post hunc ad LXIII M. P. *Nabus*, seu *Nauus*, e Germaniae Hermunduribus progressus, apud Regina Castra, hodie Regensburg, Danubio miscetur, postquam Nariscos secuit medios. Idem poeta Venantius *Nabi* meminit, quem is *Nablin* adpellat. Sic enim in Regis Sigeberti et Brunichildis epithalamio canit: e)

Quem Nablis ecce probat, Toringia victa fatetur.

Nostris *Nabo* est, borealem Bauariam mediam secans. Proximus huic ad orientem *Reginus*, fortasse ab castris Reginis, quorum Notitia Imperii mentionem facit, f) sic nuncupatus, sed cuius vestigia apud antiquos non reperias. Ceterum *Regen* et hodie vocari. Ab hoc Nariscorum amne adusque Marum Quadorum, longissimo scilicet ripae borealis tractu, nullum est deprehendere fluum.

II. In australi Danubii ripa, a memorato Nabo ad LV milliare, ostium *Isarae*, cuius et Strabo facit mentionem, occurrit. Cellarius autumat *Ifargum* etiam dici posse ab *Ifarcis*, alpino populo, quos inscriptio de Gestis Augusti, cum Breu-

nis

a) Eleg. ad Liuiam v. 385.

b) Cap. II. Vid. Cellar. O. A. L. II, C. VII.

c) Lib. IV.

d) Lib. II Gest. Long. C, XIII.

e) Lib. VI Carm. II.

f) Sub duce Rhaetiar. Itin. Ant. et Tabul. Reginum, Regensburg, sed in Vindeliciis.

nis ac Genaunis coniunctos, apud Plinium exhibet. a) At Isarcos Plinii varie sunt interpretati eius scholiastae. Strabo vnus hic audiendus. „ Supra Carnos, inquit, b) Apenninus mons situs est: is lacum habet exeuntem in Isarum: (*Xylander male Isaram*) qui alium fluuium Atagin recipiens, in Adriam effluit. Ex eodem lacu alius fluuius Atefinus in Istrum exit.“ Vbi etsi praepostere locutum videam Strabonem, c) sententiae tamen Cellarii adferri nequeo, *Isarum* Geographi alium esse ab Isaro Vindelico adferentis, d) vtqui Danubium petat, cum ille in Adriam deferretur. Etenim, Isarum pro Atefino Strabonis pone, et locum huius emendatum, et ex eodem scriptore *Isarum* habebis Vindelicum, Atagisque iunctum Athesi (quem Strabo *Αθησιών* dixit) in mare Adriaticum effundi videbis. e) Isarus adcolis audit *Isar*. In eum ab occasu *Amber*, hodie *Ammer*, influit, quem ex Antonini hodoeporico ita Cellarius nuncupat, f) quod itinere ducto ab Lauriaco, inter Ilinscam, oppidum prope Isarum, et Augustam ponit *Ambre*, aut fluuium quempiam sic vocatum, aut locum huius nominis, *Ambro* fluuio proximum.

Ab Isaro ad XXXIII M. P. *Aenus* est Ptolemaei, g) ac Taciti. h) Apud Antoninum quidam legebant *Oenum*, ad vinum forte respicientes; sed refelluntur e codicibus aliis adcuratoribus, quam ii Schotti et Bertii fuerint. Ortus hic in extremis Rhaetis, longo tractu montes inter, ac filuas progreditur, Noricos a Vindelicis diuidens, Istroque ad *Bataua castra*, quae in *Passauiam* abiere postea, se se iungens. Ptolemaeus, vbi Norici fines describit, ita de flumine hoc: *Τὸ Νωρικὸν περιόριζεται ἀπὸ μὲν δύσεως Αἰνῶ ποταμῶ. ἀπὸ δὲ ἄρκτων, μέρος τοῦ Δαυεβίε τῶ ἀπὸ τοῦ Αἰνου ποταμῶ μέχρι τοῦ Κετίε ὄρους. Noricum circumscribitur ab occasu Aeno fluuio: a septemtrione parte Danubii, quae ab Aeno est ad Cetium montem.* Tacitus autem, *Sextilius Felix*, inquit, ad occupandam ripam *Aeni fluminis*, quod *Rhaetos Noricosque interfluit, missus*. Strabo huius non meminit. Adcolis hodie *Inn* vocatur. In eum *Iuuauus* Norici fluuius incidit, cuius veteres quidem non meminere, tamen, quod *Iuuauiam*, siue *Salzburg*, antiquis iam cognitam praeterlabitur ciuitatem, vt postea *Salzburg* a fluuio *Salza*, sic olim *Iuuauiam* ab *Iuuauo* nuncupatam arbitrantur quidam iuniorum.

Anafus, siue *Anifus*, ab Aeno ad LVII milliare influit, magis media, vt aiunt aetate notus, quam veteri. Neque enim alibi, praeterquam in *Sanctorum Aëis*,

F 2

- a) Hist. Nat. Lib. III C. XXIV. Conf. Cellar. O. A. L. II C. VII.
 b) Geogr. Lib. IV, p. 207. vbi τὸ Ποίνηνον ὄρος Poeninum legit Casaub.
 c) Id et Casaub. in nott. obseruat.
 d) Orb. Ant. L. II, p. 518. Simile quid censuit Casaub. nott. Strab.
 e) Quis Strabonis L. IV p. 207 sit Δούρας *Duras* et Κλαυνης *Clanes*, e montibus supra Vindelicos in Istrum fluentes, ignotum est. Arbitrabimur in Geographia.
 f) Loco mox citato. Conf. Ind. Geogr. Eur. v. *Amber*.
 g) Cosmogr. Lib. II C. 13, seq.
 h) Hist. L. I C. 5. conf. Cellar. II. cc.

Adis, haec eius occurrit mentio. Aevo Caroli M. terminum Boioariae et Hunnorum regni, Anisum fuisse, constat e scriptoribus aetatis illius. a) *Ens* hodie fluvium dicunt, Danubio ad oppidum eiusdem nominis immersum.

Post Anisum XXX M. P. intervallo *Ists* adest, cuius Peutingeri Tabula meminit hac phrasi: *Elegio XXII. M. P. ad ponte ISES. Hodie Ips nuncupatur, Istro mixtus loci cognominis latere orientali.*

Inde ad VI M. P. *Arlape*, a quo locus, in itineribus a Sirmio et Tauruno Lauriacum obuius, nomen accepit. b) Tenuis aequae, ut prior. Tabula ad VIII a ponte *Ists* milliaria locum remouet, sed mendose scriptum *Arelate*. Adcolae flumen *Erlaph* dicunt.

Haecenus in ostiorum distantis chartam Homanni c) secuti sumus; nunc limites Hungariae petaturi, sequemur Hasium ad Istri usque in mare defluxum.

III. Nullus in vtraque Danubii ripa ad totos CII mille passus occurrit apud veteres fluuius; haec autem dextro quidem latere vnus, laeuo tres, non minus hodie, quam olim, insignes, comparent. Ex his vnus, dicto ab *Arlape* CII M. P. intervallo, *Marus*, Plinio, Tacitoque notus, quem et hodie *March* Germani, Slavi *Morauam* adpellant, per *Quados* lapsus, Danubium paullo infra Carnuntum ingreditur. Taciti, de Sueuis patria extorribus, haec sunt: d) *Barbari - - ne quietas (Italiae) prouincias immixti turbarent, Danubium vltra, inter flumina Marum et Cusum locantur, dato rege Vannio, gentis Quadorum.* Plinius autem de eodem Vannio locutus, ac Maro fluuius, sic habet: e) *A Maro, siue Duria est, a Sueuis regnoque Vanniano dirimens eos, (de Sarmatis, Dacisue dixit antea) aduersa Basternae tenent, alique inde Germani.* Quid hic Duria sibi velit, nemo interpretatus est, ne ipse quidem Seuerinius, qui de incolis prouinciae huius singularem edidit commentarium, et hoc Plinii loco vsus etiam est. f) Nisi is Granua sit, Cusus erit fortasse. Ostio Mari oppositum est Haimburg oppidum, quod nonnulli *Carnuntum* arbitrati sunt, cuius rudera in Petronellae agro superant.

Dextra Danubii ripa ad XL a Maro lapidem, Pannoniae fluuium *Arabonem*; Ptolemaeo *Αραβώνα*, g) Tabulae *Arrabonem*, habemus; qui hodie per aphaeresin *Rabo*, vel *Raba*, nuncupari consuevit. Et in Tabula quidem, itinere ripensi, a Flexo

a) Annal. rer. gest. Carol. M. conf. Eginhard. vit. Carol. M.

b) Sic dicere consueui, quod ante fluuios, quam vrbes, fuisse arbitror.

c) *Imperii Rom. Germ. in suos Status et Circulos diuisi.* Inserta est Atlanti scholast. an. MDCCCLIII. In Geographia D'Anuilleanis vsi sumus.

d) Annal. L. II C. 63.

e) Hist. N. L. IV C. XXV.

f) Comment. Incol. Cis-Danub. C. II § 1.

g) Cosmogr. L. II C. XVI. In quibusdam edit. *Ναραβώνα Narabonem* legas; ut Basil. 1533. ostium eius Ptol. L. II C. XV ponit sub gt. long. 41, o. latit. 47, 40.

Flexo legitur: *Stailuco M. P. XII. Arrabo fl. XXX. Brigantio.* a) Limes hic erat Pannoniarum duarum, teste Ptolemaeo, ita scribente: *Pannonia inferior terminatur ab occasu superiori Pannonia, a diuertigio Arabonis fluvii.* Huius in Danubium defluxus apud cognominem est ciuitatem, quam et hodie Germani *Raab*, Hungari mutato nomine *Győr*, Latini *Iaurinum*, adpellant. Deinceps ad fluum vsque Drauum, dextro Danubii latere, nullum apud veteres fluminis genus offendas. b)

Laeua porro Danubii ripa, ad XLVIII a Mari ostio milliare, Cusus adest, cuius ante mentionem fecimus. *Wagum* nostri compellant, ortum in Carpaticis, collimitio Poloniae, inque Istri alueum, qui *Schütt* insulam efficit, X M. P. supra Comaromium decidentem.

Inde ad XXXV M. P. *Granua*, Quadorum fluuius, teste Mar. Antonino, c) retinens et hodie nomen, eoque Danubii flexu mixtus, quo hic in austrum conuersus, longo progreditur spatio. Contra ostium Granuae, in ipso Danubii angulo, *Strigonium* est, Germanis *Gran*, a flumine. Hic *Duria* Plinii fuerit. d)

Toto Iazygum Sarmatarum agto nullus adest, qui in Danubium ferretur, fluuius, adusque Tibiscum. e) Ante hunc latere dextro sunt Drauus, et Valdafus.

Drauus, ab ostio Granuae CLXXV M. P. remotus, originem in alpibus Noricis, Plinio teste, f) accipit, ac per Serretes, Serrapillos, Iasos, Andizetes lapsus, ad XII a Mursa lapidem Danubio miscetur. Strabo primus, et idcirco non mirum, erronee, Draui meminit. g) Ait enim: Κορκόρας - - εις τὸν Σάουον ἐμβάλλει, ἐκεῖνος δ' εἰς τὸν Δράβον, ὃ δὲ εἰς τὸν Νόαρον, κατὰ τὴν Σεγεστικὴν, *Corcoras - - in Sauum influit, Sauus in Drabum, hic in Noarum, apud Segesticam.* Quem errorem Plinius dedocet, h) ac Ptolemaeus, distincta vtrique flumini tribuentes ostia: ille Draui ostium ab ostio Sauri CXX M. P. remouendo, hic diuertigium Draui sub gradu long. 44, min. 20. lat. 45, min. 40. ponendo; Sauri autem sub gradu long. 45. o. lat. 44, 30. Draui hanc Ptolemaeus reliquit memoriam: i) Τὸ κατὰ τὴν ἐκτροπὴν τοῦ πρὸς δυσμᾶς ἐκτεινομένου, ὃς διὰ τῶν δύο Παννονίων ἐρχόμενος, καὶ χωθεὶς κατὰ Καρρόδενον πόλιν, ὡς ἀντὶ τὸ Κέτιον ὄρος. κατὰ τὰ

-
- a) Bregetium hoc est, XXX M. P. Arabone, etiam Itin. Anton. teste, remotum.
 b) *Vranum*, quibusdam *Sárviz*, alibi quaeremus. Peiso lacus fuit, cuius nominis alueo in Istrum deriuatus, prisca non memorant. De vtroque alibi.
 c) In περι εαυτοῦ L. I. ἐν Κεάδοις πρὸς τῶ Γρανέα, in *Quadis ad Granuam*.
 d) Vid. Geogr. Daciae, vbi haec aliter digesta.
 e) Geogr. Dac. ex Iornande memorabimus quosdam.
 f) H. N. L. III, C. 28.
 g) Geogr. L. VII, p. 314. Miror, nihil ab Casaubono de hoc errore dictum.
 h) H. N. l. c. Conf. nott. Hard. a. *Draus*.
 i) Cosmogr. L. II C. XVI.

τὰ μὲν τὸ ἀρκτικώτερον μέρος καλεῖται Σαούσιος, a) κατὰ δὲ τὸ μεσημβρινιώτερον Δάρος, ὃ παρὰ τῶν βαρβάρων νῦν Δᾶριν καλούμενος. Quod iuxta diuertigium est fluuii ad occasum extensi, qui per geminas Pannonias fluit, scinditurque iuxta Carrodunum ciuitatem, quasi aduersus montem Cetium, vocaturque ille, qui iuxta septemtrionalissimam partem est, Sauius, (alibi Sauarias legitur) qui vero iuxta meridionalissimam, Darus, qui nunc a Barbaris Daris b) vocatur. Hodie Drauam dicimus adcolae.

Valdasi vnicus meminit Plinius, c) agens de Sauo, et fluuiis in eum lapsis. d) Quem vbi memorasset Danubio apud Taurunum misceri, supra, ait, influunt Valdasi, e) Vrpanus, et ipsi non ignobiles. Hunc Plinii locum sic exponit Harduinus: „Supra Saum, Draumque. Valdasius, nunc Volpo, inter Saum, Draumque, Danubio se immiscens: supra Draum Vrpanus, nunc Saroietz.“ Quidquid de Vrpano sit, quem *Sárvič* plerique sunt interpretati, ego autem *Verbas*, fluuium Bosnae arbitror; certum sane mihi videtur, Valdasi a *Valkone*, celebri aetate media fluuio, hodie *Vuka*, non fore diuersum. f) Et plurimi quidem, qui veterem tractauerunt Geographiam in eo conueniunt, sed fluminis ostium perperam in Drauo signant, vti Cellarius, Koelerus, et alii. Distat Valdasi ab diuertigio Draui XVI M. P. oppidum *Vukovár* ostio bifariam secans.

IV. In boreali Danubii ripa, ab ostio Valdasi ad LXIII M. P. *Tibiscus*, Daciae fluuius, antiquis celebratus, occurrit. Nomen, a Ptolemaeo inditum, *Τιβισκος*, et hodie retinet. In veteri quadam inscriptione, g) *Tibissus* audit. Rauennas anonymus *Tibisiam* dixit. h) Plinius *Pathissum*, i) quod et hodie per aphaerensin *Thissum*, seu *Tiszam*, adcolae nuncupant. Ammiano Parthiscus audit; k) cuius

a) Quidam *Σαυαρίαν* legunt, v. Cellar. O. A. L. II C. 8, p. 548. Sed in codice, quo vsus sum, Basileensi, Graeco, an. 1533, ita penitus *σαούσιος*, *Sauios*, comparet. Quodnam rectius, arbitramur alias.

b) Interpretes communiter *Daram* heic ponunt; vtrum ex graeco *Δᾶριν* bene, ignoro. Ceterum apud veteres *Draum* quoque dici videas, vti in Plinio nonnulli ante legebant. V. Cellar. l. c. An autem Iustinus Draui meminerit, quod Index Geogr. Europ. vult, nescio: certe L. XXXII, C. 3, non comparet Drauus, sed Sauus et Danubius.

c) Hoc scilicet nomine: nam ad nostrum magis sonum, Dio L. LV, *Volceas paludes*; Tab. Peut. pont. *Vlae*. Hinc Ennodius Paneg. Theod. *Vlca tutela Gepidarum*. Ex Latinis quidam, vt Aur. Viçt. *Hiulcam*, ad sonum latinum propius, dixere; ita quidem iste habet, sed ex Zosimo non bene *Hiulcam* eruunt nonnulli; de alia enim palude Zosimus, de alia Viçtor loquitur. Vid. Seuerin. p. 22. 160. P. I. Cellar. O. A. L. II. C. 8.

d) H. N. L. III C. 18, p. 748 edit. Lips. 1778.

e) Nonnulli *Valdanum* legunt; aliqui *Vadasum*: corrupte. Vid. nott. Plin. l. c.

f) Geogr. Panhon. *Vunnam* dicemus. *Vlca*, *Volceae* ad *Vukam* spectant.

g) Ap. Gruter. p. 448 n. 3.

h) Lib. IV, Cap. XIV.

i) H. N. L. IV, C. XXV.

k) Hist. L. XVII, C. XIII.

ius phrasin, quia situm fluminis eleganter exprimit, depromere libet. Bellum Romanorum aduersus Limigantes Sarmatas describens, „ Has terras, *inquit*, Parthiscus irruens obliquatis meatibus Istro miscetur. Sed dum solus licentius fluit, spatia longa et lata sensim praeterlabens, et ea coartans prope exitum in angustias, accolas ab impetu Romanorum alueo Danubii defendit, a barbaricis vero excursibus suo tutos praestat obstaculo: vbi pleraque humidioris soli natura et incrementis fluminum redundantia, stagnosa et referta salicibus, ideoque inuia, nisi perquam gnaris: et super his insularem anfractum aditu Parthisci pene contiguum amnis potior ambiens, terrae consortio separauit.“ Marcellini locum et ideo adponere placuit, quia recentiorum nullus, praeterquam Harduinus, meminit fluminis Parthisci. Ostium eius locat Ptolemaeus sub gradu long. 46, o. lat. 44, 15. addens, haud longe a *Rittio esse diuertigium hoc, post quod prima conuersio Danubii ad austrum.* a) Rittium hodie *Szlankamen* dicimus, b) infra quod modico interuallo Tibiscus a Septemtrione in Istrum labitur. Ante hunc Tissae positum ad LXXVII M. P. e Dacia progressus iungitur ei *Marusius*, iam Herodoto, sub nomine *Maris*, vt supra memorauimus, c) celebris. Strabo eum duplici refert loco, sed neque ratione eadem, neque eodem situ. Vbi de Getis loquitur, hunc intelligit; vbi vero de Scordiscis ad Istrum, non Marisum, sed Margum dicere voluit. Ita porro de flumine nostro, *per Getas*, inquit, *Marisus fluuius in Danubium labitur, quo Romani res ad bellum necessarias subuexerunt.* d) Ptolemaeus *Ραβόν Rhabon* vocat; sed in eo cum Strabone fallitur, quod amnem in Danubium deriuat. e) Nonnulli Marisum Strabonis faciunt Marum Quadorum, f) quos refellit, et bene quidem, Cellarius. g)

Hac Daciae a Tibisco ripa vsque Alutam, flumen alicuius nominis haud comparet. Aduersa vero *Sauus*, ex *Alpibus Carnicis placidior* (Drauo) vt ait Plinius, h) *CXX M. pass.* ab influxu Draui, *interuallo*. Idque pro illius aetatis Geographiae ratione; nobis enim ductu rectilineo haec fluuii duplicis ostia, non amplius XCIV M. P. interuallo recedunt. i) *Sauus* primus, quod sciam, vt et Draui, Strabo meminit, duplici quidem loco, sed ratione diuersa: nam, vbi Alpes describit, k) *Σάου Saum* nominat; vbi autem Illyrica persequitur. l) *Σάου Sauum*. Nescio autem, vtrum ex capite, an membro corporis alio laborarit Strabo, dum
Saut

a) Geogr. L. III, C. VIII.

b) Vid. interea Cl. Schönw. Comment. P. I a p. 38.

c) Cap. I, num. III.

d) Geogr. L. VII, p. 304.

e) Nisi *Rhabon* ad Moesiam spectet, vt ibi dicemus.

f) Vti est auctor Indic. Geogr. Europ. miscens ista non bene.

g) Orb. Ant. L. II, Cap. VIII, p. 396.

h) H. N. L. III, Cap. XXVIII.

i) Gronou. in Plinio CXV M. P. legit.

k) Geogr. L. IV, p. 207.

l) Lib. VII, p. 314. Conf. Tab. Peut. ab Aemona VIII M. P. *Sauo* fl.

Sauī describeret in Danubium fluxum. Ait enim, *Sauum intrare, vbi, nescio, in Drauum, Drauum iuxta Segesticam in Noarum, hunc accepto Colapi in Danubium.* Ita profus: Κορκόρας - - εἰς τὸν Σάουον ἐμβάλλει, ἐκεῖνος δ' εἰς τὸν Δράβον, ὁ δὲ εἰς τὸν Νόαρον, κατὰ τὴν Σεγεσικὴν. ἐντεῦθεν δ' ἤδη ὁ Νόαρος πλῆθος προσλαβὼν τὸν διὰ τῶν Ἰαπόδων ῥέοντα ἐκ τοῦ Ἀλβίς ὄρους Καλάπιν, συμβάλλει τῷ Δανουβίῳ κατὰ τοὺς Σκορδίσκας. *Corcoras - - in Sauum influit, Sauus in Drauum, hic in Noarum apud Segesticam: inde Noarus augetur, hausto Calapi amne (qui ex Albio monte per Iapodas delabitur) inque Danubium apud Scordiscos exit.* Praepostere haec Strabo, quemadmodum apud Ifaram et Athesin; sed nescio, an ipse, vel eius descriptores potius. Ita vero Geographus dicere volebat: Corcoram, (*Gurk*) non procul Nauporto, in Sauum ferri: hunc, sumto apud Segesticam Colapi, ex Albio monte per Iapodas delapso, et amne Noaro (*Korana*) hausto, augeri, inque Danubium apud Scordiscos exire. a) Posteriorum alii *Sauum*, vt Cassius Dio b) et Plinius; alii *Sabum*, vt Iustinus; c) alii *Saum* dixere, vt Ptolemaeus. d) Et hic quidem ostium Sai locat sub gradu long. 45, 0. lat. 44, 30. Plinius oppidum quoque Pannoniae, pone quod misceatur Danubio Sauus, nominat *Taurunum*; e) quae et Arriani sunt verba, f) *Ταυρέων* adpellantis locum, qui alius, praterquam *Semlin*, esse nequit; huius quippe orientali plaga Istrum illabitur Sauus, Moesiam a Pannonia seiungens.

V. In superiori Moesia, ab Sauī diuertigio ad XLVII lapidem, *Margus* Eutropii, g) *Margis* Plinii. h) Strabo *Parisum* dixit, i) pro eo, quod Marisum, aut potius Margum, dicere debuerit. De Scordiscos enim agens. „Huius regionis (*Illyridos*) inquit, partem vastam, desertamque reddiderunt Daci, debellatis Boiis et Tauriscis Gallicis gentibus, Critosiro subiectis, qui eam sibi adferebat regionem, (*ultra Margum*) quamquam amnis distingueret (*eos*) Parisus, Παρισός, qui a montibus in Istrum defluit per Scordiscos Gallos.“ Scordiscos Margum inter et Sauī

-
- a) Hanc esse Strabonis mentem, ipse alio perhibet loco L. IV p. 207. *Post Iapodas Segestica vrbs in planitie, quam Saus praeterfluit fluuius, qui in Istrum exit. Et infra: Apud Segesticam Colapis quoque fluuius in Saum incidit.*
- b) Hist. Lib. XLIX. C. 37.
- c) Lib. XXXII, C. III. edit. Norimb. 1775. In vetustioribus, vti Colon. 1550 p. 274 et seq. constanter *Saus* legitur.
- d) Geogr. L. II Cap. XVI. In edit. Basil. 1533, *Σαούϊος ποταμός, Sauius fluuius.*
- e) H. N. L. III, C. XXVIII, p. 748 edit. Lips. cit.
- f) Vid. nott. Hard. in Plin. l.c. Integer locus ap. Salag. IV, p. 106.
- g) Breuiar. L. IX C. XX, qui situm quoque inter Viminacium et Aureum montem ponit, Tabula id firmante, in qua: Monte aureo. XIII. *Margum fl. X. Viminatio.*
- h) Lib. III, C. XXIX.
- i) Geogr. L. VII, p. 313. Cl. Seuer. Comment. C. IV § 7. *Parthiscum* legit, et Scordiscos in laeuam Istri, nescio quis aibus, ripam transfert. Cetetum Strabo haec de Aniso dicere voluisse videtur, vt in Geographia notamus.

Sauī cum Danubio confluum habitasse, alio quoque loco a) docet Strabo; *Ad Istrum*, inquit, *habitauere Scordisci, in duas diuisi partes: alii inter duos amnes Istrum influentes, Noarum, qui praeter Segesticam fertur, et Martum Μάρτων, suae, ut alii vocant, Bargum Βάργων: alii paullo ultra eum, (Martum) confines Triballis ac Mysis.* Casaubonus corrigit locum Geographi, pro Marto substituens *Margum*. Fluuium nos, immutato non nihil vocabulo, *Morauam* dicimus, multos in se recipientem tam Seruiae quam Bulgariae fluuios.

Vtrum Μόσχιος *Moschius* Ptolemaei *Margum* significare debeat, quod non nulli praetendunt, haud equidem scio. Puto autem magis *Iessauae*, quam *Margo*, *Moschium* congruere; eo, quod hunc *Tricornio* proximum signat *Cosmographus*, et a *Viminatio* remouet longius, *Iessaua* autem pone *Senderouiam*, accedit *Istro*. Fluuus ceterum tenuis, neque inter nauigabiles referendus. b)

A *Morauae* ostio ad XXV M. P. occurrit fluuiolus quidam, *Ipek* nomine, quem esse *Tabulae Apum* vix dubitarim. Ita vero ea: *Viminatio X. Lederata. XII. Apo fl.* Influit *Ipek*, alias *Pega* dictus, ad pagum *Galambatz*. c) Fluuus hic, etli tenuis, non tamen ab *Geographis*, qui composuere antiqua, negligi debuit. *Plinius*, vbi de *Moesia* fluuiis agit, inquit: *flumina clara, e Dardanis Margis, Pingus, Timachus*, nescio, an non *Pingi* nomine *Ipek*, seu *Pega* nostrum intelligi voluerit. Inter *Margum* quippe et *Timachum*, quorum et hodie superant nomina, non alius praeter *Ipek*, et *Orkoluka*, qui censerī hoc numero possit, adest fluuius. Et nominis quidem ratio cum *Pega* congruit; sed adusque *Dardanos* protendi nequit, quod *Plinii* sententia exproscere videtur.

Infra *Pingum* ad vices fere mille passus, *Ister*, qui inde ab ostio *Draui* orientem spectabat, nunc gyros in meridiem facere, ad *Ratiariam* vsque a *Nouis*, id est, LXXX M. P. interuallo. Cuius circiter medium pons ille *Traiani*, quem supra celebrauimus, ostentat rudera. Ab *Ratiaria* rursus orientem petit *Durostoro* tenuis. A *Nouis*, quae in angulo *Danubii*, in meridiem flectentis, ab *Hasio* ponuntur, ad pontem *Traiani* sunt LVIII M. P. Inde ad *Plinii Timachum*, cui et hodie nomen *Timok*, fluuium *Seruiam* a *Bulgaria* separantem XXIV M. P. qui olim ad *Moesiā* superiorem spectabat, nomen adcolis impertiens, quos *Plinius Timachos* nuncupat. Oppidum quoque *Τιμαχον Timacum*, ut *Ptolemaeus* habet, a fluuiio dictum, in mediterraneis erat. *Tabula maioris Timaci*, ac *minoris*, itinere a *Naisso* *Ratiariam*, meminit. d) *Harduinus*, eumque secuti *Cellarius*, *Koelerus*, *I. Stephens*,

a) Geogr. L. VII, p. 318.

b) Vid. *Cellar. O. A. L. II C. VIII*, et ex eo *Ind. Geogr. Eur.* haec aliter interpretantes.

c) Not. Imp. habet *Pincum* oppidum, v. *Cellar. l. c. p. 582.* quod citra dubium *Ipek* est, fluuiio cognomini in mediterraneis aditum, oppidum et olim celebre, *Cellar. l. c.* Omnia haec alieno prorsus loco in tabulis editis, orbem antiquum exhibentibus, poni videas.

d) Vid. *Cell. O. A. L. II, C. VIII*, p. 581. Conf. *tabul. Hasi.*

Stephens, alii, quemadmodum Pingum, sic et Timachum non fluuios ita diuerfos, vt Istrum seorsim influant, quod volebat Plinius, sed brachia dumtaxat *Margi* adferuere. a) Halius in charta sua Timachum bene locauit, sed Pingum, nescio cur, omisit; nisi hunc per *Pega*, seu *Ipek* intelligi voluerit.

VI. A Timok ad *Artzar* fluuium XX M. P. numerantur, cui cum aditum sit oppidum homonymon, in ruderibus Ratiariae veteris superstes, ipsi quoque forsitan *Ratiaria* olim inditum nomen erat, vel, vt in Tabula signatum est, *Ratiaris*. Ptolemaeo ciuitas *Ρατιαρία* b) *Raetiaria*. Hinc Danubius tendit in ortum.

Ad XV inde lapidem alius, *Lom* dictus, in Istrum labitur fluuius, occiduo *Lomgrad* oppidi latere. In Tabula ab *Ratiaria*. XII. *Remetodia*. IIII. *Almo*. Dumque Tabula *Almum* pone amnem, Danubium petentem, signat, XVI autem passuum millia ab *Artzar* ad *Lom* accurate censentur, quis negabit, fluuium, quem hodie *Lom* dicimus, mutato non nihil vocabulo, *Almum* olim fuisse nuncupatum?

Venit *Ciabras*, ad alios XV M. P. ab *Almo*, duas Moesias, Ptolemaeo teste, c) diuidens. Cassio Dioni *Κεβρος* *Cebros*; d) vti et Procopio, quod *Κεβρον* *Cebrum* oppidum vocat. e) Sic et hodoeporicon Antonini. Cellarius ab interpretatione *Ciabri* penitus abstinuit. I. Stephens *Ischiam* Bulgariae perperam dixit. Vbi tamen *Czibricza* fluuius, ad *Cziber* locum in Istrum se se euoluens, notus est, qui e descriptione veterum non alius *Ciabro* esse valeat. Oppidum quoque, a fluuiio nuncupatum, inferiori Moesia primum, antiqui *Cebrum* nuncuparint, vbi et hodie, vocabulo parum variato, *Cziber* existit, non procul a fluuiio.

Post XVIII a *Ciabro* M. P. adest fluuius, duobus non nihil maior prioribus, *Ogost* vulgo dictus; quem si *Augustum* olim vocatum censeamus, fortasse minus a vero aberimus. Iter enim Antonini a *Cebro* *Augustam* toridem remouet milliaribus, quot sunt *Czibriczam* inter et *Ogost* fluuios, decem nimirum et octo. f) Adde vocabulum annis non adeo mutatum. Urbis Augustae meminit etiam Procopius, *μόνα ἑδάφη* sola eius rudera commemorans. g) Neque hodie locus ibi signatur aliquis.

Alius

a) Cellar. l. c. p. 571. Sed memoria lapsus videtur doctissimus vir, dum Timachum, Moesiae fluuium, cum Drino, nescio quo, mixtum in Danubium deferri docuit; et tamen Pingum, cum aliis mixtum (fortasse Timacho et Margo) Morauam interpretatur: non minus perperam, quam Strabo Noarum.

b) Geogr. L. III, C. IX.

c) Cosmogr. l. mox c.

d) Lib. LI. c. 24.

e) De Aedif. L. IV, C. VI.

f) Vid. Cellar. O. A. L. II, C. VIII, p. 583.

g) De Aedif. l. c.

Alius Moesiae fluius, multo nobilior priore, *Oescus*, quem ex Rhodope deriuat Plinius, a) XLVIII M. P. a priore, in Danubium cadit, occiduo latere vici *Gigen*, qui antiquorum fortasse *Oescus* est, Ptolemaeo *Οἶσκος*, Procopio *Ισκός*, Antonino *Oescus*, et Tabulae *Escus*, dictus. Harduinus, et ex eo recentiores, *Oescum* Plinii, hodiernum *Ischa*, seu *Isca*, vt Cellarius habet, fluium Bulgariae interpretantur; quem nos *Isker* dicimus. Paulo infra *Gigen*, lignei cuiusdam pontis vestigia in Danubio signantur, cuius memoria apud veteres non exstat.

Ad X ab Oescio milliare, *Vid* fluius, Plinio *Vtus*, ex Haemo trahens originem, delabitur. Antonini hodoeporicon, et Notitia Imperii, locum sexto casu, vt solent, *Vto* (pro quo Tabula corrupte *Vio*) memorant, id est, *Vtum*; citra dubium ab *Vto* fluuio ita nuncupatum, eique proximum, fortasse vbi hodie *Somovnik* est.

Ex huius prope regione, *Aluta*, fluius Daciae, in Carpaticis montibus, prope Marufii fontes, ortus, in Danubium se se exonerat. b) Huius iam Herodotus, historicorum, qui exstant, vetustissimus, meminit, quemadmodum supra memorauimus, c) *Tiarantum* nuncupans. Dio in Traiano *Alutam* dixit, quo et hodie audit nomine. d)

Ex altera Danubii parte, ab *Vti* influxu ad XXXVIII M. P. *Escamus* Plinii, e monte Haemo, in Danubium cadit, quem variato nonnihil vocabulo *Ozgam* dicimus. e)

Ab *Escamo* Plinii ad XII M. P. alius eiusdem fluius, *Ieterus*, itidem ex Haemo trahens originem. Hic *Iatrus* Iornandis est citra dubium, quoniam et hodie *Iantra* vocatur. Sed, quia Iornandes *Nicopolim iuxta Iantrum* posuit, multos post se traxit in errorem, inter quos et Cellarium; qui, postquam cum duce suo Iantrum apud Nicopolin omisisset, longo postea interuallo ad *Nouas* et *Lantrum* Tabulae, ac Notitiae veniens, vt distinctum ab *Iantro Lantrum* probat; quod corrigere, ac e Iornande *Iantrum* dicere debebat. Hic postremus est, quorum prisci meminerint, dextro Danubii latere occurrentium fluuiorum. f)

G 2

VII.

- a) H. N. L. III, C. XXIV. Nisi Ciabrus, certe hic erit *Cius* Herodoti, ex Paeoniis ortus. L. IV. ap. Seuer. Pann. Illustr. p. 49. Vid. supr. p. 5. n. e. Diodorus quoque *Κίον τῆς Μυσίας*, *Cium Mysiae*, memorat Lib. XX. ap. Khevenhüller. p. 178.
- b) Secundum Hassii chartam. Millerus hoc *Ozgam* ponit loco, scilicet, ex aduerso *Alutae*, *Vidumque* magis in occasum remouet.
- c) Dissert. praef. C. I n. III.
- d) Male auctor Ind. Geogr. Europ. Strabonem heic nominat, qui *Alutae* nusquam meminit.
- e) Auctor Ind. cit. *Escum* cum *Escamo* mire confudit.
- f) Meminit Herodotus L. IV. C. 49 ap. Steph. *Κροβίχοι*, quorundam fluuiorum, hoc modo: *Per Thraciam vero (latius sumtam) et Chrobizos Thracas currentes amnes Ἀδρῆς Athres, et Νόης Noes, et Ἀτάρνης Atarnes, aquas exonerant in Istrum.* Ptolem. L. III C. X, *Crobizos Mysiae* adscribit. Primum itaque *Aclom*, alterum *Karalom* (Lom album et nigrum) tertium *Iantra* puto, fluuios Bulgariae. Sed vid. Geographia Moesiae.

VII. In aduersa fluminis ripa, ad M. P. LXXII, *Arngitzes*, multis implexus ante ramis, ad Brakilow oppidum influit, paullo supra mixtus cum *Dembrovicza* seu *Dumbovicza*. Hunc ego putem *Ordissum* Herodoti, quem cum sequentibus duobus interponit Pruto et Alutae. Bayerus *Ordessum* interpretatur *Argischam*, quo nostrum *Arngitzes* intelligi voluerit. Neque enim *Argies*, fluuiolus infra *Sereth*, hunc in censum venire posse videtur. *Ordissum* posteriores Graeci *Ἀρδῆσ-κον* dixere. a)

Succedit ad XI milliare *Ialonitza*, alias *Flocz* nuncupatus Valachiae, vt prior, fluuius. Huic, e sententia Bayeri, *Naparis* Herodoti congruit. Oritur in Prachoua prouincia Valachiae, et ad *Flocz* Istro mergitur.

Infra Naparin ad X lapidem, aduersa ripa est *Durosztor*, seu Silistria, post quam Ister in boream abit longo interuallo. Ab hoc autem oppido ad XXXVI M. P. *Sereth*, seu *Streth*, fluuius nauigabilis, Moldauiam a Valachia separans, in Danubium labitur, quem Bayerus Herodoti *Ararum* esse vult, a posterioribus Graecis *Σέρπερον* dictum.

Ad millia pass. LVII *Prutus* (*Prut*) celebris Moldaviae fluuius, Istro ad Gargulitz vicum immergitur. Herodoto *Porata*, quod e *Prut* deprauatum est. Dicitur ita forsitan adcolis, quod non magnos ageret flexus; sed *perticae* instar directus flueret. b) Ptolemaeus *Hierasum* *Ἰέρησον* dixit. c) Haec Getarum, seu Sarmatarum regio, quam Herodotus Scythicam dixit, magis huic, quam Straboni, fuisse nota videtur, vt qui ne vnum quidem, e quatuor his, nominarat fluuium. Scilicet, quia Geographo scriptor historicus fabulas quasdam redolere visus est, idcirco vniuersum, incaute sane, reiecit. Vel eo mirandus, quod, cum Poetices bene gnarus esset, vt in defensione Homeri abunde ostendit, sciretque in fabulis quaerere historias, nihil in Herodoto veri videre voluerit, propter paucas, quas non tam e suo, quam populi ingenio, et fama protulit, narrationes fabulosas. d)

A Pruthi ostio adusque lacum, seu paludem potius, quam Plinius XIX millia passuum esse magnam ait, e) XLVIII M. P. intercedunt. Huius paludis Zamofius quoque meminit, f) *Constat*, inquit, *principem Europae fluuium, priusquam in mare exoneretur, Septemtrionem versus scedere, (ab Silistria ad Sacziam) ac velut aquae salsedinem refugiturum, sibi mare velut ex semetipso meditari, proinde in paludem ingentem diffundi.* Ex hoc, quae de Istri ostiis dicenda forent, occupauimus iam in superioribus. g) Flumen aliquod, cuius meminissent veteres, quodue laberetur in Istrum, inde a Prutho ac Ietero nullum habetur. Et ista quidem

a) Vid. supra Cap. I, p. 3.

b) Quin imo a *Prud*, cataraeta, quod impetu quodam deflueret.

c) Cosmogr. L. III. Cap. V.

d) Vid. Strab. L. XI, p. 507, seq.

e) H. N. L. IV, C. XXV.

f) Analect. C. VII. ap. Bombard. Topogr. p. 370.

g) Cap. III Dissert. n. I, seqq.

dem de ostiis fluviorum Istro illabentium dicta sunt. Nunc de fluminis eiusdem magnitudine.

VIII. *Istrum* veteres Nilo aut parem, aut maiorem etiam dixerunt. Qui primum, eos credo ad numerum ostiorum respexisse; totidem quippe Istro, quot Nilo, tribuere ostia veteres quidam, quorum praecipuus est Naso, pluribus id de Nilo commemorans locis. Inter alia canit: a) *Ille fluens diues septena per ostia Nilus*. Ac de Istro: b) *Solus ad egressus missus septemplex Istri*. Vtrumque Magnus Aufonius hac etulit phrasi: c)

*Illyricis regnator aquis tibi, Nile, secundus
Danubius laetum profero fonte caput.*

Strabo, de Pado Italiae locutus, d) *incidit in Adriaticum mare*, inquit, μέγιστος γενόμενος τῶν κατὰ τὴν Εὐρώπην ποταμῶν πλὴν τῆς Ἰστροῦ, *maximus omnium Europae fluviorum factus, Istro excepto*. Idem repetit loco alio, ubi de Illyricis sermonem instituit. e) Vbi vero de Indis et Gange differit, Nilo praeposit *Istrum*, f) ita prorsus: Gangem maximum esse omnium fluminum, quae in tribus continentibus memorantur, (Asia, Africa, Europa) καὶ μετ' αὐτὸν ὁ Ἰνδός, τρίτος δὲ καὶ τέταρτος ὁ Ἰστρος, καὶ ὁ Νεῖλος, ἰκανῶς συμφωνεῖται, *proximum ab eo Indum, tertium autem et quartum Istrum, et Nilum, satis consentiunt*. Xylander id clarius, *tertium Istrum, quartum Nilum*, expressit. Quod etsi e Strabonis loco, si ordinem spectas literalem, deduci posse adferas, tamen ego, aliorum auctoritatem, Nilum Istro praeferentium secutus, cum Casaubono sentio, g) Strabonem hic per chiasmum esse locutum, qui τρίτος non ad proximum ὁ Ἰστρος vocabulum, sed ad remotius ὁ Νεῖλος, referri voluerit. Ex iis, qui Nilo minorem adseruere, Mela est, ita scribens: h) *Ister, acceptis aliquot annibus, (ex quo sic vocari incipit) ingens iam, et eorum, qui in nostram (mediterraneum) mare incidunt, tantum Nilo minor, totidem quot ille ostiis, sed tribus tenuibus, reliquis navigabilibus, effluit*. Ita sane est: nam in chartis vno fere quadrante Nilus maior Istro conspicitur. Plinius *magnum* adpellare satis habuit. i) Sed, quam ille magnus sit, videamus, ducto rursus a fontibus initio. Supra, ostia fluviorum enumerantes, rectos dumtaxat in distantis contemplantur ductus, nunc ad physicam eius longi-

a) Amor. Lib. III Eleg. VI, v. 39. Conf. L. II El. XIII, v. 9. Heroid. Epist. XIV, v. 107. Met. V. 187.

b) Trist. L. II, v. 189.

c) Laud. Valentinian. et Gratian. Epigr. III.

d) Geogr. L. IV, p. 204.

e) Lib. VII, p. 289.

f) Geogr. L. XV, p. 702.

g) In nott. ad Strab. L. XV, p. 702.

h) Lib. II Cap. I.

i) H. N. Lib. III C. XXVII.

longitudinem exhibendam, flexus etiam considerabimus, vocabulis, quae obtinent hodie, vli.

IX. Fons Danubii maxime occiduus, de quo in superioribus adum, a) ab Rheno, ubi verus Brisacum est, (*alt Breifach*) XVIII M. P. Rom. recedit, in orientem. b) Inde alueo fertur ad ortum hibernum, ac post M. P. XVIII *Bruelingen*, oppidum Sueviae, salutat. Cursum hinc in ortum vertit aestium, ad IV M. P. primum, et ad alia II M. P. alterum excipit riuum. Ex hoc meridiem petit V M. P. interuallo, rursusque in aestium abit orientem, ad IV M. P. *Geiffingen*, ad XII *Dutlingen*, ad IX *Fridingen*, relictis Sueviae oppidis. Tum in septemtrionem ad XV M. P. *Wildenstein*; vnde in ortum ad XX M. P. *Riedling*. Post tertium inde lapidem repetit boream, seu Mesen, qua directione a loco priori ad XXXV M. P. *Vlma* cum Ileri influxu occurrit. Alio XXXV M. P. interuallo *Dillingen* est, a quo Danubius aequinoctialem ortum repetit, *Licumque* (*Lech*) fluuium ad XXIII, et *Ingolstadt* urbem ad XXX M. P. inuit. Octauo inde milliari paulatim in aestium orientem, viceno autem alio in septemtrionem, procedens, ad XLIII M. P. ab Aureato (*Ingolstadt*) urbem, aequae celebrem, *Regensburg* salutat, ad angulum Istri maxime borealem, toto eius decursu spectato. Leni porro in ortum hibernum defluxu ad LV lapioem, *Iser* amnem, ad XXXV Aenum, (*Inn*) ad LX Anisum (*Ens*) accipit, progressus iam a quinto inde milliario in ortum. Spatio XLVII M. P. apud *Mölk*, Austriae inferioris oppidum, in septemtrionem secedit, ad XV M. P. Inde rursus in ortum XLVIII M. P. interuallo. Tum in meridiem XVII M. P. cuius plagae medio Viennam, Austriae metropolim, relinquit. Ortum repetens ad XXXI M. P. Marum sibi iungit fluuium, lieto ad tertium fere lapidem Carnunto. Ad M. P. X, Pofonio ad laeuam misso, hibernum petit ortum, et post alios X M. P. ad insulam, in omni suo defluxu maximam, *Schütt* nuncupatam, c) se diuidit, maiori alueo boream petens, spatio duas inter *Schütt* insulas medio. Heic diuersis flexibus factis ad XLIV M. P. australem sui ramum, cum *Rhabone*, ante duo milliaria sibi iuncto, recipit, rursusque in ortum abit. Ad XII inde M. P. boreali ramo, in quem supra milliariibus duodenis influxit *Granua*, recepto, et ad XL M. P. *Vago*, atque ad III *Ipoly*, fluuiis, perpetuum in meridiem adusque *Draui* ostium sumit defluxum.

Itaque XXX M. P. interuallo *Budam*, X *Csepel* insulam attingit. Hanc XXV M. P. circumscribens, per CXII M. P. insulam, quae *Mohácsensis* vocatur, d) accedit, recepto supra *Sárviç* amne. Insula XV M. P. interuallo descripta, ostium *Draui* post XXIV M. P. salutat, apud vicum, *Almsh* nuncupatum. Deinceps mutat cursum, primo in orientem hibernum ad *Bánoshtar* vsque, LVIII M. P. tum in aestium ad *Petriyaradin*, XX M. P. profectus. Heic in angulum abit, insulam

a) Cap. III, n. XIII.

b) Ex charta Heluetiae, adducta C. III, n. XIII.

c) *Schütt* minor scilicet; nam maior, quae boream spectat, iam a Pofonio incipit.

d) Alias S. Brigittae, vt in chartis est.

insulam efficiens, e cuius aduerso *vallum* est, quod *Romanum* adpellant, Tibiscum vsque productum. Ab angulo hoc ita vadit Ister, vt partim ortum, partim meridiem petens, parallelum eius non attingat amplius, nisi prope paludem, ostia eius praecedentem. Ad XVII a Pétervárád lapidem augetur *Tibisco* Danubius, hibernum petens ortum; et ad XX *Sauo*; lapsus directione eadem ad alios XX M. passus. Inde orientem tuetur, ad XXX M. P. *Morava*, Seruiae fluuio, auctus, ac post V *Ipeko*, seu *Pega*; XX inde M. P. eum facit in Seruia angulum, ex quo deprimi in austrum incipit. Ac primum quidem in ortum hibernum ad XX M. passuum; tum in aestiuum ad X; rursusque in hibernum; vbi ad XV M. P. *Pontem* illum *Traiani*, in rudere lugubri consistentem, adluit. Post VII M. P. in occasum redit, ad VII vsque M. passus. Hinc in ortum hibernum ad XVII vsque lapidem, vbi *Timachum* accipit, fluxumque in orientem vertit ad XVII vsque milliare. Tum in occasum hibernum ad XX M. P. quo loco *Aritzar* amnem obtinet. Inde ad XXX *Ciabro*, ad XVIII *Augusto* fluuiis augetur, in aequinoctialem progressus orientem. Vicenis deinde ac ternis milliariibus, aestiuum spectans ortum, tum aequinoctialem, XXXV ab *Ogost* M. P. *Isker* fluuio navigabili augetur, ac XII M. P. intervallo, *Aluta*. Ad V M. P. *Nicea*, Bulgariae ciuitas, occurrit, vnde Ister hibernum respicit ortum, ad XXXV vsque milliare, quo *Iatrum* excipit. Deinceps aequatori parallelus currit, modicis flexibus factis, ad *Silifriam*, seu *Doroftorum* vsque, spatio M. P. XCIII, quo ex Bulgaria *Lomnigrum*, (*Kara-lom*) ex Valachia *Dombovicz* et *Ialonicz* amnes recipit. Ab *Siliftria* vertit in septemtriones cursum, ad XXXVII M. P. *Seretho*, ad LXII *Purtho* auctus. Inde ad quadragesimum lapidem ortum petere aestiuum, et ad LVIII M. P. curuari apud *Ifaccium*, atque in ortum hibernum flectere, vt extremam arcus figuram, quod *Marcellinus* dicebat, repraesentet. Sequitur palus *Babasoy* XIX M. P. longa. Inde vno rursus alueo fluit ad eum vsque locum, quo *Darii* pontem existisse diximus, a) XX M. P. intervallo. Heic Ister in ostia scindi, quorum australe, quod *sacrum* diximus, quale signauit *Hafius*, ad influxum vsque in mare, LXII M. P. comprehendit.

X. Haec est vniuersi cursus Danubiani ratio, inde a fontibus eius ad ostia vsque, quae in vnum collecta dat M. P. MDCLXXXII. Quae ratio ab calculo *Ransani* non abludit multum. Ita vero ille: b) *Totus Danubii decursus, frequentibus vicis, celebrisque nominis oppidis, vtraque ripa exornatus, mille et quadringentis passibus; c) toto autem eo spatio, sexaginta quatuor, haud ignobilia, flumina in ipsum labuntur.* In numero mendum descriptoris est, qui cum legeret fortasse MCCCC. pass. male posuit, mille quadringentos passus, pro mille quadringentis passuum millibus. Cuiusmodi scribarum errores in eodem *Ranzano* com-

a) C. III n. VI. p. 27.

b) Epit. rer. hung. Ind. II, p. 558, edit. Tyrn. 1765.

c) Iornand. Rer. Get. C. 12 habet 1200 M. P.

comperias plures. Quod vero latitudinem Istri concernit, ac profunditatem, idem scriptor ita memorat: *Patet compluribus locis latitudine plus quam millibus passibus; multis in locis ad ducentos pedes altus.* a) Vtrumque hoc mihi non satis probabile videtur. Et in primis, quod latitudinem concernit, ad pontem vsque Traiani Italico milliari superior nuspiam est, nisi ad insulas, vbi se diuidere incipit; de quo etiam dubito: nam ad veterem Budam, vbi non minima eius latitudo est, vna cum S. Margarethae insula, 620 non amplius orgias viennenses complectitur, quae Italicum milliare non efficiunt. b) Decursu pone Budam, 250 hexapedas non excedit. Apud pontem 215 obtinet. c) Minimus est ad finem suburbii *Taban*, utpote non latior 170 hexapedis. Vtrum infra pontem Traiani se plus quam mille passibus diffundat, ignoro; hic autem, e rationibus Marsilii milliare Italicum non adsequitur. d) Latitudo, quam Ranzanus memorat, etsi difficulter, ac non nisi circa Istri ostia, admitti possit, e) magis tamen probari potest, quam profunditas, nisi mendum dicas in numero. Qui enim fluuium ad pedes 200 altum dices, si Pons Traiani, vtique superficiem aquae excedens, non amplius 150 pedes, Dione teste, f) altus erat? Si Marsilium audis, g) aqua heic tribus orgiis Parisinis altior non fuit, quae Romanos ne viginti quidem efficiunt pedes. h) Atque haec de amplitudine Istri.

Plures hic fluuii insulas, de quibus etiam commentari oporteret, sinu suo complectitur, et quasdam profecto memorabiles; at, quoniam prisca harum, praeterquam inter fluminis ostia, de quibus iam differuimus, non meminere, nobis quoque de iis quidpiam dicendi potestas adempta est. Insulam *Schütt* (quam non nulli *Cytuorum*, a *Cytnis*, quos heic Ptolemaeus locat, populis non incongrue deriuant) vt et *Csepel*, e recentioribus satis celebrauit Olahus, vbi de *Danubio* fermonem instituerat. i) Strabo memorat *Scordiscos*, quos in superiori Moesia degisse ex eodem certum est, plerasque in Istro habuisse insulas, et vrbes *Heortam* et *Capedunum*. k) Si *Heortam* Geographi dicamus *Dorticum*, Timacho flumini adsitum;

a) Et hoc ex Iornande l. c. qui tamen de latitudine nihil.

b) Ad Romanum certe, quod Italico hodierno minus est, requiruntur 777 hexap.

c) Vid. chart. Milleri, Epit. Vicissit. Bud. ad p. 82. Cl. *Schönw.* hunc Danubii alueum *septingentos fere passus latum*, dixit Cald. Rom. p. 231 not. vbi eum passus vulgares, 2½ pedibus constantes, intellexisse credo; sic enim passus Romani 350 erunt, seu, ratione 7:9, hexap. Vienn. 272½. Sed tam is quidem latus ibi non est.

d) Ad summum enim 4200 ped. seu 840 pass. Rom. obtinet. V. supr. C. III, n. 10. seqq.

e) Dio quoque, dum inundare duplo, ac triplo maius adseruit, circa insulas et ostia intellexit.

f) Hist. Lib. LXVIII. Vid. supr. Cap. III n. VII.

g) Vid. supr. Cap. III n. X.

h) Sunt quippe, ratione 49:54 sumta, 19½ pedes Rom.

i) Hung. Lib. I Cap. IV § III.

k) L. VII Geogr. p. 318. in quem locum, singularem sane, nihil Casaubonus, nisi haec: *Καπέδουρον* est, quam Ptolem. vocat *Καρπουδάριον*, quam deletis *Scordiscos*, Thraeces occuparunt; ideo Ptolem. in Thracia collocat. Quae, nescio, an ad rem dicta sint; certe Straboni vim inferunt. Vid. Geogr. Moesiae.

adfitum; et Capedunum, *Cuppas* ad Pingum; plures hoc spatio insulae occurrunt, sed quae ab antiquis haud nominantur. In tabulis hodie legas *Kameniczam*, supra Timachum; infra *Kinap*, *Karga*, *Kenevis*; Hasius *Kalafat*, insulam, quae apud Vidinum est, nuncupat. Ut adeo inferiores Scordisci, quos Strabo Triballis propinquos scribit; (a Ciabro habuere Triballi) quae Timachum inter ac Ciabrum domicilia fixerint, maiorem in superiore Myfia insularum partem occupasse videantur.

Idem Strabo, de vario Istri cognomine agens, a) cataraclas eiusdem fluvii memorat, nomen Danubii, atque in ripa eius Dacorum, eousque producens. Verba illius haec sunt: *fluminis (Istri) superiores partes, quae versus fontes sunt, ad cataraclas usque, Danubium dixerunt, quae maxime per Dacos feruntur.* Hae Danubii cataraclae supra pontem Traiani occurrunt, *Sip* inter ac *Fetislan*, Seruiae loca, et *Seuerinum* Valachiae. b) Turcae *Demir-Kapi*, ferream portam nuncupant. Apud Lotterum, ex de l'Isle et Marfilii observationibus, *scopuli Danubii* (vortices dicere volebat) signantur vndecim numero; duo primi ad XX a Pingo lapidem; quatuor alii ad X; quinque postremi ad X itidem a prioribus. c) Et ista quidem haecenus. Progrediamur ad Istri adcolas, qui nostrae Commentationis sunt argumentum, recensendos.

C A P V T V.

Populi Istrum adcolentes, indigenae.

I. **T**HRACES Istri adcolas fuisse vetustissimos, iam supra, vbi de fluminis etymo actum, d) insinuauimus. Scilicet, *Thiran*, Iapheti filium, ab illa confusione Babel, traiecto Euphrate, cum progenie sua *Ponti* primum occupasse litora, quae sunt in Asia minore; tum Bosporo, cui nomen dedit, transmissio, in Europa etiam, pene ad *Tiram* usque fluvium, in quo viam sui memoriam apud *Geras* reliquit nepotes, Istro ante Thracibusque nomine ab se dato. A mari postea, quod primum adcoluere, colonias in mediterranea promouerant, Asiam quidem incolentes in austrum, Europam vero in occasum; adeo, vt, quidquid ab Tauro monte
ibi

a) L. VII p. 304. neque de cataraclis quidquam scholiastes.

b) Vid. chart. Hung. Müllerianam.

c) Turcis *Dahtali* vocantur. v. eamd. chart.

d) Cap. II n. II seqq.

ibi ad Propontidem vtrimque mari clausum agri est, maxime qua is praetenditur Euxino; haec autem, quod Ister ambitu suo a fontibus ad ostia vsque, Hercinium inter saltum, Alpes, mare Adriaticum, Graeciam, ad Hellepontum complectitur, *Thracas indigenae* possederint, ab cataclysmo primi. Et huius quidem adfert singulae partes, in primis quod Istri concernit adcolas, de quibus sermo instituitur, e sequentibus patefcent clarius. Age, videamus Thracum, gentis nostrae maiorum, vetustissimas apud scriptores memorias!

Post Codicem Sacrum, Homeri libros esse antiquissimos, viri hac in re periti nouere. Hi autem Thracum saepiuscule meminerunt. Principi loco adducere iuuat, quo summus deorum, postquam Troianos cum Hectore Achiuorum nauibus ad-mouisset, aerumnasque et laborem ferre iussisset, Thracum terram et Mysorum, auerſis ab Troia oculis, respexisse narratur. Ita hoc cecinit Poeta: a)

- - - αὐτὸς δὲ πάλιν τρέπεν ὅσσε φαεινῶ
 Νόσφιν ἐφ' ἵπποπόλων Θρησκῶν καζορώμενος αἴαν,
 Μυσῶν τ' ἀγχεμάχων, καὶ ἀγαυῶν, ἱππημολγῶν,
 Γλακτοφάγων, ἀβίων τε, δικαιοτάτων ἀνδρῶπων.

- - ipſe autem (Iupiter) retro vertit oculos fulgidos,
 Scorsum equeſtrium Thracum intuens terram,
 Mysorumque cominus pugnantium, et illustrium, equimulgorum,
 Lacte viuentium, longaeuorumque, iuſſiſſimorum hominum.

Thracas haec et Mysos Europae intelligi, satis inter scriptores conuenit. b) De Agauis, Hippemolgis, Galactophagis, Abiis, non eadem est, veterum quoque, sententia. Quidam enim hos tamquam totidem populos existimant, eosque nonnulli in Thracibus, c) plerique in Scythis, quaerunt. d) Mihi, Poetae verba eonsideranti, haec totidem Thracum ac Mysorum (qui et ipsi Thracas sunt) epitheta esse videntur. e) Neque enim alias gentes Poeta absque nomine, vt dicimus, proprio memoraturus erat; neque is quidem de Thracibus agens his alios immiscere voluit, aut etiam, rerum ordine saluo potuit. Vt adeo, neque id sustineri posse censeam, quod alii iudicant, esse quidem haec epitheta, sed populorum, qui

a) Iliad. Lib. XIII init.

b) Vid. Strab. L. I p. 6. L. VIII p. 295 seq. 303. 558. Conf. Bayer. Chron. Scyth. vet. p. 170.

c) Thom. a Pined. nott. in Steph. v. "Αβιοι. Didymus ap. Steph. ibid.

d) Steph. Homerum citans, sed non adcommode. V. "Αβιοι. Conf. Ammian. L. XXIII C. VI p. 298 Casaub. nott. in Strab. L. VII p. 295. 298. Curt. L. VII.

e) Quod et Strabo, Posidonium de Myſis explicans, p. 296, D. velle videtur.

qui apud Scythas quaeri debeant. a) *Abii* enim, quos in suae opinionis suffragium adducere solent, Agauique, longe ab iis, de quibus agit Poeta, distiti, apud Hyrcanos memorantur. b) Sed neque vocabula ea *illustrium, lacte vescentium, longaeuorum, iustissimorum*, vlli iure potiori, quam Thracibus conueniunt, c) ipso Homero, d) ac post eum Herodoto, e) testibus, magnaue hos sequentium turba Graecorum, qui de *martio Thracum animo, iustitiaeque studio*, copiose differuerunt. f)

Id porro, quod nobis Thracas quidam eripere conantur, atque in Asiam transferre, tametsi nostrae positioni non modo nihil officiat, verum etiam adstipuletur; ut qui et in Asia Thracum progeniem olim iam constituisse arbitramur: tamen, quia id e Poetae phrasi deducere ipsi contendunt, in qua ego Thracas cerno Europeos, istud quoque, antequam promoueamur a Ponto, dispicere libet. Aiunt illi Thracas, qui rege Rheso Troianis auxilio venerant, Asiaticos, eo, quod Rhesum genealogiae Priami immisceri videant. g) Quod si quidem ita se haberet, Troianos Thracum genus (hoc arbitramur quidem) inde facili eruere liceret, non tamen eam fore consecutionem, hos idcirco Thracas non Europeos, sed Asiaticos esse; nam propinquitatis quidem gratia non ii minus Europei quam Asiatici esse poterant. Sed ego neque genealogiam Rhesi vllam cum Priamo in Poeta video, neque Thracum nomen (genus quippe erat) in Asia deprehendo. Rhesus apud Homerum h) dicitur filius *Ἡριόνης* Eionei, quae vox *litoralem i)* delignat, ἀπὸ τῆς Ἡριόνης ab *litore*, aut *ripa*; dicitur item k) consobrinus *Hippocoontis Thracum consiliarii*, qui in eodem exercitu cum Rheso fuit. Quae vtrum de Priami genealogia quidquam habeant, non video. Sed neque Eioneum aut Hippocoontem in genere Priami reperio. l) Quin ex Dolonis, Troiani exploratoris, ad Vlystem sermone, quo Rhesum et Thracas *nouos aduenas*, et in acie *ultimos* memorat, colligo, peregre eos, et fortasse locis Istro proximis, aduenisse. Profecto, cum

H 2 alii,

- a) Ephor. ap. Strab. L. VII p. 302 sequ.
- b) Vid. Amm. Marcell. l. c. Curt. L. VII. Casaub. l. c. De *Agauis* Hesychius ap. Casaub. l. c.
- c) Possunt enim et aliis congruere, v. Bayer. p. 171. Apud veteres *maxime remoti* censebantur tales. Strab. VII. p. 303.
- d) Passim viros, et *equestres* Thracas, Paeonesque nuncupat. V. Iliad. IV, v. 519, seqq. Iliad. XIII, v. 227. XVI, v. 287. v. XXI, v. 159, 205. XXIV, v. 234. alib. *Martii Thracas*, Iliad. XIII, v. 301. *Paeones*, XXI v. 160. hi *illustres* ib. v. 152. *Myfi magnanimi*, XIV, v. 512. *Hospitales*, XXIV, v. 278. *Superbi*, X, 430.
- e) Hist. L. IV, c. 89. conf. Bayer. p. 189. *Getae Thracum et iustissimi et fortissimi*.
- f) Strab. L. VII a p. 296. *Myfi bellatores*, p. 296. Steph. Κρήτων, nott. *Ouid. Pont. XIV*, 14. Trist. V, 2. VII. 17. Art. II, 588. *Procop. Aedif. Iust. IV*, 5.
- g) Vid. Bayer. *Conuers. rer. Scyth.* p. 264, seq.
- h) Iliad. X, v. 435.
- i) *Eion* vrbs ad Strimonem.
- k) Iliad. X. v. 518.
- l) Vid. *Onomastic.* in v. *Ἡριόνης* et *Ἰπποκόων*.

alii; quos Poeta non vno canit loco, Thraces Europei sint, vti Paeones apud *Axiu*, et ii, qui apud *Athum*, apud *Aenum* colebant, a) Thraces; hi quoque, qui cum Rhefo venerant, Troianis laturo suppetias, aequae sint Europei, necessum est. b) In primis, quod *Thracum* in Asia nomen neque apud Homerum, neque alium quemquam vetustiore occurrit, sed *Phrygum*, *Bithynorum*, *Paphlagonum*, *Henetum*, qui Thracum Europae cognati fuere c) quidem, sed *Thraces* non adpellabantur.

II. Homerus itaque, vt ad propositum redeamus, vti Thracas, sic et Mysos, eius agri incolas cecinit, cuius possessores sunt postmodum deprehensi, *Thraciae* nimirum ac *Mysiae*, quam Latini postea *Moestiam* dixerunt. Illa Haemum inter ac Aegaeum ab Euxino et Propontide ad Illyricos protenta; d) haec ab Sauo ostio pone Istrum ad huius septemplex in mare defluxum, Istro Haemoque comprehensa. e) Ripam huic oppositam tenuerunt Getae, ad Tiram vsque. f) Ac Thracum quidem, Aegaeum adcolentium, vtpote sibi magis vicinorum, magisque idcirco notorum, distincte meminit Homerus, *Amydonem*, *Axiu*que, *Athon*, *Aenum*que nominans. De iis vero, quae circa Istrum sunt, nihil praeter *Mysos* memorat; vltiora in septemtrionem penitus reticet: horum quoque, citra dubium, facturus mentionem, si quidquam de iis accepisset. g) Satis tamen id a vetustissimo scriptore nobis praestitum videtur, primos Istri adcolas bene designatos esse. Itaque *Mysi*, iam Troianis cogniti temporibus, nomine post maiores suos antiquissimo gloriosi, latus Danubii dextrum cingebant, adsumto a virtute bellica virorum, quo eos Homerus iam insignes faciebat, *vocabulo*; h) patribus, ob reuerentiam, relicto veteri ab *Thira*.

Post *Mysos* *Getae* veniunt, non quidem Homero, sed Herodoto memorati, i) qui eos iisdem pene locis statuit, quibus postmodum comperti fuere, scilicet ab
Thra-

a) Pirus Imbrasides ab *Aeno*, Iliad. IV, v. 520. Pyraechmes ab *Axiu*, XVI, v. 288. XXI, v. 257. II, v. 849. Thracum mons niuofus *Athos*, XIV, v. 229. Conf. Strab. L. I p. 6. *Samothece*, Iliad. XIII. 12. Strab. p. 457.

b) Quid multis? Poetarum princeps ita cecinit, Georg. IV, v. 461, de Eurydice:
- - - - - sterunt Rhodopeiae arces,
Altaque Pangaea, et Rhefi Mauortia tellus,
Atque Getae, atque Hebrus, atque Aetiae Orithyia.
Scilicet, ad Arzum fl. V. Mel. Thrac. p. 41. Conf. Strab. L. XIII, p. 590. Ouid. Art. II, 137, 140. Am. I, 9, 23.

c) Vid. Strab. L. VII p. 295. L. XII p. 543, seq. 552.

d) Strab. L. VII, *Mel.* L. II C. II. *Plin.* L. IV, C. XVIII. alii.

e) *Plin. Hist. N. L.* IV C. XVIII. L. III. C. XXIX, Ptolem. L. II C. IX. L. III C. XI. Conf. Cellar. Orb. Ant. in Moesia et Thracia.

f) Strab. L. VII p. 306. *Plin.* L. IV C. XXV.

g) Vt Strabo inquit, L. XII, p. 553. VII, p. 298. Nouit tamen *Cimmerios*, et *Dacus*, *Getas*, *Sarmatas* epithetis etulit.

h) *Mysi* enim Thracibus viri sunt. Vid. Dissert. Col. Milliar. Eszek. p. 23.

i) *Hist. L.* IV. Conf. Bayer. memor. Scyth. p. 189.

Thracum tergo ad Istrum. Sed non hic limes erat Getarum; producta eorum regio fuit ad Tiram vsque, et iuxta Danubium fere ad Tibiscum; a) non obstante eo, quod heic Scythas Herodotus memorat, vsu aetate sua recepto, quidquid vltra Istrum esset, Scythas nuncupandi. b) Paulo enim post, hac plaga, Getae comperti sunt. Quos enim Herodotus *Tiritas* et *Istricos*, c) in Ponti litore, his duobus fluuiis interponit, d) ii Melae, ora eadem, *Istrici* sunt itidem, e) Straboni *Τυρρηγέται*, *Tyrregetae*, f) Plinio *Tyragetae*. g) Quin consideranti verba Strabonis, ab Istro *Getarum solitudinem* primum ponentis, tum *Tyrregetas*, videntur hi portionem quamdam litoris etiam vltra Tyram possedisse Borysthenem versus. h) Inde Herodoti *Callipidae*, iuxta litus, ad Olbitas vsque, coloniam Graecorum, qui vtrum e Scythico genere sint, an alio, nescias. Strabo a *Tyrregetis Iazyges* ponit *Sarmatas*; tum qui *Regii* (Scythae) vocantur, et *Vrgi*, plerique *Nomades*, quidam etiam agricolae; quos in vtraque Istri parte olim habitasse ferunt. i) *Mediterranea*, quae a Mari, *Alutae*, *Pruthi* fontibus ad Borysthenem vsque porriguntur, ad *Scytharum*, teste Herodoto, spectabant regnum. Hos enim fluuios, ex *Scythia* decurrentes, Istrum augere scribit. k) Sed, vtrum *Scythae* ad horum vsque influxum pertinuerint, *Historicus* non memorat. *Doctissimus Bayerus*, qui *Scytharum facta*, ex Herodoto in primis, belle ac singulari cum diligentia illustravit, eos ad Istrum vsque cum fluminibus dictis perducit, an recte, nescias. Si tamen, quod sentio, dicere licet, crederem, *Scythas* Herodoti ad Istrum, hac quidem parte, non esse promouendos. l) Vallabant enim hanc fluminis ripam *Istrici*, seu *Istriani*; ab exortu *Tiritae*; ab occasu *Agathyrsi*; hi quidem ab *Scythis* m) profecti, illi autem *Getico* sati genere; ab contubernio *Scytharum*

- a) Strabo *Marisum per Getas fluere* dixit, L. VII p. 304, seq.
 b) *Scythiam veterem* hic posuit. V. Bayer. p. 63, seq. vbi et causam reddit. *Scythas et Celto-scythas* omnes septentrionales vocabant veteres. Strab. L. XI p. 507. Et, qui supra Istrum, *Sauromatas*, ibid.
 c) Non habet *Istricos*, sed *Istrianos*, ab Istro oppido vocatos. Vid. Geogr. *Mysiae*.
 d) Vid. Bayer. de situ *Scyth.* p. 86. Conf. *Seuer. Comment.* p. 16.
 e) De situ *Orb.* L. II C. I.
 f) L. VII, p. 295. 306. interpres constanter *Tyrigetis* habet.
 g) H. N. L. IV C. XXVI. Scymno postea *Καλιπίδαι*, v. Bayer. p. 216.
 h) Steph. enim *Δακία, χώρα πλεσιτών Βορυσθένους*, *Dacia, regio prope Borysthenem*.
 i) *Sarmatae* iam olim ad cognatam venerint gentem, quos et Plinius, australi Danubii ripa, *Moesis*, *Getisque* interferit, *Areatas* vocans, et ab *Scythis* distinguens. L. IV. H. N. C. XVIII. Conf. nott. *Hard.*
 k) L. IV C. XLVII, XLVIII. ap. Bayer. l. c. p. 80. Vix equidem hucusque *Scythiam* extendere ausim.
 l) Nisi generico nomine *Scytharum Getas* etiam et *Sarmatas* complectamur; quo etiam Herodotum fuisse complexum, Strabo docet L. VII p. 305 C. vbi *Darium per solitudinem Geticam* vagantem, sitique addictum memorat.
 m) Vt Bayer inquit. *Agathyrsi*, ab *Scythis* diuersi. *Sarmatae* fuerint.

tharum seiuncti omnes. Et, si *Scythae Aratores*, vt inquit Bayerus, *a) mediterranea tenere a Fluuio Tiaranto vsque ad Tiram*, et hos idcirco fluuios Herodotus adnumerauit *Scythiae*, quia scilicet, eos adcolebant (sed ex parte dumtaxat) *Scythae*, qui ad ripas Istri cum Tiaranto *Scythas* deduces, cum infra *Aratores*, in plagam australem, nulli a scriptore *Scythae* memorentur? Sed et Darii in *Scythas* profectio, et per has solitudines peregrinatio, monstrare videtur, *Scythas* ab Istro longius remotos fuisse. *b) Marin* quoque (Marusius est) cum nominasset, inter *Scythicos* non adsciuit fluuios, quem Strabo deinde per *Getas* fluere dixit. *c)* Non magnam sane videntur his terrae locis ab Herodoti aetate ad Strabonis tempora accepisse mutationem, cum vtriusque narrationem perpendenti, sensu conuenire videantur. Quos enim ille *Istrianos* adpellauit, Istri quippe adcolas, ripa boreali, huic *Getae* sunt ad Tibiscum, inde *Daci*, cognati populi. Qui ei *Tiritae*, huic *Tyrigetae*. *Scytharum* illius hac regione vocabulum abiit in *Bastarnas* huius; *d)* quos iisdem prorsus statuit locis, Istro quippe mediterraneis, quibus terminum *Scythiae* australem ponimus, ad fontes *Pruthi*, *Mari*, *Alutae*.

III. *Getarum* itaque nomen, Istro aduerso, ab ostiis eius, sin minus ultra, certe ad cataractas, Strabone quoque teste, *e)* propagatum erat. Nomen, inquam; progenies enim vtrumque Istri olim iam occupauerat latus. Vltiora *Daci* tenebant; quam procul, videbimus deinde: nunc ad *Marum*, seu *Morauam* vsque ponimus, de quo nos Strabo ac Plinius dubitare non sinunt. Ceterum non ita anxios esse nos oportet in *Dacorum* ac *Getarum* finibus terminandis, cum haec promiscua sint apud scriptores nomina, vt, qui *Getae* *Graecis*, iisdem *Daci* Latinis dicantur. *f)* Et ipse Strabo, postquam monuisset, superiora Danubii adcolere *Dacos*, alibi de iisdem agens partibus, *Getarum* adpellat regionem. *g)* Et *Getae* quidem, in vtraque Danubii ripa existentes, *Graecis*, vtpote viciniore, magis quam *Daci*, eodem perhibente, noti fuere. Hos ad septemtrionem *Carpatici* montes, alias *Bastarnicae Alpes* nuncupatae, a Germanorum sedibus dirimebant, occiduo tractu; orientali ab *Sarmatarum* gente *Scytharum*que. Vtor heic vocabulis eorum, qui circa Strabonis aetatem scripserant; Herodoti siquidem tempore vniuersa haec regio, ad *Moeotidem* ac *Tanaim* vsque, *Scythia* vocabatur, diuersas complexa gentes; quas inter et *Getae*; quorum nomen ipse prodidit, sub *Istrianorum* vocabulo fuerint comprehensi. Qui post Herodotum de his commentati sunt prouinciis, eundem secuti compellauere *Scythiam*. Pomponius Mela, sedulus

-
- a) Op. cit. p. 86. Conf. Tab. VI Geogr. quam ex Herodo adornauit.
 - b) Sub Alexandro quoque M. *Getae* trans Istrum erant. V. Strab. VII p. 301.
 - c) Geogr. L. VII p. 304. De Maro Herodoti vid. Bayer. p. 81, 86. In compendio habes ap. eumd. Bayer. a p. 190. Per *Getas* progressum Strabo inquit, L. VII, p. 305.
 - d) Horum *Thracibus* vicinorum, iam sub *Mithridate* memoria. V. Bayer. p. 234.
 - e) L. VII, p. 304, seq.
 - f) Plin. L. IV, C. XXV. Dio L. LI. Conf. nott. Hard. in Plin. Steph. in *Dacia*.
 - g) L. VII p. 294.

sedulus Graecorum veterum, Herodoti maxime ac Scylacis, imitator ultra etiam, quam sui praeceptores, ausus, *Istrum Scythiae populos a sequentibus dirimere* docuit, a) ipsos quoque Sarmatas, ab Scythis longe diuersos, Scythiae vocabulo includens. Nam, vbi de Sarmatia sermonem incipit, his profus eam dilatat finibus. b) *Sarmatia*, refert, *intus quam ad mare (Venedum) latior, ab his, quae sequuntur, (Germanicis) Vistula amne discreta; qua retro abit, vsque ad Istrum flumen immittitur.* Cel. Bayerus, Sarmatas ex Herodoto ad Bogi in Vistulam cadentis exitum, et ad fontes Vistulae, in tabula ab se adornata, posuit, ad Istrum tamen eos prouehere ausus non erat; bene sciens, heic iam ante Getas domicilia fixisse, quamuis id Herodotus, cuius ipse in tabula mentem exprimere voluit, non meminerit; vtpote rem ad se tum quidem non pertinentem. Neque tamen hoc Melae dictum absque vlllo nobis esse merito debet, si rem penitus intueri velimus. Cum enim Getae, vt postea monstrabimus, eodem cum Sarmatis idiomate, sola dialecto variata, sint vli, bene illi quidem horum vocabulo nuncupari valebant. Quod sane nisi fama accepissent ii, quorum scriptis Mela profecit, non erant Sarmatas, hac plaga, vsque ad Istrum perducturi, prout neque Herodotus fecit. Quamuis autem Strabo, qui suae aetatis Geographiam edidit, suum Getis restituerit nomen, toto pene fluminis Danubii tractu; tamen, quod scripta auctoris praestantissimi longum tempus delituerant, posteriores in veterum sententia persistere. Vnde factum, vt Plinius Getas, quos non ita pridem Strabo his memorauit locis, *Sarmatas*, addito *Iazygum* epitheto, nuncuparit. c) Eadem Tacito in Annalibus phrasi ponuntur. d) Ptolemaeus *Ἰάζυγας Μετανάστας Iazyges Metanastas*, *vagos* videlicet, absque Sarmatarum nomine, dixit. e) Cassius Dio *Iazyges* tantum. f) Ammianus Marcellinus, qui de his plura scripsit, *Sarmatas* nuncupat, absque addito; *Iazyges* vero ad Maeotim transfert: g) vbi Strabonis quoque *Ἰάζυγες Σαρμάται. h)* Quae si varietas in considerationem veniat, dubitare quis possit, vtrum *Iazyges* hi Sarmatae diuersi ab Getis fuerint, eo magis, quod vniuersa haec regio nomen *Sarmatae* accepit postea, vt e reliquis Ammianus testatur, inquit: i) *Hister - - magnitudine fluenti Sauromatas praetermeat, adusque amnem Tanaim pertinentes, qui Asiam terminat ab Europa.* Neque id mirum esse putes, cum iam Plinii aetate *Scytharum nomen vsquequaque transferit in Sarmatas atque Germanos, Europam incolentes; k)* et Marcellinus a *Tanai* cognoue-

a) Sit. Orb. L. II C. I. Ammianus *Sarmatiam* dixit, L. XXXI, C. II, p. 507.

b) L. III C. IV, p. 73, edit. Lips. 1773.

c) H. N. L. IV C. XXV.

d) L. XII C. 29, 30. In edit. Fuld. 1777, *Iazyges*.

e) L. III c. 7.

f) L. LXXI, C. 13. seqq.

g) Illud L. XVII C. XII, XIII. et passim alias. Hoc L. XII C. VIII p. 252.

h) L. VII Geogr. p. 306.

i) L. XXXI, C. II p. 507. Conf. Strab. L. II p. 129.

k) L. IV H. N. Cap. XXV.

cognouerit primum a) *Scythiam*. Plinii quoque locus, quo *campos et plana*, circa Marum, *Iazyges Sarmatas: montes vero et saltus pulsos ab his Dacos ad Pathissum amnem*, colere perhibet, obscurior est, quam vt ex eo Sarmatas quospiam aduenas intelligi oporteat, vt qui ab austro, non a septemtrione, progressi videantur, Dacos e campis in montes repulsuri, si per *saltum Hercynium* denotari *iuga montium Carpatiorum* cum Seuerinio debent. b) Ac proinde Getas, Thracum progeniem, vsque Marum producere, per haecenus disputata, nihil vetat. Vtrum porro id facere liceat, videamus.

IV. Pomponius Mela, geographos imitatus antiquissimos, australem Germaniae limitem, *Alpes* ponit, ne memorato quidem Danubio. Sic enim habet: c) *Germania hinc ripis eius (Rheni) vsque ad Alpes, a meridie ipsis Alpibus, ab oriente Sarmaticarum confinio gentium, qua septemtrionem spectat, Oceanico litore obducta est.* Alpes Melae non erunt aliae ab iis, d) quas Strabo de fontibus Istri agens, circa siluam Hercyniam, in multas partes multaue capita scissas perhibet. e) Primumque ex his verticem esse, qui *ab Rheno et palude (Brigantina) dorso instar, mediocre sublimis, vbi fontes Istri sunt, prope Sueuos et Hercyniam siluam, ad orientem spectatur; ceteris in meridiem abeuntibus.* Hanc in exorientem solém versam montium partem veteres *Alpium Hercyniarum* vocabulo vsurpauere; quarum pars maxime occidua postmodum *Abnoba*, vbi fontes Istri, f) *media Hercynii montes*, g) *orientalis Carpatici*. h) Quoniam igitur Mela Germanos adusque Danubium, antiquis iam celebrem, non promouit, facile est e verbis eius conicere, illos hoc etiam Danubii tractu habitasse olim, qui occupauerant reliquum. Strabo quoque, dum *πλησίον Σαίβων prope Sueuos Istrum* oriri, antiquos imitatus, perhibet, hos ad fluum haud coluisse intelligi velle videtur. Scilicet, vis tota Germanorum ad mare olim spectasse videri potest, subsequo tempore sensim in austrum promoti. Et sane, aduersam fluminis ripam gens Illyrica sub Romanis adhuc, possedit ad eius vsque fontes, quod postea videbimus; habuerit ergo et borealem. Sic enim suas ab exortu sedes Thracum genus promouisse videtur, vt fluminis Europae principis, sibi que ad commercia vitae maxime idonei, vtrumque occuparit latus, sic tamen, vt magis in austrum, quam boream, diffunderetur. Et haec quidem si non amplius, certe ad Hercynium vsque

a) Loco mox cit.

b) Comment. C. II § I p. 21.

c) Sit. Orb. L. III C. III. initio.

d) Cellarius Italicis intelligit. L. II c. 5. p. 460.

e) Geogr. L. IV, p. 207. Clarius p. 290. conf. nott.

f) Plin. L. IV H. N. Cap. XXIV.

g) *Hercynium iugum* Plin. L. IV, C. XXVIII fin.

h) Ptolem. L. III C. 7. Καρπάτης ὄρος.

que saltum habebat, Caesare, a) Strabone, b) ac Plinio, c) testibus. Saltus hic apud Istri fontes, d) seu in Heluetiorum et Rauracorum finibus, sumebat initium. Sic enim Caesar: *oritur, inquit, Hercinia silua, ab Heluetiorum, et Nemetum, et Rauracorum finibus, rectaque fluminis Danubii regione pertinet ad fines Dacorum et Anartium. Hinc se flectit sinistrosus, diuersis a flumine regionibus, multarumque gentium fines propter magnitudinem attingit.* e) Ex quo quidem Historici loco, Dacos iam ab Istri fontibus hac ripa non nihil in orientem fuisse remotos colligas; quo vsque, perspicuum non est. Ad *Carpatem*, quo nomine saltum Hercynium quidam volunt, extendere non ausim, quod Plinii adhuc aeuo, ad Carnuntum vsque, id est, vltra occidentale Mari latus, Daci memorantur. Sic enim hic, de Getis ad Pontum differens, scribit: f) *superiora autem (in occasum) inter Danubium et Hercynium saltum, vsque ad Pannonica hiberna Carnunti, Germanorumque ibi confinium, campos et plana Iazyges Sarmatae: montes vero et saltus pulsi ab his Daci ad Pathissum amnem.* Quod si iam per saltum Hercynium Carpatica intelligas iuga, g) Iazyges Sarmatas eousque in solis exortum tendere oportebit, donec iis Carpates a borea praetendi desinat. Quod an sustineri possit, nescio. h) Mihi, tam Caesaris, quam Plini, et, quae adducturus sum, Strabonis verba pensanti, Hercynio saltui ab exortu finis, circiter Mari fontem, ponendus videtur, quo is a Dacorum regione flectit sinistrorsum, diuersisque a flumine Danubio plagis, pone vetus Boiohemum abit in boream. Istud sane Strabonis quoque dictum exposcere putes, quod huiusmodi est: *Latus Germaniae meridionale, inquit, quod est trans Albi, continuo Sueui tenent: post hos Getarum regio attingit, arcta initio, qua iuxta austrinam partem secundum Istrum protenditur, et e regione finibus Hercyniae siluae, partem montium ipsa quoque complectens: deinde versus septentrionem dilatatur vsque ad Tyrigetis.* i) Pars montium, quam regio Dacorum e regione siluae Hercyniae complexa erat, arcto Danubium inter spatium, is tractus Bohemicorum est montium,

a) L. VI Bell. Gall. C. VI n. 24, p. 195 edit. Bassan. 1775.

b) Geogr. L. VII p. 290, 295.

c) L. IV H. N. C. XXV.

d) Vid. Strab. L. IV Geogr. p. 207.

e) *Dierum LX iter in longum*, Mel. L. III C. 3. *in latum LX*, Caes. I. c. conf. Cellar. L. II C. V.

f) H. N. I. c. conf. nott. Hard.

g) Vt Cl. Seuerini volebat, Comment. C. II §. I, p. 21.

h) Carpates incipiebat circa Tibisci fontes, vt Ptolem. L. III C. VII docet; reliqua in occasum iuga montium Sarmaticorum vocabulo veniebant. Conf. Seuerin. Comment. p. 24 seq. Vt videas, Hercynium saltum ad Carpatem neutiquam posse produci. Ceterum, iuga Hercynia ab saltu distingui oportere cenfeo.

i) L. VII Geogr. p. 294 seq. Conf. Virgil. Georg. L. II v. 497, vbi Istri adcolas *Dacos* nuncupat.

rium, qui regioni huic a Danubio praetenditur, circa fluminis Moldavae fontem. Haec enim finibus Hercyniae Istrique ripa in arcum desinit regio, mox versus Marum, et Carpatem panditur in septentrionem. Quod si phrasin scriptoris ad Granuam proferas, non cohaerebit sententia; inde enim maior est in austrum quam in boream Daciae expansio. Neque sibi constabit Plinius, si Carpati Hercynium saltum adcommo-
 dare velis; cum enim ipse ad Marum coluisse Dacos perhibeat, ubi Hercynius iam in boream abiit, et Carpates non dum accepit initium, nisi Iazyges eius, qui Dacos ad Pathissum pepulerant, ultra Marum in solis occasum (prout ipse Carnunti vocabulo poscere videtur) promoveas, qui effectum illius cum adiunctis conciliaturus sis, equidem non video. a)

V. At pones fortasse: siquidem Hercynius saltus ad montem, quem hodie Carpatem dicimus, non pertinet, qua ratione ea Plinii verba, quae supra dictis continuo iunguntur, intelligi debeant, scilicet: *A Maro, siue Duria est, a Suevis regnoque Vanniano dirimens eos, aduersa Basternae tenent?* Difficilem sane Plinii locum, et a nemine, quantum equidem sciam, satis enucleatum, oggeris. Plerique regnum Vannii, auctoritate Taciti, b) Marum inter et Cusum statuunt, hunc Vagum, illum Moravam interpretantes. c) Sed vtrum ad fontes, an ad ostia, non memorant, excepto Seuerinio, qui eos montana occupasse docet, d) Iazygibus plana et campos tenentibus. Quae mihi quoque probatur sententia. Basternas Plinii, Harduinus cis Carpathios, Tibiscum inter et Marum locat, e) ubi Plinius Dacos posuit. Seuerinio ne memorati quidem Basternae; forsitan, quod huc non spectantes trans Carpatem reiciendi erant, quo eos Cellarius misit. f) Duriam historici praeteriire omnes, ipse quoque Seuerinius, qui plagae huius veteres incolas singulariter tractandos sumsit. Vbi tamen, si Duriam et Basternas ex hoc scriptoris textu relegas, vereor, vt Plinii adsequaris mentem; quin imo sit necessum, phrasin haec eius vt non integra maneat. Ego, dubium hoc explicaturus, Quadorum sedes e Tacito ante inuestigabo, quod hos a Plinio Sueuos dici arbitror, quos a Iazygibus Sarmatis Durias dirimebat. Itaque Tacitus, ab occasu progressus, iuxta Hermunduros Narisci, inquit, ac deinde Marcomanni et Quadi agunt. Praecipua Marcomannorum gloria, viresque, atque ipsa etiam sedes, pulsus Boiis, virtute parta. Nec Narisci Quadius degenerant. Eaque Germaniae velut frons est, quatenus Danubio pergitur. Enumeratis deinde, Marli-
 gnis,

a) Arrianus in Gest. Alex. M. Iphis in fontibus Istri τὰ ποτὰ Κελτικὰ plerique Celtae, et extremi eorum Quadi atque Marcomanni, tum Getae ac Σαυροματῶν μῦθρα, super Getis et Sauromatis Ἰάζυγες, denique Scythae, ubi Ister quinque ostiis in Pontum exoneratur. V. Bayer. p. 219. Sed multa e sua aetate dixit Arrianus.

b) Annal. L. II c. 63.

c) Cellar. O. A. L. II C. V, p. 486. Seuerin. Comment. C. II § II. Hard. in nott. ad Plin. l. c. Marum cum Marusio confudit, Strabonem citans.

d) Comment. Cap. II § II p. 22.

e) In Plin. H. N. l. c. not. II. A Sueuis.

f) Orb. Ant. in Germ. Transiustul. p. 487 seq.

gnis, Gothinis, Ofis, Buriis, qui terga Marcomannorum Quadorumque claudebant, *omnes hi populi*, ait, *pauca campestrium, ceterum saltus et vertices montium iugumque infederunt.* a) Ex quibus intelligere est, Hermunduros, Nariscos, Marcomannos et Quados, Germaniae frontem ab austro siue Danubio fuisse, ad hunc tamen, quod saltus et montes occuparunt, non pertinuisse, b) Sarmatis plana camposque tenentibus, quae Dacis ademerant nuper. Cum vero Marcomanni Boiohemum, Tacito eodem perhibente, c) infederint, Quadi eorum vicini occidua Moraviae iuga Marcomannis contigua, tenuisse dicendi erunt, progressi deinde, vrgentibus a tergo aliis, ad Marum, postea Vagum, denique sub Marco Aurelio ad Granuam. Sic tamen, vt eos in montibus potissimum coluisse intelligas, inde quoque a Sarmatis aetate sequenti pulsos. Sub Plinio, qui ex Carnunti aduerso confinium ponit Germanorum, flumen Marum non excefferant. Sub Tacito vltra hunc promoti videntur, dato Sueuis (Hermunduri erant et Marcomanni) e patria profugis, iussuque Drusi Marum inter et Cusum locatis, rege Vannio gentis Quadorum, quod hi tum fortasse eam colebant regionem. Deinde aduenis in suum nomen acceptis ad Granuam promouere sedes, oram Danubii constanter tenentibus Sarmatis. Et istud quidem repetemus; nunc, quid sibi *Duria* velit, videndum. Gronouius et Altingius pro *a Maro*, siue *Duria* est, legunt *a Moro*, siue *is Dacia* est. d) Vtrumque obscurum, sed hoc illo obscurius. Putet quis *Duriam* esse Marii brachium; id enim siue particula poscere videtur. Sed, quoniam Sarmatas a Sueuis regnoque Vanniano seiungebat *Duria*, Taciti *Cusus* is esse credi potest, cuius (fonte spectato) aduersa, Marique, *Basternae* tenebant, aliique inde (in boream) Germani. Et *Basternae* quidem, alias *Peucini*, e) iugo montium Carpaticorum per Sarmatiam Europae longissimum protenti, Euxinum fere tangebant. f) In boream Germani reliqui, ad Oceanum vsque. Nunc ad *Iazyges*.

VI. Ex haecenus disputatis, vt coeptum perficiamus, liquet, Sarmatas ripam Danubii, aetate Plinii, ad Marum, et vltra tenuisse, Germanis se se in Daciam, sed per montana, promouentibus. Ante Plinium Daci his fuere locis, a *Iazygibus*, forsitan e Sarmatia Europea, sed quando, incertum, g) huc adpulsis, ad *Pathissum* siue *Tibiscum* remoti. Si haec Sarmatarum in Dacos impressio Iulii et Augusti aeuo, vt *Seuerinius* arbitratur, h) accidisset, nae *Strabo*, diligentissimus:

I 2.

cete-

a) Mor. Germ. Cap. 42, 43.

b) Cellarius vti *Nariscos* sic et *Quados* vsque Danubium producit, sed non ex Tacito, qui montana hos tenuisse docuit. Vid. Cellar. L. II C. V.

c) Germ. l. c. conf. Cap. 28 de *Boiohemo*.

d) Nott. in Plin. l. c. conf. *Seuerin. Comment.* p. 21.

e) Tacit. Germ. Cap. 46. *Strab.* p. 305.

f) Vid. Cellar. O. A. *Germ. Transiustul.* p. 487.

g) Olim, cum *sedes mutare liberum esset, solumque possessionis dubiae*, vt Tacit. Mor. Germ. Cap. 28, 29. Nisi post *Boerebistae* casum, cum Marcomannis. Vid. *Geog. Dac.*

h) *Comment. Cap. II § II initio.* Paulo post id fieri potuisse, non aegre admiserim, cum *Strabone* teste L. VII p. 304, res eorum, sublato *Boerebista*, cadere coepissent. Conf. *Bayer.* p. 240. seq.

ceteroquin gestorum Augusti, temporisue illius recensor, vbi ad haec peruenit loca, mentionem facturum erat. Sed neque Plinius Iazygas e Sarmatia venisse prodidit, nec alius quisquam. Et vallabant sane hanc a borea plagam Germani, iuga montium, hoc in primis tractu, dense obsidentes, peregrinam gentem ad interiora nequaquam permiffuri. Id quoque dubitationem auget, quod non a Borea, vnde eos huc venire oportuit, sed ab austro et occasu Dacos repulisse videantur, ad montes quippe et Pathissum amnem, a Danubio et Maro. Facilius id Germani profecto, Dacis ab occasu et borea vicini, facere poterant, quam Sarmatae, montibus longe, hac quidem parte, remoti. Praeterea, si Iazyges hi Sarmatae diuersi a Dacis erant, atque iidem cum Ptolemaei *Metanastis*, quo fulmine intra hoc tempus, quod a Plinio ad Ptolemaeum intercessit, a) vniuersam Getarum patriam, adusque Tibisci in Danubium influxum, occupauere? Non tam propere id fieri potuit, in primis si impedimenta, quae obstabant, consideres. Neque enim mihi persuadere possim, Dacos, gentem amplissimam, eoque maxime, de quo agimus, tempore viribus pollentem, sibi magnam regionis partem ingratis eripi passuros fuisse, qui extra suos etiam fines profecti, cladem aliis, praesertim Gallorum populo, in Thracibus, Pannoniis, Vindelicis, adfinae cognatae gente, ponenti sedes, tamdiu inferre non destiterunt, donec omne Gallorum his prouinciis nomen penitus aboleuissent. b) Vt adeo Iazyges, quos Plinius *Sarmatas*, Ptolemaeus vero *Metanastas* vocauit, diuersam a Dacis gentem fuisse non facile credam; nisi hos suis indormisse, dum aliena peterent, dicamus; quod in tanto populo, quales Getae erant, haud facile admitti potest. Hoc tamen sic a me dictum intelligite, vt omne Sarmatarum genus e partibus his eliminatum non modo nolim, verum etiam colonias quasdam eorum in vtramque Danubii ripam, his maxime finibus, circa Marum, olim iam commigrasse, cum *sedes adhuc promiscuae et nulla regnorum potentia diuisae*, vt inquit Tacitus, c) essent, vltro concedam. Id solum contendo, Iazyges Sarmatas, quorum citati meminere scriptores, non in eum isthic praeualuisse modum, vt genus Dacicum hinc penitus exulasse velimus; sed aduenas indigenis mixtos, nomine dumtaxat, in primis vbi cum Romanis belligerari coeptum, superiores effectos. d) Inde factum censeas, vt, quos Plinius ad boream solum memorarat, eorum fama paullo post ad influxum Tibisci peruaserit, Dacis vtramque fluminis ripam adhuc tenentibus, adusque Danubii latus, occiduo sibi sole proximum. Et impressio quoque illa, qua Daci a Sarmatis in saltus et montes pulsi dicuntur ad Pathissum, procurfio quaedam temporanea, aut potius cessio erat, vrgentibus a tergo fortasse Germanis, vel, quod vero proximum esse videtur, Getis Sarmatas, eadem lingua, dialecto solum variata,

a) Plinius sub Vespasiano, Ptolemaeus sub Antonino Pio, scripsere. Titus obiit A. C. 81, Pius coepit A. 138. Intercessere 57 anni.

b) Vid. Strab. L. VII p. 304, 313, 315, 318.

c) Mor. Germ. Cap. 28.

d) Seuerini Slauos ab Sarmatis ob linguae adfinitatem receptos ait. Com. p. 90.

variata, vtentes, in ciuitatem, vt erant hospitales, recipientibus; quæ deinde faciat Romanos diu, fortiter pugnando, fatigarant.

Hac iam periphrasi, quæ hoc quidem loco non inutilis erat, expedita, reliquum iter paucis percurramus. Itaque Plinii memoria Getæ ad hiberna vsque Carnunti, seu Marum amnem, coluere, quin et vltra, si cursum Hercynii saltus confideres. Poterat quoque Marum nominare Plinius, si is Iazygum fuisset ab occasu terminus. Dixit autem Carnuntum Pannoniæ, non, quod ibi iuxta Istrum, Daci essent a Germanis seiuncti, sed quod is locus erat pro hibernis maxime idoneus, quo miles Romanus ripam, aduersus Dacorum, Sarmatarum, ac etiam Germanorum incurfus defendendi causâ excubaret. Hic enim tunc præcipuus Pannoniæ finibus erat locus, Vindobona id nominis, quod habuit postea, nec dum obtinente. Vt adeo nihil veter, Getas æuo Plinii per Danubii latus, Vindobonæ oppositum, locare. Strabonis ætate Caesarisque, Danubium inter et Hercynium saltum, sin vltra, certe ad fontes Moldauæ. Superiori tempore, in primis ante Heluetiorum, Boiorum, aliarumque gentium Gallicarum aduentum, coluerint ad Istri vsque fontes. a) Et nescio, an non Boiohemi quoque fuerint incolæ, priusquam isthuc adpulissent Galli; profecto vicina hæc iis erat prouincia. Ceterum non procul ab Istro in boream tractu hoc Getarum excurreret regio, quam Strabo *arctam initio* fuisse memorat. Hanc ipsi tum deseruisse videntur, cum iis Germani a septentrione incumbere coepissent, pars in aduersam Danubii ripam ad Illyricos, pars in exortum ad maiores concedentes. Manserint tamen quaedam præcis sedibus reliquiae, in primis circa Moldauam et Marum, adsumto postea nomine Sarmatarum. Profecto Morauos, Silesios, Polonos, vti sunt Hungariæ confines, Dacis veteribus mixtos, lingua prodit; facilius enim hi, quam remotiores, intelliguntur nobis, vt postea dicemus. Nunc, designatis latere Danubii laeui adcolis indigenis, qui Daci seu Getæ, Thracum progenies, fuere, eos videamus, qui dextrum occupauere eiusdem fluminis latus.

VII. Post Thracas parentes, vetustissimum esse Mysorum nomen, supra iam ex Homero insinuauimus. b) Hi, vtpote Thracum posteri, cum Europæ antea forent incolæ, circa belli Troiani tempora in Asiam digressi nomen quoque secum eo tulere adeo, vt ad Istrum longo post æuo tenuis eorum superesset memoria; dum scilicet Romani, bello adgressi Thracas, *Mysos* (ab iis Moesos dictos) præcis comperissent sedibus. Europam eos, vti Thracas etiam, coluisse olim, nullum iis supererit dubium, qui Poetae versus cum apologia Strabonis sunt collaturi. Nam si Iupiter *πάλιw τρέπειν ὄσσει*, retro vertit oculos a Troia, sic, vt
eam

a) Cl. Seuerini carpit Strabonem L. II p. illi 88, mihi 128, *Getas prorsus ad Istri fontes extendentem*. Quod etsi Strabo dixisset, priora respiciens tempora, male diciturus non erat; sed, quoniam is ad laeuam Istri ab Rheno, *Germaniam* primo, tum *Geticum tractum*, postea *Tyrigetas, Bastarnas, Sauromatas*, locat, hoc equidem eum crimine absoluendum reor. V. Seuer. Comment. p. 16.

b) Cap. V Dissert. n. I, II.

eam a tergo haberet, nec respiceret omnino amplius, ἐς Τροίην δ' ἔπειτα πρὸς ἴσσηρ, is ab *Idae verticibus*, vbi cum Iunone tum est versatus, a) circiter Sigeum, non potuit Asiae intueri Mysos, vt non simul Troiam videret; a qua tamen oculos auertisse dicitur. Accedit, quod, cum Thracibus, Europae incolis, continuo adiungat *Mysos*, itemque Hippomolgos, Galactophagos, Abios, homines iustissimos, per quos Strabo cum aliis Scythas et Sauromatas vltra Istrum significari vult, Thracum genti, Mylisque in primis propinquos, non alii a Poeta Myfi, hoc quidem loco, designari poterant, praeterquam Europei, Istrum adcolentes. b) Atque, vt, quod sentio, dicam, omne illud in Asia Myforum nomen ab Iliacis temporibus repetendum est, quum cognatae gentes, Priamo aduersum Graecos laturae suppetias, quas decem annorum spatio, indigenis patientibus, habebant sedes, excisa postea vrbe, retinere. Inde gentis Thraciae, Myforum in primis, crebrum in Asia nomen, adeo, vt quidquid ab Ionia, maris litore, ad Paphlagoniam regionis esset, *Mysia* diceretur. c) Inde *Thyni*, *Bithyni*, d) *Mariandyni*, Thracum progenies, e) in Asia, qui relictis sedibus autis, apud cognatam gentem, vi bellorum nimis accisam, manere, non vano certe consilio, decreuerunt. Ex quo factum est temporis lapsu, vt eruditi, cum populos Asiae Europeis cognomines reperissent, aliqui hos ab iis, alii causa melius discussa illos ab his coloniam duxisse adseruerint. Strabo, diligentissimus veterum indagator, constans in eo est, vt ostendat, gentem hanc ex Europa in Asiam traiecisse, f) tam ratione, quam et auctoritate fultus. Nolim autem, hoc a me dictum ita quis intelligat, vt puret, me velle, in ea gentium huc et illuc migratione contingere haud potuisse, vt quaedam ex Asia quoque in Europam transirent coloniae. Id enim siue ante Troiana tempora, siue post ea, et contingere facile potuit, et contigit etiam; cum, vt inquit Tacitus, g) *nihil obfaret, quo minus, vt quaeque gens euqluerat, occuparet permutaretque sedes, promiscuas adhuc, et nulla regionum potentia diuisas*. Certe Caucones, Pelasgi, Leleges, qui Priamo auxilium tulerant, non trans aquam profecti, varias postmodum Europae prouincias peruagati fuerunt.

-
- a) Iliad. XV, v. 5. Ida multas habebat partes, ab Aesepo ad Lectum protenta. Vid. Cellar. O. A. L. III. C. II p. 56 58. cuius pars Sigeum promontorium.
- b) Vid. Strab. L. VII p. 295 seqq. 303. 341, seqq. 366.
- c) Vide Strab. L. XII p. 541, seqq. 566. vbi Mysos ante Bithynorum aduentum eam partem coluisse refert. Aeolida et Teuthraniam in Mysia ponit Plin. L. V. H. N. C. XXXII, sequi. Conf. *McL.* L. I C. 18. *Martian.* L. VI. *Scylac.* p. 35. Abydum Troadis Thracum post Troica tenuere, *Strab.* L. XIII p. 586, 591, 565. Homerus, dum in auxiliis Troianorum Mysos in Asia censet, e sua loquitur aetate. Hic locus ab alio illo diuersus est.
- d) Bithyniam dicit Plinius L. V, C. XL, olim *Croniam*, dein *Theffalim*, dein *Malianden* (forte Mariandynen) et *Strimonim*, dictam; cuius incolae Homerus *Halizonas* dixerit.
- e) Strab. L. VII p. 295. XII, 541, seqq. Plin. L. V. H. N. C. XLI, XLIV. conf. *noti.* Hard.
- f) L. VII, ac XII ll. cc. et passim Conf. Plin. L. V, C. 41.
- g) *Mor.* Germ. Cap. XXVIII.

re. a) Id volo dumtaxat, *Myfos*, quorum bello Troiano reperis nomen, ex Europa venisse, vocabulo quoque eo secum adducto, ut cuius memoria ante id temporis non occurrat in Asia. Nam, quod aliqui ex Homero de Mysis Asiae loqui videantur, uti Strabo, terminos Mysiae Troadisque definiens, b) id ad Iliacam, et posteriorem referri debet aetatem, qua Myli hoc iam confedere agro; non ad antiquiorem, qua haec nulli extiterant. Quod ni ante oculos continuo habeas, verendum est, ne in eum incidas errorem, in quem Apollodorus est lapsus, adserens, *Europae Myfos esse fictitios*; c) qua de re Strabo hominem, ut solet in his, acriter perstringit. d) Vnde enim Myli, si quidem fictitii erant, ad utrumque Istri postea comparuere latus? Nisi forte, captaturus fabellas, e Troiano illo equo huc eos deduci velis.

VIII. Itaque Myfos, quorum in Asia occurrit nomen, coloniam Europae Myforum, Istrum adcolentium, esse dicimus, Iliacis temporibus eo deductam. Sed non hi soli, e Thracum progenie, illo migrarunt; *Dardani* quoque, penes quos imperium fuit, dum fortuna manebat, et *Phryges*, Thracum sunt coloniae, olim iam, ante fatalis belli exortum eo traductae. Utrosque, cum nostri sint argumenti pars singularis, videre liceat, Phryges primum, tum Dardanos. De illis haec memoriae tradidit historiae scriptor vetustissimus, qui praesto sit, Herodotus: e) οἱ δὲ Φρύγες (ὡς Μακεδόνες λέγουσι) ἐκαλέοντο Βρίγες χρόνον ὅσον Εὐρωπαϊοὶ ζῶντες συνοικῶν Μακεδόσι. μεταβάλλοντες δὲ εἰς τὴν Ἀσίην, ἅμα τῇ χώρῃ καὶ τὸ ἔθνος μετέβαλον εἰς Φρύγας. *Phryges vero (ut Macedones aiunt) vocabantur Briges, donec Europei fuerunt, et una cum Macedonibus incolabant: transgressi autem in Asiam, una cum regione et nomen mutarunt in Phryges.* Transmigrationis haec antiqua profecto esse debuit, cum bello iam Iliaco Phrygum ad ripas Sangarii memoria fiat. f) Conon apud Photium, g) Bryges Mida duce in Mysiam transisse, atque exigua vocis immutatione Phygas ibi esse adpellatos refert. Quodli Midas hic Gordii filius erat, ut e Conone censet Harduinus, nasci eum seculis ante patrem oportuit pluribus. Hoc enim defuncto, Midas regnum adiit Olympiadis CIX h) anno secundo circiter, ubi Troia 407 ante Olympiades annis iam esse desuit. Sed neque ille Midas, quem Caranus regni Macedoniae statore, inde pepulit, i) profectioi huic interesse potuit; liquidem Carani dominatio in annum P. L. 3920, k) id est, ante primam Olympiadem septimum decimum,

a) Strab. L. XII, p. 572. VII, p. 321.

b) L. XII Geogr. p. 564, seq. Conf. Cellar. O. A. L. III C. III. Strab. XIII, 586.

c) Ap. Strab. L. VII p. 303.

d) L. VII Geogr. p. 303.

e) L. VII C. 73, Conf. Bayer. Rer. Scyth. p. 264, seq.

f) Iliad. III v. 187. XVI, v. 719.

g) Cod. CLXXXVI ap. Harduin. in nott. ad Plin. L. V, C. XLI.

h) Euseb. Chron. n. DCCIX, i. e. P. I. 3405 regnum Midae in Phrygia ponit.

i) Vid. Iustini Trog. L. VII C. I.

k) Initium A. 3900. finis 3928, v. Petau. Tom. II p. 149.

num, cum a Troiae excidio 390 effluxissent, a) inciderit. Quocumque tamen iuduce in Asiam traiecerint, ex Europa traiecisse, agro Thraciae, Macedoniis propinquo, certum est. Id, praeter Herodotum, Strabo, Plinius, b) Eustathius ad Periegeten, c) Stephanus, d) et hos multi recentiorum secuti, e) docent. Ut hac de re quidem nullum apud eruditos dubium superesse videatur, in primis, si Phrygum Asiae maiores postea quoque apud Thracas comperiebantur. Sed vbi? Tacent Geographorum παῖδες. Priscos videamus. Stephanus, postquam Βρύγες *Briges* ἔθνος Θρακικὸν gentem *Thracicam*, adlata Herodoti auctoritate, dixisset, paullo infra Βρύγιον *Brygium* urbem, et Βρύγας *Brygas* populum Macedoniae, qui essent προσεχῆς Ἰλλυριοῖς vicini *Illyriis*, f) nominat. Loquitur ethnicus de suae aetatis Macedonia, quae Thraciae partem et Illyrici occupauerat. Fuisse autem Paenoniae populum *Brygas*, e Strabone coniecere licet. Is enim de fluuio *Erigone* locutus, ὁ δὲ Ἐριγῶν, ait, πολλά δεξάμενος ῥέυματα ἐκ τῶν Ἰλλυρικῶν ὄρεων, καὶ Λυκισῶν, καὶ Βρυγῶν, καὶ Δευριόπων, καὶ πλειόνων, εἰς τὸν Ἄξιον ἐκδίδωσι. *At Erigon, multis, qui de Illyricis montibus, et Lyncestide, et Brygis, et Deuriopis, atque aliunde, influunt, amnibus receptis, in Axium se se effundit.* *Lyncistae* ex eius descriptione vltiori, ad *Erigonis* pertinebant fontes. *Deuriopi* latus occiduum tenebant. *Brygae* itaque spectarint boream, ad iuga Illyriorum, circa montem *Boram* seu *Boream*, qui hodie *Driba* (*Dibra*) maior audit, vbi confinia *Paenonum*, *Dardanorum*, et *Illyriorum*, insigni *Erigonis* (*Bistriciae*) ramo, a *Borea* defluente, irrigua. Et sane montium adcolas fuisse *Briges*, ipsum arguit nomen. g) Sed et *Phryges* Strabo his memorat locis, et *Stephanus*

a) Hoc enim figitur in an. P. I. 3530, ante I. Olymp. 407. V. Petau. Rat. Temp. T. II p. 127, seqq. P. II L. II Cap. X. Accuratus hi calculi ducuntur in Geographia Thraciae.

b) L. V H. N. C. XLI, fin.

c) Ad v. 323, ap. Bayer. Rer. Scyth. p. 264.

d) Voc. Βρύγες. conf. nott. a Pined. hic et in Φρυγία.

e) Vid. Bayer. a Pined. Harduin. II. cc.

f) In voc. Βρύξ. vbi, τὸ ἔθνος, ait, καὶ Βρυγαί. *Bryx*, gens, et *Brygae*. In Βρύκης vero, Βρύκης, καὶ Βρύκαι, ἔθνος Θρακίης. Λέγονται καὶ Βρυκεῖς, καὶ Βρυκήιοι, *Bryces* et *Brycae*, *populus Thraciae*, qui etiam dicuntur *Brycei*, et *Bryceii*. Sed omnes hi vnus fuere *populus*, vti Βρυγίας et Βρύγιον vna ciuitas, male pro diuersis habitata. Vid. Strab. L. XII p. 550 hoc belle firmantem. Et hodie *Brigiani*, *Scordinga* australia occupantes, famosi.

g) *Brig* enim, seu *Brieg*, vel *Breg*, Thracibus collem notat, montem, et quemcumque locum editum, in cuiusmodi positu priscae condebantur ciuitates. Conf. Dolci *Illyr. Ling.* § VII. Vnde *Briges* aut *Breges* (nam et sic scribuntur, v. Strab. L. XII p. 550.) quasi *montani*, Thracibus *Brigni*, vel *Bregni*. Postea *Phryges*, quasi *Priges*, migrantes; ἀπὸ τῆς *prigje*, migravit. Quid autem *Hesychius* ex *luba*, ap. Bayer. p. 265, dicere voluerit, scribens, Βρίγα λέγεσθαι ἐλευθέρου, *Briga* dicitur *liber*, seu *immunis*, *Lydia* lingua, non capio. *Lydi* et *Cares*, *Troum* cognati, sermone *Thracum* vsi sunt. Audierit *luba* a *Lydis ne-briga*, quod *securum* designat, ex quo

phanus etiam. a) Is, vbi dixerat, Epirotis gentes misceri Illyricas, τῆς γὰρ Ἐπιδάμνου, inquit, b) καὶ τῆς Ἀπολλωνίας, μέχρι τῶν Κεραυνίων ὑπεροικῶσι, Βυλλιονές τε, καὶ Ταυλάντιοι, καὶ Παρθίνοι, καὶ Φρύγοι. circa Dyrrachium quippe et Apolloniam, usque ad Ceraunios montes, habitant Bulliones, Taulantii, Parthini, et Phrygi. Addit quoque, hos partes montium meridiei obuersas, πρὸς τῆς νοτίᾳ μέρει τῆς ὄρεως, coluisse; vt in sententia, quam de Brygis dedimus, confirmemur. Casaubonus etiam Brygas pro Phrygis apud Strabonem hoc legendum loco arbitrat, adducto in testem Stephano, quod ei facile concedimus. Quod autem scribit Stephanus, c) καὶ Βρυγία ἢ Τρωϊκή, τῆς ἢ Φρυγία, ἀπὸ Φρύγου τοῦ κατοικήσαντος ἐν Μακεδονίᾳ, et Brigia Troica, hoc est, Phrygia a Phrygo, qui sedes collocavit in Macedonia, id e suo illum addidisse noueris, cui familiare est, ducum nomina, more Graecorum, confingere, vbi vetustissimam populi aetatem dare voluit. Sed et Briges ac Brygae, Straboni Brygi, quos distinguere Stephanus videtur, iidem fuere, populus Thraciae, vt ipse in Brigibus adferuit. Venerit autem in hanc Ethnicus opinionem, vt diuersos esse putaret, quod Paonia, cuius incolae Briges erant, viuere iam in Macedoniae nomen concessit, cum ante ad corpus Thraciae spectarit. d)

IX. Sed quo iam tempore Brigas ex his Thraciae sedibus migrasse dicemus? Fortasse cum Dardano. Hunc e Thracia colonias duxisse in Asiam, vnanimis est veterum sententia. Eustathius ad Dionysium Periegeten, e) in cataclysmo Dardanum ex Samothracia nauigasse in Asiam dicit, εἰς τοὺς Τρωϊκούς τόπους, in Troica loca. f) Eo tempore Teucrum in Troade regnasse Graeci dicunt, g) quo defuncto regnum Dardanus ab se nominatum fundarit, Batia, Teuceri filia, in vxorem ducta. h) Initia regni Dardanici ponuntur in annum P. I. 3194, ante primam Olympiadem 744, ante Ilii excidium 336. Est autem varia de origine Dardani sententia, aliis eum Arcadem, aliis Italum facientibus; et hi quidem secuti

per aphaeresin Briga fecit, idem esse opinatus, cum velit contrarium, scilicet curam. Nec minus a recto abiit Cel. Bayerus, ex Briga Germanicum Frey effingens. Hi sunt apud ignaros barbarae linguae fetus. De Mesembria Strabonis alibi dicemus.

a) Conf. Scymnum ap. Lucium p. 14, a. fin. b. circa Crojam Alban. v. Dolci p. 16. Epidamni incolae, App. bell. Ciu. L. XXI ap. Dolci p. 36.

b) L. VII, p. 326, Βρύγοι legendum, e pag. seq. liquet, loco supra citato.

c) Voc. Βρίγες.

d) Vid. in compendio Cl. Seuerin, P. I. L. II C. III. Conf. Iustin. L. VII C. I. Mel. II, 2.

e) Verf. 524, ap. Bayer. p. 264.

f) Conf. Strab. excerpt. L. VII.

g) Mnaseas ap. Steph. voc. Δάρδανος. Conf. Petau. Rat. Temp. P. I. L. I, C. 11.

h) Stephanus Βάττιαν, Batiam nuncupat. Collem huius nominis, Βατίειαν, Homerus Iliad. B. v. 813, ad Troiam memorat, vbi sepulcrum Myrinnis, forte Amazonis.

cuti Virgilium, a) historiam a poemate non satis discernentes: illi sic informati rumore. Thracem fuisse Dardanum, Graeci nos dubitare non sinunt. Sed vnde profectus? Parum aberit, si non ex *Dardania Thraciae*. Dardaniam hanc scriptores antiqui memorant, eamque Myliam inter, Dalmatiam, Macedoniam, ac Thraciam statuunt. b) Appianus agens de Paeonibus, ὑλώδης δ' ἐστίν, αἰτ, ἡ Παιόνων χώρα, καὶ ἐπιμήκης ἐξ Ἰαπόδων ἐπὶ Δαρδάνους, *vlginosā est Paeonum regio, et a Iapodibus ad Dardanos protenta*, vbi Paeonum vocabulo Pannonios intelligit. An autem *vlginosam* recte hoc loco, cum sit *montosa*, nuncupet, nescio. Ptolemaeus sub Moesia superiore Dardaniam locat, in eaque oppida quatuor, Νέσον *Nesum*, Ἀρριβάντιον *Arribantium*, Οὐλπίανου *Vlpiantum*, et Σκᾶπι *Scupi* recenset. c) Νέσος Ptolemaei est Νάισσος seu Ναῖσος, Naifus, hodie Nissa in Seruia. Σκᾶπι, Stephano Σκόποι, *Szkopje*, insigne oppidum Bulgariae, in confinio Seruiae ac Thraciae. Dardaniam hanc retulere quidam ad corpus Moesiae superioris; d) nonnulli ad nomen Thraciae, vti Stephanus, qui *Naissum* et *Scopos πόλεις Θράκης vrbes Thraciae* dixit. e) Nihil mirum, quoniam et Moesi et Dardani Thracum progenies fuerunt. Sed praeter nomina *Dardanorum* ac *Dardaniae*, f) populi scilicet, ac prouinciae, vrbs quoque *Dardanium* his erat locis, teste Isacio Tzetze, g) qui eam *supra Illyrios et Macedones* locat, in Dardania scilicet. Quid si ergo Dardanum ex hac prouincia migrasse dicamus primo in Sarmum, postea in Asiae regionem, Hellestonto vicinam? Profecto, Thracem fuisse Dardanum, plura Troibus aequae ac Thracibus communia ostendunt vocabula, quod iam Strabo animaduertit. h) Sic *Scaei sunt Thraces quidam, et Scaeus fluius, Scaeus murus: et in Troia Scaee portae. Xanthii Thraces, Xanthus Troiae amnis. Arisbus in Hebrum incidens: Arisba in Troia. Rhesus Troiae fluius, et Thracum rex Rhesus*. Idem Strabo, loco alio, i) de Ponto, et Phrygia,

a) Aen. III v. 167. VII v. 206. Seru. in Aen. III.

b) Vid. Cellar. O. A. L. II C. VIII, in MOESIA, a p. 569. Quod hic p. 570 putat, hos a Dardanis in Troade originem sumfisse, eget antithesi; vti et Bayer. p. 265.

c) L. III, C. IX. Conf. Cellar. L. II, C. VIII p. 583.

d) Plin. L. III, C. XXIX. Ptolem. l. c. Conf. Cellar. II. cc. et Ind. Geogr. v. *Dardani*. Plin. IV, 1.

e) VV. Ναῖσος, Νάσος, Σκόποι. Naiflus patria Constantini M. fuit. id. Conf. nott. a Pined.

f) Straboni L. VII p. 316, haec *Δαρδανικῆς Dardanices*, illi *Δαρδανιατῶν* et *Δαρδανίων* *Dardaniatum* et *Dardaniorum* nomine veniunt.

g) A Pined. nott. ad Steph. *Δάρδανος*.

h) L. XIII Geogr. p. 590.

i) L. XII, p. 564. Conf. L. VII p. 295, vbi his, *Thyni, Bebryces, Medobythini*, adduntur. *Lydos, Cares, Mysos*, fratres adpellat, L. XIV, p. 659. Idcirco termini eorum confusi, XIII, p. 628. Occiduo Lycaoniae latere, *Thracum soboles Milyae*, Plin. L. V, 25. fin. Strabo prouinciam *Μιλύαν* vocat, p. 631. Supra Armeniam (circa Meschicos montes) *Thraces* cognomento *Saraparac*, a capitum praecisione.

gia, locutus, postquam *Bithynos, Mysos, Phrygas, Doliones, Mygdones, ac Troes*, memorasset, aduenas fuisse milites, et *barbaros, ἅπαντα δὲ τὰ ἔθνη, αἰτ, ταῦτα Θράκιά τις εικάζει, ἂν διὰ τὸ τὴν περὶ αὐτὸν νῆμασθαι τούτους, καὶ διὰ τὸ μὴ πολὺ ἐξυλάσθαι ἀλλήλων ἐκατέρους, omnes istos populos Thracess esse existimauerit aliquis, quod et oppositam hic continentem tenent, neque magna inter eos videtur cultusque est diuersitas.* Ipsum quoque *Dardani* vocabulum sonat quid Thracicum: hi enim *hastatos* adpellant *Dardanos*, ab *hasta*, quae Thracibus *Darda* vocatur. Celebres autem a *longis hastis* fuisse Thracas, nemo, qui *Homerum* legit, vertet in dubium. a) Vt adeo, nihil a vero propius abesse putem, quam *Dardanum* e locis Thraciae memoratis, exemplo *Phrygum*, qui praecessisse videntur, sibi olim heic, vti et postea vicinorum, in *Asiam* traiecisse, circiter *cataclysmi* tempora. *Deucalionis* hic *κατακλυσμός* est, de quo multa canentem vide *Nasonem*. b) E fabulis verum sic educit *Iustinus*. c) *Huius temporibus*, (*Amphyktionis Athenarum regis*) *aquarum illuuias maiorem partem populorum Graeciae absumsit. Superfuerunt, quos refugia montium receperunt, aut ad regem Thessaliae Deucalionem ratibus euecti sunt, a quo propterea genus hominum (a Poetis) conditum dicitur.* E marmoribus *Arundellianis* d) *annus diluuii huius erat Periodi Iulianae 3185; e) ante conditam a Dardano urbem Dardaniam 50, f) ante expugnatum Ilium 345.* Itaque, si partim commorationi in *Samothrace*, partim itineri ex auitis sedibus huc, et inde in *Asiam* ad *Teucrum Phrygem*, vicinum olim et cognatum suum, facto 20 adsignemus annos, apud *soferum* (siquidem hac sit aetate profectus) *tricenos* exegerit, ei in regno, ab se postea nuncupato, accepta in *uxorem* filia *Βάρβα*, succedens. Quamuis autem annis aliquot a *cataclysmo* eius profectio contingere poterat, opinione *Graecorum* salua; tamen, posita quoque ipsa *cataclysmi* epocha, res fidem superare non videtur. Potuit enim *Dardanus* ad aetatem vsque decrepitam viuere, annum, vt id patiebatur *seculum*, *centesimum*. Si ergo diluuii tempore *viciesimum* circiter adtigerat, *annorum septuaginta*, dum regnum *Dardaniae* nouae fundaret, comperitur; vnum ac *triginta* regnavit: g) proinde primum supra *centesimum*, *vita* decedens, habuerit.

K 2

X. Ex

Nobis *Sarpari, falce vsi*, p. 531. Et promiscua *Troes, Mysi, Lydii, et Phryges, Lycii et Cares*, habebant vti limites, sic et nomina, p. 665. *Cappadoces, Heneti, Paphlagones*, p. 553, conf. 471. Cl. *Seuerin. P. I. L. II C. IX. Cares ac Leleges*, p. 321. *Dryopes, Caucones, Pelasgi, ib. 327. de Lydis v. nott. in Steph. Λουδοί.* Item *Phryges et Mysi* in *Φρυγία. Cares, Lydi, Mysi, Bayer. p. 36.*

a) Vid. supr. *Homer. IV, 533.*

b) *Metam. I, v. 316, seqq. VII, 356.*

c) *Hist. L. II C. VI.*

d) *Ap. Petau. Rat. Temp. P. II, L. II C. X.*

e) *Secundum recentiores, 3144. Mundi, 2434.*

f) *Euseb. Dhron. num. DXXXIX, Δάρδανος ἐκτίσσε Δαρδανίαν. Conf. Steph. Δάρδανος.*

g) *Vid. Petau. l. c. p. 128.*

X. Ex his iam, quae disputata sunt haecenus, colligi posse arbitror, uti Phrygas, sic et Dardanos, Thracum progeniem, ex Europa in Asiae agros, quibus cognati populi multo ante confederant, secum detulisse nomen. Inde factum censeo, ut Paeones, Dardanis, Brigisque, ad Axium et Erigonem contermini, de Iliacis originibus gloriarentur; quaerenti enim Dario Hystaspis, *quinam homines essent Paeones*, reposuere Pigres et Maslyes, duces eorum, *ad fluvium Strymonem habere Paeonas, esseque coloniam Teucrorum, qui e Troia fuerunt.* a) Vice versa hoc ii dicere debebant, cum certum sit, Paeonas bello iam Troiano Isthic coluisse, Homero teste, qui ab Erigone et Axio in Troadem Paeonas ducit, b) neque ullos in Asia huius nominis populos memorat. Gloriabantur itaque Paeones, et iure quidem, de origine Iliaca idcirco, quod Priamus, eiusque maiores, ab eadem essent, Thracum scilicet, stirpe profecti, eoque virtutum excellentia euasissent, ut fama nominis, dum integra domi forent omnia, non modo Thracas uniuersos, verum et alias plurimas gentes, multis post se reliquerint passibus, adeo, ut multorum Thraciae populorum delitescerent vocabula, sero apud nepotes comperta, quale Dardanum in Europa esse arbitramur. Ceterum, ut Myfi, ac Paeones, ita et Dardani ac Briges, Thracum nati erant. De Mysis postea etiam occurreret sermo, videamus fines Thracum australes. Paeoniam latissime olim patuisse, e veteribus colligas. Et ad mare quidem, a Nesto ad Axium; c) in mediterraneis latius, ab eodem Nesto ad Erigonem usque, et montes Illyricos. Herodotus, *super Pangaeum*, inquit, d) *ad aquilonem habitantes Paeones, Doberes, Paeples, praetergressus Xerxes, ad usperam versus contendit, donec ad fluvium Strymonem peruenit.* Δόβηρος hi, Plinio Doberi, e) ab oppido Δόβηρος dicti, Thucydide, ac Stephano testibus, f) Nestum inter ac Strymonem, ex Herodoti sententia coluere, positi a memoratis scriptoribus in Paeonia. Nestus *Pangaei montis*, ad quem habuere Paeones, *ima ambiebat.* g) In boream ad Strymonis usque et Cii (Ischiam volunt quidam) h) fontes propagari videntur. Herodotus enim, *ex Paeoniis*, ait, *ac monte Rhodope, medium interseindens Haemum Cius in ipsum (Istrum) erumpit.* Postea quoque, exorto Bulgariae nomine his comperti sunt locis, ut pro Bulgaris nonnumquam acciperentur. i) Ut adeo

-
- a) Herodot. L. V. C. 13. Conf. Seuerin. P. I. L. II C. III. Bayer. p. 265.
 - b) Iliad. B, v. 849, seq. Φ, v. 157, seqq.
 - c) Inter Haemum et Rhodopen ponit Steph. voc. *Agriani*.
 - d) L. V. in Terpsich. VII Polymn. Conf. Hard. nott. in Plin. L. IV, C. XVII. Seuerin. P. I. p. 49. Stephan. voc. Δόβηρος.
 - e) L. IV H. N. C. XVII. a monte *Dobra*, seu *Dibra*, vulgo *Driba* Tabulis.
 - f) Thucyd. L. II p. 167, ap. Hard. I. c. Δόβηρον τήν Παιονικήν. Steph. τ. Δόβηρος.
 - g) Plin. L. IV, C. XVIII init. Στώλος, id est, *Stobi*, in Thracia ponit Steph. Conf. Salag. V, p. 178.
 - h) Seuerin. Pann. Illust. L. II C. III p. 49 not. d.
 - i) Tzetzes Chiliad. X γ. 186, ap. Hard. I. c. Παιόνες καὶ οἱ Βέλγαροι.

ii fere limites Paeoniae a borea fuerint, qui hodie Thraciam a Bulgaria, Seru-
 que discernunt; montium videlicet *Kumanicza*, *Balkan*, *Krivicsina*, iugis, ad
 Albaniam vsque protentis, quae Straboni Παιονικά ὄρη, *Paeonica* dicuntur *iug-*
ga, a) hinc Illyrios, inde Thracas contingentia, in septemtrionem Dardanos ac
 Mysos. Limes Paeoniae occiduus Drilo, Δριλων, fuerit, quem hodie *Drinum*
 adpellamus *nigrum* et *album*, hunc ab austro, illum a borea, apud Lisium (*Alef-*
sio) maritimum Albaniae locum, coeuntes. Testem habemus Strabonem, aduer-
 so Drilone nauigationem fuisse in Dardanos, ad orientem scilicet aestiuum; ad
 meridiem vero Paeonas contigisse Macedonesque, b) eundem Drilonem (*nigrum*)
 fluium. Ex eodem habemus, Deuriopas Erigonis occiduum ad fontes adcoluisse
 latus; c) erat autem Δευρίοπος pars Paeoniae magnae. d) Oppida eius, *Brya-*
nium, *Alalcomenae*, *Stymbara*; haec Liuiio *Stubera*, e) Polybio Στυβέρρα, f)
 ad ipsos Erigonis fontes cadit. g) Iuuat de regione hac audire Liuium. h) *Op-*
pidum in Deuriopo condere (ex Thracia reuertens rex Philippus) *instituit*. *Paeo-*
niae ea regio est prope Erigonum fluium, qui ex Illyrico per Paeoniam fluens,
in Axium amnem editur. Haud procul Stobis, vetere vrbe, nouam urbem Per-
seida, vt is filio maiori haberetur honos, adpellari iussit. Paeonia ergo vtrum-
 que Erigonis, apud Illyrios orti, latus ambiebat, Liuiio teste, olim ad *Lychnidum*
 vsque, et vltro fortasse, si *Almopios* ac *Eordenses* Plinii bene locamus, protenta.
 Hi enim, inter Paeoniae populos a Plinio relati, in quarta regione Macedoniae, se-
 cundum Aemilii Paulli diuisionem, a Liuiio ponuntur, i) laeuum Drilonis (*nigri*)
 latus citra dubium adcolentes. Atque hi erant occidui Paeoniae fines. Ab au-
 stro terminabat Paeoniam *Aliacmon*, vel, vt quidam volunt, k) *Peneus*. Ac de
 illo quidem certi, auctore Liuiio, sumus, qui *Aemathiam*, partem Macedoniae
 nobilissimam, scribit, l) *quondam adpellatam fuisse Paeoniam*. Eius oppida *Pro-*
lemaeus recenset, *Tyrissam*, *Scydram*, et *Myezam*, supra flumen *Aliacmonem*
 sita. Haec de Paeoniae veteris limitibus. Age iam Thracas persequamur.

XI. Si Thraciam in Paeones deducamus, nihil quidem ab opinione veterum
 dicemus alienum, vnam vero ex hoc progeniem Thracas et Paeones monstra-
 bimus.

a) L. VII p. 313. Inquit enim: *vbique aequabiliter ab Istro distantem lineam conficiunt Ιλλυ-
 ρικά και τὰ Παιονικά και τὰ Θρακία ὄρη, Illyrici et Paeonici, et Thracii montes, ab
 Adria ad Pontum vsque pertinentem.* Plinio L. IV C. XVII Paeoniae montes censentur,
Rhodope, Scopijs, Orbelus.

b) L. VII Geogr. p. 316.

c) L. VII Geogr. p. 327. v. supr. n. VIII. Cap. hui.

d) Cellar. O. A. L. II C. XIII p. 1035, seq.

e) L. XLIII Cap. XVIII et XX.

f) Legat. LXXXVI.

g) Vid. tab. Graec. Ant. septemtr. Conf. Cellar. I. c.

h) Hist. L. XXXIX Cap. LIII.

i) L. XLV Cap. XXIX, seq. Conf. Cellar. I. c. p. 1031 seq. ac tab. Graec. cit.

k) V. Seuerin. Pann. Illustr. p. 50 not. b. fin.

l) L. XL, C. III. conf. Cellar. I. c.

mus. Paeoniam supra ad Nestum vsque, flumen Thraciae deduximus. Notum porro est, Thraciam aetate quoque posteriori, ad Strymonem pertinuisse, hoc eam a Macedonia seiungente. a) Olim et Χαλκιδική Chalcidica isthuc pertinebat, Strymonis et Axii ostio inclusa. Teste enim Suida, b) Philippus hanc inuadens prouinciam, Χαλκιδικὰς πόλεις δύο καὶ τριάκοντα duo ac triginta Chalcidicae oppida cepit, Macedoniaeque adiunxit. c) Vnde factum, vt Graeci plures Chalcidicae vrbes, Thracias nuncuparint. Sic Stephanus, Παλλήνη, πόλις Θράκης, Pallene, oppidum Thraciae. Idem de oppidis Ἀρίθιστα, Arethusa, Μεκύβερνα Mecyberna, Μένδη Mende, Ολόφυξος Olophyxus, Ὀλυνθος Olynthus, in eadem regione, sentit. d) Accedunt, in mediterraneis Σιντία Sintia, quae postmodum Heraclea; ad sinum Thematicum, Αἴνεα Aenea, Θέρμη Therme, et ad Axii ostium Χάλασσα Chalastra. Iraque maiorem Paeoniae partem, quae ad Axium est, in Thracia habemus. Porro, si Emathia, quae Macedonia post ea nuncupata, olim Paeoniae, Liuius e) ac Iustino f) testibus, pars erat, Paeones autem Thracum imperii vltimi, Thucydide perhibente; g) fuerunt, profecto, sicuti regio ad Axium vsque iure Thracibus attributa est, sic et haec Paeoniae magnae pars eisdem tribuenda. Vt vero haec a me arbitrarie dicta non censeas, audi Strabonem. Scribit ille, Θρακῶν, sua adhuc aetate, multas Graeciae partes tenuisse, vt Μακεδονίαν καὶ τινὰ μέρη τῆς Θεσσαλίας Macedoniam et quasdam Thessaliae partes, quod olim magis obtinuisse perhibet. Insuper ex Hecataeo Milesio tradit, Peloponesum ante Graecos a barbaris habitatam, et quidem fere totam Graeciam antiquitus barbarorum sedes fuisse, memoriae proditum, inquit. h) Pelops enim e Phrygia secum adduxit populum in denominatam ab se Peloponesum. Dryopes, Caucones, Pelasgi, Leleges, aliique his similes barbari, intra Isthmum sita obtinuerunt. Quin et extra Isthmum, Atticam Thracas, qui cum Eumolpo venerant; i) Daulidem Tereus, Thrax itidem, possedit. k) Atque, Aristotele teste, l) Abis vrbe

a) Vid. Cellar. l. c. p. 1053.

b) Voc. Κάρανος ap. Cell. ib. p. 1051.

c) Pomp. Mela, vrbes Chalcidicae in Thracia memorat, L. II C. II.

d) Plurima huiusmodi ap. eumd. comperias.

e) L. XL, Cap. III.

f) L. VII Cap. I.

g) L. II fol. 34 ap. Seuerin. l. c.

h) L. VII Geogr. p. 321.

i) Euseb. Chron. bellum κατά Ευμόλπου refert ad an. Abrah. 645, i. e. P. I. 3341, Erichtonio Athenis regnante, cuius filiam Orithyam Βορέας υἱός Ἀστράειου Θράξ Boreas, filius Astraei, Thrax, ante 17 annos, i. e. P. I. 3324, Ant. Chr. 1390 rapuit. Sedes hic Thrax ad montem Boream, Illyriis conterminum, habuerit, vbi collocauimus Briges. Conf. de his nott. eruditiss. in Chron. Euseb. ad an. Abrah. DCXXX.

k) Strab. L. VII, p. 321. IX, 423. Synchronus Eumolpo Tereus. Acta cum Progne et Philomela ponuntur in an. Abrah. DCXLIII, i. e. P. I. 3339. Ant. Chr. 1375. v. Euseb. cum nott.

l) Ap. Strab. L. X p. 445.

vrbe Phocidis profecti Thracas, insulam Euboeam occupauere, incolis Abantum nomine imposito. Boeotiam quoque incoluisse Thracas, vi eiectis inde Boeotis, traditum est; qui in Thessaliam digressi, rempublicam cum Arnaeis constituere, diu postea durantem: reuersi postliminio in patriam, Thracas in Parnassum exege-
 re. a) Clari in Phocide Thracas erant, a musica in primis, quam et Graeci ab iis accepisse dicuntur; omnis enim vetus musica Thracia fuit Phrygiaeque. Thracas Heliconem consecrauere Mulsis, Pieriam item, Libetrum, et Pimpleiam, dicti a canendo *Pieres Πιέρες*. b) Ipsi etiam, qui antiquam procurauere musicam, Θράκες λέγονται, Thracas perhibentur, Ορφεύς *Orpheus*, Μουσαῖος *Musaeus*, Θάμυρις *Thamyris*, et *Eumolpo* Εὐμόλπω inde nomen factum. Sed et instrumentis mulicis barbara sunt nomina, *σαμβύκη sambuca*, *νάβλα nablum*, *βάρβιτος hárbitos*, *μαγάδες magades*, (*gajde*, *Socciis*) alia. Graeci, maxime Athenienses, quemadmodum sacra, sic et musicam ab Thracibus adoptauere. c) Haec eo a me dicta intelligas, velim, vt nomen Thracum ad Peneum vsque extendentem, dicere ninium haud existimes, cum vltra hoc etiam flumen, longe ad Isthmum progressi, coluerint. Sed his in locis aduenas fuisse Thracas, maxime quod insulas concernit, bene noui; ad Peneum vsque indigenae fuere, nomine Paeonum olim Thracumque promiscuo censi. *Paeones* ab cantu et musica, *Thracas* a protoparente compellati. His porro agris, succedentibus ab austro et exortu aliis, Graeco in primis genere satis, paulatim se in boream nostri reducere ad suos, adeo, vt Graecum nomen primum in Locride, tum in Thessalia, denique in Macedonia, Thracio praeualuerit. Et si his quoque prouinciis non exigua eorum copia perliterit, quod Strabo pluribus testatur locis. Nam eo adhuc viuentem, quasdam Thessaliae partes, et Macedoniam pene vniuersam, incolebant. d) Neminem itaque censeo dubitaturum, Paeonas Thracum progeniem fuisse, vti nomine quoque Thracum fuere comprehensi. Iam, quae explicatu difficiliores videbantur, Thracum sedibus ad austrum terminatis, adeolas videamus Istri.

XII. Homerí aetate *Myfi*, Θράκες ὄντες καὶ ἀποτοί, ipsi quoque Thracas, adcolae Istri fuere, vt memorauimus. e) Horum nomen, quibusdam in Asiam bello Troiano transgressis, heic non nihil obscurum euasit, succedente *Getarum* vocabulo, quos Herodotus ad Istrum celebrarat. f) Inde apud Graecos *Getae* ad Istrum, *Myfi* in Asia dumtaxat noti, adeo, vt essent, qui Europae *Mysos* in dubium

a) Strab. L. IX, p. 401.

b) L. IX Geogr. p. 410. X, 471, vbi *Olympus* additur, de *Eumolpo* p. 383. Strab. L. VII supplem. p. 330, memorata *Pimplia*, vbi *Orpheus* morabatur, τὸ παλαιὸν οἱ μάντιες καὶ μουσικὴν εἰργάζοντο, olim *vates* et *musicam* operabantur. *Aliaemonem* deinde nominat.

c) Strabo ista copiose et eleganter L. X a p. 470. De *Thamyri* p. 339, 350.

d) L. VII p. 321, 323. vti et hodie vid. MS. ruffic.

e) Cap. V n. 1, VII, seq. Strab. L. VII p. 295.

f) In *Melpomene*, vbi *Getas* omnium Thracum τοὺς ἀνδρειοτάτους καὶ δικαιοτάτους, fortissimos ac iustissimos adpellat. Conf. Bayer. p. 189.

bium vocarint, qualem fuisse Apollodorum, Strabo refert. a) Quod ea de caussa factum putes, quia cum iis, in superiora Danubii retrufis, nihil memorabile acciderit, Graecis, ac postea Romanis, litora Ponti, Asiae in primis, bello petentibus. Inde est, quod sub Philippo Amyntae, Macedonum rege, inter adcolas Istri, *Thracas, Getae, Odrysaе*, ac *Triballi*, censentur, tacitis Myfis; b) quos tamen isthic habuisse, paullo posterius aperuit aeuum. Narrat enim Strabo, refellens Apollodori dicta, Aelium Catum (M. Lic. Crassum dicere volebat) c) sua aetate, ex trans Istrum fitis partibus, a Getis, quae gens eodem cum Thracibus sermone vitur, in Thraciam quinquies mille hominum traduxisse, qui tum ibi degentes Myfi adpellabantur. Addit postea, olim quoque sic nuncupatos, eosque, qui Asiam incolerent, horum fuisse colonos, ex Poeta probari; quod et Artemidorus ante Strabonem censuit. d) Dio Cassius ita de his: olim, inquit, e) Myfi ac Getae totam eam regionem occupabant, quae est intra Aemum montem, et fluuium Danubium; postea autem coeperunt eorum nonnulli aliis nominibus adpellari: demum Mysiae adpellatione ea omnia sunt comprehensa, quae Sauus Istrum ingrediens, *ὑπερ τε τῆς Δαλματίας, καὶ ὑπὲρ τῆς Μακεδονίας, τῆς τε Θράκης, ἀπὸ τῆς Παννονίως ἀφορίζει*, supra Dalmatiam, et supra Macedoniam, ac Thraciam a Pannonia dirimit. Sed vtramque Danubii ripam vti Getae sic et Myfi tenuere, gens vna, diuersis adpellata nominibus. f) Mysorum itaque vocabulum, cum diu latuisset, sub Romani exercitus in Thracas aduentum, postliminio reuocatum est, nouis paullo ante Philippi aetatem, *Odrysarum* ac *Triballorum* adpellationibus ortis, sub quibus Myfi latuisse videntur; sane Triballorum sedibus hi sunt postea reperti. Alexandro Philippi filio, in Thracas supra Haemum profecto, insulam Peucen, sitam inter ostia fluminis, habuere Triballi, vltiora Istri tenentibus Getis, vt Strabo testatur. g) Nescio proinde, vtrum Arriani sententia locum heic habere possit, hos ad laeuum Istri latus populos ponentis: h) Iphis in fontibus *τὰ ποτὰ Κελτικά* plerique *Celtae*, et extremi eorum Quadi et Marcomanni, tum Getae ac *Σαυροματῶν μοῖρα*, super Getis et super Sauromatis *Ἰάζυγες*, denique

a) L. VII Geogr. p. 303.

b) Iustin. L. IX C. II. vid. Bayer. p. 213.

c) Vid. Casaub. nott. in Strab. L. VII p. 303. Refertur pugna haec in A. V. C. 723. vid. excerpta Chronol. in Flor. L. IV Cap. XII. vbi hic *Marcum Crassum* adpellat.

d) L. XII p. 571. *Myfi ad Olympum Asiae colonia Mysorum Istrum adcolentium.*

e) Ap. Casaub. nott. in Strab. L. VII p. 303. Locus Dionis e Lib. 51.

f) Strabo id pluribus testatur locis. *Myfi Thracas ipsi*, p. 295. 566, seq. 571. *Getae Thracas*, p. 295 ad vtramque Istri ripam. 296, seq. eadem lingua p. 303, 305. Thracia gens *Triballi*, p. 305, 315.

g) L. VII p. 391, D.

h) Ap. Bayer. Memor. Scyth. p. 219, cui vir doctus adsensisse videtur; at perperam, vti et illud, quod Alexandrum cum Pannonibus bellum gessisse, ait p. 218. *Paeones* illi erant, non Pannonii. Seduxit virum bonum Appianus, res diuersas populosque male confundens; quod non obseruasse Bayerum, indigne fero.

nique Scythae, ubi Ister quinque ostiis in Pontum exoneratur. „ Gesta quidem Alexandri exponens haec Arrianus dicebat, sed e sua eum aetate locutum fuisse, *Ἰαζύγων* vocabulum argumento est. a) Propior Alexandro Strabo fuit, quam Arrianus. Nullos autem Scythas ille hac quidem aetate apud Istrum memorat, bene vero postea, ubi de Mithridaticis agit temporibus. Nimirum, Scythae in mediterraneis se se adhuc continebant, bella quidem cum Istrianis, qui Getae, Triballi, ac Myfi, Thracum genus, erant, crebro habentes, iis tamen haud praevalentes. Ab Alexandri obitu, Lyfimachus, Thraciam et maris Pontici prouincias fortitus, b) cum hi se paullo ante Graecorum iugo subduxissent, c) bello regium quaesivit honorem. Sed qua fortuna? Captus a Dromichaete, Getarum rege, monitusque, ne tales bello adgrederetur, quos suis fortunis contentos vitam tolerare nouisset, sed amicos potius haberet sociosque, dimissus est. d) Vt vel inde Getarum et bellicam virtutem, et in hostes quoque beneuolentiam, videas. Si hoc Graecis fecerunt Getae, eo minus Scythas, sibi saepe infensos, in integras adhuc sedes permissuri erant. Sed quaeres, quando igitur Scythae, quos antiqui in Thracia locant, Istrum transiere? Aio, si non sub annum V. C. 664, quo Scymnus Nicomedi Chresto, regi Bithyniae, Mithridatis Eupatoris clienti, Periegesin dedicauit, e) paullo ante Mithridatem, aut cum is adgrederetur Scythas, hi se Tiran versus et Istrum promouerint, ac dein ultra hunc etiam, ut ob eorum, ad Tiran in primis, copiam, haec Getarum regio *Scythia* f) nuncuparetur, Strabone perhibente. Sic autem ipse: *ob multitudinem, inquit, eorum (Scytharum) qui versus nos Tyra ac Istro traiectis incolunt, portio terrae non exigua nomen Scythiae paruae accepit: Thracibus partim quia resistendo non erant, concedentibus, partim ob soli incommoditatem, quod maiori ex parte palustre est.* g) Plinius in Moesia ponit Scythas, Ponto conterminos; h) de quibus Scymnus, Dionysopolin memorans, canit: i)

Ἐν μεθόροις δὲ τῆς Κροβύζων καὶ Σκυθῶν
Χώρας, μιγάδας Ἑλλήνας οἰκητὰς ἔχει.

Ist.

- a) Et quorsum Quadi et Marcomanni aeuo Alexandri?
 b) Iustin. L. XIII C. IV.
 c) Seuthe III, rege, an. A. C. 325. v. Frölich. p. 150. Elem. Num.
 d) Strab. L. VII p. 302, 305.
 e) Henric. Doduell. ap. Bayer. p. 231.
 f) *Paruam* dicit Strabo, quem Bayer. corrigit, *magnam* dicens, quam ad Istrum vsque, sine teste, producit, p. 227. Bene Strabo *paruam* dixit, ut olim ad Scythiam non pertinuisse, significaret.
 g) L. VII. p. 311. conf. p. 305. B.
 h) L. III H. N. C. XXIX. Conf. L. IV C. 18 p. 97.
 i) Ap. Bayer. p. 227.

*In confinibus autem Crobyzorum et Scytharum
Terrae, Graecos habet barbaris permixtos incolas.*

Concinit Strabo, *Crobyzos* supra Calatim, Tomaeam, et Istrum (in meridiem) locans, quos etiam Troglodytas nuncupat. *Paruam* autem *Scythiam*, insulas intra Istrum sitas, vocat; a) quarum praecipuam Peucen cum *Bastarnas*, ex eo *Peucinos* dictos, incoluisse doceat, hos vero germanicam progeniem cum ipse tum Tacitus prodant, b) certum est, *Scythas* Pontum Thracium incolentes fuisse Germanos. Horum isthic et Naso meminit: c) *Treicio*, *Scythicoque fere circumsonor ore*. Et agrum Tomitanum saepe nuncupat *Scythiam*. d) Sed hi, uti et *Scordisci*, et *Taurisci*, et *Boii*, gallicae gentes, quas memorabimus, advenae apud Thracas erant, quemadmodum et Graeci ante hos.

XIII. Itaque, ut coeptum persequamur iter, latus Danubii utrumque Myfi ac Getae, Thracum nati, promiscue olim tenuere, dum Romani, hac regione subacta, eos, qui laevum Istrum latus adcolerent, *Dacos*, qui dextrum, *Myfos* nuncupari iussissent. Hos ii ab Istrum ostiis ad usque Sauum influxum produxere; quo spatium, ad ripam Danubii, a Sauo primos Strabo *Scordiscos* locat, ad Margum usque; inde *Autariatass* tum, quod in duas erant diuisi partes, iterum *Σκορδίσκους Scordiscos*; his *Τριβαλλούς Triballos* iungit. Post hos *Μυσοί Myfi* sunt, *καὶ τὰ ἔλη τῆς μικρᾶς Σκυθίας* et paludes paruae *Scythiae*. e) *Autariatae*, Illyrica natio, f) *Triballis*, qui maiorem huius ripae occupauerant partem sub Alexandri M. aeuum, in orientem retrusis, haec incoluere. g) *Scordisci*, gallorum genus, huc ab Delphica delati clade, h) victis *Autariatis* hic loci suas posuere sedes, i) prolatas dein ad Thracios usque *Paeonios* et *Illyricos* montes. k) *Getis* autem eos continuo impetentibus, ac postea Romanis, redacti sunt ad incitas tam hi, quam ceteri in Thracia Galli; ut omne illud formidabile Gallorum nomen in paucis dumtaxat *Scordiscis*, iisque mediterraneis, ad *Scardum* l) et *Claudium* m) montes,

a) L. VII Geogr. p. 318. Paludes quoque nuncupat.

b) Strab. L. VII p. 306, C. Tacit. Mor. Germ. Cap. 46. Plin. H. N. L. IV C. 25 fin.

c) Trist. III, 14, 47.

d) Ibid. III, 2, 1. 11, 55. I, 3, 67, 7, 40. *Scythicus Pontus*, Trist. III, 4, 46. IV, 1, 45. cet. Sed et *Sarmaticum* et *Geticum* pluribus adpellat locis, *Getasque* ceteris praeualere, ait. Trist. V, 7, 12. alibi.

e) L. VII Geogr. p. 318.

f) Ibid. p. 317, 315.

g) Id. ibid. p. 318.

h) Iustin. L. XXXII Cap. III. Clades haec in an. V. C. 476 ponitur.

i) Strab. L. VII, p. 318, supra alios Thracas et Illyrios dicit *Autariatass* se etulisse, quos *Scordisci* dein vicere, longa vsi potentia. Hos Romani duce C. Porcio Catone, tum M. Liuius Drufo, adgressi, ibi victi, haec vicere. Flor. III, 4.

k) Strab. l. mox. cit. Conf. Appian. Illyr.

l, Liu. L. XL, C. 57.

m) Plin. L. III H. N. C. 28.

tes, sub aeratem Augusti, residuum fuerit. a) Vnde fit, vt Plinius Danubii ab Sa-
no adcolas recensens, nullos memoret Scordiscos, et Autariatas. Sed et Strabo,
tamquam rem antiquam narrat de istis. Haec sunt Plinii de Mysia loquentis ver-
ba. b) *Pannoniae*, inquit, *iungitur prouincia, quae Moesia adpellatur, ad Pon-*
tum vsque cum Danubio decurrens. Incipit a confluenta. (Sau) *In ea Darda-*
ni, Celegeri, Triballi, Timachi, Moesi, Thraces, Pontoque contermini Scythae.
Hi modici ad Euxini litus fuerint. *Thraces ac Mysi veteres coloni. Timachi a*
flumine dicti, vbi Τιμακον oppidum, in superiori Mysia. c) *Triballi Τριβαλλοι*
Moesiae inferioris a Ciabro incolae. d) *Celegeros* credo a *Coeletis* ortos, quos
Haemo ac Rhodopae subditos Plinius adserit, vbi Κοιλητικὴ ἐρατηγία *Coeletica*
Praefectura Ptolemaeo. e) *Dardani*, validus ab antiquo populus, a Plinio ac
Ptolemaeo inter *Mysos*, a Strabone f) inter *Illyrios*, a Stephano inter *Thracas*
relati, fuere citra dubium *Thraces*. Memoria eorum, postliminio resuscitata, oc-
currit sub Gallorum in has partes aduentum, g) quos Brenno duce in *Dardanos*
venisse, *Liuius* testatur. h) Inde crebra in rerum actis, in primis *Macedonicis*,
Dardanorum mentio. Potentes fuisse vel inde censeas, quod, cum proprias bo-
reali montium *Paeonicorum* latere haberent sedes, ad *Axium* quoque, Plinio te-
ste, coluerunt; i) quin et *Paeoniae* partem possedisse videntur, quod ex eorum
apud *Paullum Aemilium* praetensione conicias. k) Ceterum a *Timachi* fontibus l)
ad montem *Scardum*, amplam sane regionem, habuere. Id ex *Liuiio*, *Plinioque*,
condiscas. Hic e *Dardanis* *Timachum* oriri docet. m) Ille vero de *Scodra*, prin-
cipe *Illyrici* vrbe, locutus, duo, inquit, *eam cingunt flumina, Clausala latere*
vrbis, quod in orientem patet, praefluens, Barbana ab regione occidentis, et La-
beatide palude oriens: hi duo amnes confluentes incidunt Oriundi flumini; quod
ortum ex monte Scodro, multis et aliis auctim aquis, mari Hadriatico infertur.
Mons Scodrus, longe altissimus regionis eius, ab oriente Dardaniam subiectam
habet, a meridie Macedoniam, ab occasu Illyricum. n). Iuga *Scordi* a fine au-
strali

L 2

- a) Excisos memorat Strab. L. VII p. 315, vbi, ad imam redactos conditionem, ait.
b) L. III H. N. C. 29.
c) Ptolem. L. III C. 9.
d) Id. ibid. c. 10. De *Coeletis* Plin. L. IV C. 18.
e) *Cosmogr.* L. III c. 11. *Conf. Liu. XXXVIII, 40.*
f) L. VII *Geogr.* p. 317, seq.
g) Iam sub *Philippo Amyntae* v. *Iustin. XI, 1. IX, 6.*
h) L. XXXVIII C. 16. quem audire malim, quam *Iustinum XXIV, 4*, vbi eos in *Pannonia*
confedisse perperam docet, cum *Paeoniam*, *Dardanis* finitimam, dicere oportuerit; et
vbi tunc *Pannoniae* vocabulum? Multos hic *Iustini* seduxit locus. *Vid. Philolog. Spec.*
i) *Dexto latere*, in *Macedonia*. L. IV C. 17. IV, 1.
k) *Liu. Histor. L. XLV Cap. 29.*
l) Quin a *Ciabri* plane. v. *Ptolem. ap. Cellar. p. 570.*
m) L. III H. N. C. 29.
n) *H. St. L. XLIV, C. 31. Scordum* dicit L. XLIII c. 20. *Ptol. Σκάρδον Scardum.*

frali Seruiae adusque Sauu ostium protenta, latitudinem Dardaniae metiebantur, eamque ab Illyriis Pannoniisque dirimebant, vt ex Appiano ac Ptolemaeo intelligere licet, a) Iam vero quemadmodum reliquos Myliae populos, sic et Dardanos, ad corpus Thraciae spectasse, cum ea, quae adduximus, docent, tum alia veterum monumenta nos dubitare non sinunt. Mela Pomponius, *Thracia*, inquit, b) *a Pontici lateris fronte, vsque in Illyricos penitus immissa, qua latera agit, Istro pelagoque contingitur.* Quali diceret, longitudinem Thraciae ab Euxino esse ad Illyricos, latitudinem ab Aegaeo mari ad Istrum. Confirmat Pomponii sensa Plinius, qui postquam australe Haemi latus memorasset, *auerfa eius et in Istrum deuexa*, inquit, c) *Moesi, Getae, Aorsi, Gaudae, Clariaeque: et sub iis Arraei Sarmatae, quos Areatas vocant, Scythaeque: et circa Ponti litora Moriseni, Sithoniique Orphei vatis genitores, obtinent.* Ita finit (Thraciam) Ister a septemtrione: ab ortu Pontus ac Propontis: a meridie Aegaeum mare.* Et quibusdam interiectis, *iamque Thracia*, scribit, *altero latere a Pontico litore incipiens, vbi Ister amnis immergitur, pulcherrimas in ea parte vrbes habet, Istropolin Milesiorum, Tomos, Calatinque, quae antea Aceruetis vocabatur.* Sed et Straboni *Αἴμων ὄρος Aemus mons, μέσσην διαίρουσιν τῆν Θράκην mediam diuidens Thraciam*, dicitur. d) Haecenus adusque influxum Sauu.

XIV. Vltiora Danubii, Sauique, in primis mediterranea, ante Strabonis aetatem explorata non erant, quod ipse pluribus testatur locis. e) Certe Mela Pomponius, diligens ceteroquin Geographus, nihil eorum, quae Thracibus in occasum, pone Istrum, vicina fuere, memorat. Nulli ei Pannonii, nulli Norici, ac Vindelici, nulli Alpium, quatenus Istro praetenduntur incolae, nulli Iapodes, et, quod mirere, nulli Dardani, Paeonesque. Ni hos Thracum, illos autem Illyriorum vocabulo complexum dicas. Videtur is Scylacem, aliosque scriptores antiquos, quibus litoralia dumtaxat cognita erant, secutus, vt mediterranea fere praeteriret. Sed et Strabonis notitia vltra Iapodum regionem progressa non est. Nihil enim de Pannonia singulare, praeterquam Sisciam et Sirmium, et quosdam obscuros, Dalmatis vicinos, populos memorat. Sic de Noricis ac Vindeliciis. Plura tamen in Geographo reperias, quae nostram mereantur attentionem; vt est vocabulum Pannoniae, cuius ille meminit primus; f) fines item prouinciae eiusdem, fluuii nonnulli, montes, populi, vrbesque, et quaedam alia, de quibus in Pannoniae Geographia commentabimur vberius. Itaque Strabo expositurus ea, quae

a) In Illyr. Pannonios inquit a Iapodibus ad Dardanos protendi, ripa Sauu australi. Ptolem. L. II C. 16, vbi Pann. inf. limites describit; et C. 17, vbi Drinum per Pannoniam in Sauum labi docet. L. III C. IX, de Myfia.

b) Sit. Orb. L. II C. 2. init.

c) L. IV H. N. C. 18. p. 89, ac de Scythis 97.

d) L. VII Geogr. p. 313. Herodot. IV, 49. vid. Steph. Κεόβουζοι not. 28.

e) Geogr. L. I p. 14. II, 71, 93, 117, seq.

f) Dionys. Perieg. habet Pannonios.

quae intra Istrum essent, postquam monuit, iuga montium, ab Adria ad Pontum vsque, parallela fere Danubio esse, atque in ea parte, quae in septemtrionem ad Istrum spectaret, Illyrios et Thracas; quae in meridiem, Graecos, iisque conterminas gentes barbaras, quas nos memorauimus paullo superius, habitare, sic de priori suam instruit orationem: a) λέγωμεν δὴ τὰ Ἰλλυρικὰ πρῶτα, συνάπτοντα τῷ τῆς Ἰσθμοῦ, καὶ ταῖς Ἀλπεσιν, ἃ κεῖται μεταξύ τῆς Ἰταλίας καὶ τῆς Γερμανίας, ἀρξάμενα ἀπὸ τῆς λίμνης τῆς κατὰ τοὺς Ὀυῖνδολικούς καὶ Ραιτούς καὶ Τοινίους. *Primum itaque Illyrica exponamus, quae et Istrum et Alpes attingunt, sita in medio Italiae et Germaniae, incipientia a lacu, qui apud Vindelicos est, et Rhaetos et Toenios.* Lacus hic Brigantinus est, quem alibi b) medium inter Istri ac Rheni fontes ponit. Pro Τοινίους legendum Casaubonus putat Βοῖους, vel, vt in veteribus est, Ελεθητίους, quod ipse Strabo, de Germania differens, confirmat, dum, vnus, inquit, *diei iter progressus a lacu Tiberius, fontes Istri vidit: προσάπτονται δὲ τῆς λίμνης ἐπ' ὀλίγον μὲν οἱ Ραιτοὶ, τὸ δὲ πλεόν Ελεθητίοι καὶ Ουῖνδελμοὶ οἰκοῦσιν ὄροπεδια, lacum Rhaeti exigua parte, maiore Heluetii et Vindelici, attingunt.* Illyrici ergo nomine Strabo inde ab Istri fontibus vitur, complexus Vindelicos, Rhaetos, ac deinde Noricos, Pannonios, Dardanos. Rhaeti, iuga Alpium infidentes, ad Italiam vsque pertinebant, supra Veronam et Comum. c) Horum Lepontii quoque et Camuni fuere, locis, per quae Rhenus fluebat; praeterea Cotuantii et Rucantii. Vindelicorum Licattii, Clautinatii, Vennoes, Hestiones et Brigantii. Noricorum Breuni, Genauni, Taurisci. Omnes hi cum vicinas Italiae partes, tum Heluetiorum, Sequanorum, Boiorum, Germanorumque, agros assiduis incurSIONIBUS vexabant, quos Tiberius, eiusque frater Drusus, finem imposuere demum, d) victis omnibus, ac sub tributis iugum redactis. Post hos, intimo sinus Adriae vicini, locisque ad Aquileiam, Norici quidam, et Carni, Noricorumque Taurisci. Inde Istri, Liburni, Dalmatae, et reliquum proprie dictum, ad oram Adriae, Illyricum, vsque Ceraunios montes, quibus in orientem Scordo iunctis, e) Illyrii ab ceteris diremti fuere. Hi sunt apud Strabonem, qui antiquos imitatus est, *Illyrici fines.* Confirmat Geographi sententiam Appianus, *Mysos* quoque, inter Thracas ab eo relatos, Illyriis accensens, idque ex opinione Romanorum. Integrum eius locum, quod maxime ad rem facit, in medium proferam. Is, vbi Illyrios ad Ionium et Adriaticum acco-

len-

a) L. VII p. 313.

b) L. VII Geogr. p. 292.

c) Id. L. IV, p. 206.

d) Drusus Vindelicos vicit A. V. 737. vid. Flor. L. IV C. 12, init. conf. Chron. in eundem.

e) Ab Scordo apud Dardanos, continua sunt montium iuga, Lychnidum versus, quae Straboni *Illyrica* audiunt, orientali Drini parte procurrentia, quae Illyricum olim a Macedonia separabant, vt Pylon Strabonis L. VII p. 323, indicat, vrbs a Lychnido in ortum XV M. P. remota, v. tab. Hassii.

lentes memorauit, *Romani vero*, inquit, a) *non hos dumtaxat, sed Paeones (Pannonios) ultra eos, nec non Rhetios, Noricos, et Mysios, qui Europam incolunt, et quoscumque alios his finitimos, qui Istrum a dextra nauigantibus se se offerunt, vicissim vt Hellines a Graecis distinguunt, eosque propriis adpellationibus separatim nominant: ceterum communi vocabulo Illyrios omnes arbitrantur. Qua opinione a principio ducti, neutiquam in ea persistentes finem earum inuenire nationum, sed ab Istri ortu vsque ad mare Ponticum, quod sub tributo obtinent, Illyrici fines esse voluerunt. Haec ipsum circa finem libri repetit, Derbanis, Dalmatiae populo, memoratis, ita scribens: Residui deinde Illyriorum habebantur ante Paeones (Pannonios) a Romanis Rheti, post Paeones Norici, Mysique, qui ad Euxinum Pontum vsque incolunt. Et quibusdam de Lucullo, primo Mylorum adgressore, b) posterioribusque relatis, hoc Librum de Illyrii claudit epilogo: Ex quo Mysios Romani Illyrios existimant, hic liber a me Illyriorum adpellabitur, qui vt absolutus crederetur, praescribere visum est, Lucullum iam antea sub populo imperantem in Mysios excurrisse, Tiberium vero sub monarchia illos recepisse. Atque haec, opinione Romanorum, gentis Illyricae amplitudo erat. Graeci quoque sensere idem, vt e Strabone vidimus, si Mysiae a Ciabro partem ad Pontum demas, quam Thraciae corpori adiunxerit. Hoc et Appianus testatur, ita suum de Illyrii librum orsus: Illyrios, inquit, Graeci eos existimant, qui supra Macedoniam et Thraciam a Chaonibus et Thesprotis ad fluium Istrum sedes habent: haec enim totius prouinciae longitudo est. Amplitudo eius ex Macedoniae et Thraciae montibus ad Paeones (Pannonios) vsque, et Ionium mare, Alpiumque obiecta protenditur. Ad Istrum vsque non poterant sedes habere Illyrii, ni eis partem adtribuas Mysiae, aut Pannoniae, quas ille supra montes Thracum, a quibus latitudinem Illyrici sumere Graii, praeterfluit. c)*

XV. Quid autem ex his iam inferre licebit? Illud scilicet: qui vno adpellati nomine erant, vnam effecerint gentem, est necessum. Quam illam? Thraciam. Si enim per haecenus disputata certum est, Mysos, Getas, Triballos, Dardanos, a Thracibus fuisse ortos, hi autem aequae, vt Pannonii, Iapodes, Istri, Dalmatae, alii, *Illyriorum* nomine veniunt, quidni, quemadmodum illi, sic etiam hi, ab eadem fuerint profecti stirpe? Neque enim alia subesse videtur ratio, cur eadem omnes adpellatione adfecti sint, nisi, quod vnam efficiebant gentem, variis ante, a rerum adiunctis, denominationibus acceptis, peregrina magis quam domestica consuetudine: postea vero, deuictis Adriae oram adcolentibus, qui a vetustissima aetate Illyrii adpellabantur, promotisque in mediterranea castris, ad Mysos, Pannonios, Noricos, cum eodem vtentes idiomate comperissent, placuit hos quoque

a) Lib. quem *Illyricum* adpellauit, ex interpr. Petr. Candidi, Lugd. 1551.

b) Mithridatis aeuo, A. V. 681. De M. Crasso, qui Mysos A. V. 723 vicit, Flor. IV, 12. nihil Appianus accepit, delapsus a Lucullo Marco ad Tiberium.

c) Huc spectat illud Stephani, Ἰλλυρία, χώρα πλησίου τοῦ Παγγαίου, *Illyria regio prope Pangaeum*, quem Thraciae montem nouere Geographi.

que vicinorum Illyriorum nomine compellare, Thraciae ultra Haemum, ac Macedoniae, priori relicto, quas ante iam vicissent. ILLYRIOS itaque Thracum esse progeniem, nulli dubitamus, in primis, quod praesto sunt testimonia veterum, quibus id clarissime ostendi queat. Strabo pluribus innuit locis, Thracas et Illyrios non esse diuersos origine. Sic, vbi de Iapodis agit, a) *κατάσικτοι δὲ ὁμοίως*, inquit, *καὶ τοῖς ἄλλοις Ἰλλυριοῖς καὶ Θραξί, notis compuncti sunt corpora in morem reliquorum Illyriorum et Thracum.* Et infra, vbi de Autariatum, gentis Illyricae, potentia meminit, b) *cum Triballos domuissent*, ait, *qui ab Agriani- bus vsque ad Istrum quindecim dierum itineris spatium occupabant, ἐπὶ ἔξω καὶ τῶν ἄλλων Θραξῶν τε καὶ Ἰλλυριῶν, supra alios etiam Thracas et Illyrios se se etulerunt.* Clarius id expreslit Suidas, inquiring, c) *Ἰλλυριοὶ βάρβαροι Θρακικοὶ, Illyrii barbari Thracici.* Barbaros adpellat Thracas, more Graecorum, quod sermone vterentur diuerso. d) Sed multo antiquior Suida Scymnus, patria Chius, qui Periegelin Historicam, Nicomedi Chresto dicatam, scripsit A. V. 664, oram Adriae legens, de Istris clarissime, *Ἐνετῶν*, ait, *ἔχονται Θραξικὴ Ἰσθμὸς λεγόμενοι, Venetos sequuntur Thracas Istrii vocati.* e) Eiusdem sententiae Liuius, qui reges Illyrios Thracum etiam reges dicit, gentem, non regnum, spectans. Ita vero ille: *si placeret, vellentque, eodem iure amicitiae Elei, Lacedaemoniique, et Attalus, et Pleuratus, et Scerdilaeus essent; Asiae Attalus, hi Thracum et Illyriorum reges.* f) Certum porro indubiumque, tam Pleuratum quam Scerdilaeum (bini huius erant nominis) Illyriorum fuisse reges, in Thracibus tum Coty seniore gubernium tenente. g) Sed et Stephanus Illyrios *Pangaeo*, Thraciae monti, vicinos scripsit, h) *Ἰλλυρία, χώρα πλησίον τοῦ Παγγαίου.* Et Appianus, cum Pannonios a Graecis Paeonas quoque dici memorasset, eos Paeonum esse coloniam existimauit, cum ita scriberet: i) *Οἱ δὲ Παιόνες εἰσὶν ἔθνος μέγα παρὰ τὸν Ἰσθμὸν ἐπίμικτες ἐξ Ἰαπόδων ἐπὶ Δαρδάνους. Παιόνες μὲν ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων λεγόμενοι, καὶ Ῥωμαῖσι Παννόνιοι, συναριθμοῦμενοι δὲ ὑπὸ Ῥωμαίων τῇ Ἰλλυρίδι, ὡς προεῖπον, διὸ καὶ περὶ τῶνδὲ μοι δοκεῖ νῦν κατὰ τὰ Ἰλλυρικά εἶπ. ἵν' ἔνδοξοι δ' εἰσὶ κατὰ Μακεδόνων δ' Ἀγριαῖνας, οἱ τὰ μέγιστα Φιλίππων καὶ Ἀλεξάνδρῳ καταργασαμένοι, Παιόνες εἰσὶ τῶν κατὰ Παιόνων Ἰλλυριοῖς ἀποικοί. Sunt autem Paeones, magna gens, circa Istrum habitans a Iapodis adusque Dardanos. Paeones qui tem Graecis dicuntur, Pannonii Romanis, inter Illyrios, vt memorauimus, a Romanis relati;*

de

a) L. VII p. 315 init.

b) L. VII Geogr. p. 318.

c) V. Seuerin. Pann. Illustr. p. 58.

d) Vid. Steph. in *βάρβαρος*, et Strab. L. VIII p. 370. Specim. Philol. p. 43.

e) Ap. Harduin. nott. in Plin. L. III C. 25, init. Conf. Luci. p. 14 edit. Vien. 1758.

f) L. XXVI Hist. C. 24.

g) Vid. Frölich. Not. Num. p. 149 edit. Vindob. 1758. Conf. p. 130 de Philipp. Maced.

h) Voc. *Ἰλλυρία*, conf. nott.

i) In *Illyric*. n. 14. edit. Lips. 1785.

de quibus mihi nunc Illyrica recensenti differendum videtur: gloriosi sunt hi propter Macedonicos Agrianos, qui maximam Philippo et Alexandro praesistere operam; Paeones autem sunt Paeonum, inferiora apud Illyrios habentium coloni. Quae opinio animis Graecorum eapropter infedisse videtur, quod eadem utrosque lingua vti obseruarent, nominis autem ratio non ita diuersa foret. Atque hoc est, quod et nostrae aetatis scriptores induxit, vt Pannonios nomen et originem a Paeonibus accepisse contenderent; a) non satis memores, Paeonum vocabulum longe verustius esse, quam Pannoniorum, b) et hos aliunde suum nomen deriuare potuisse, quin vllam cum Paeonibus cognationem praesferrent. Certe non video, qui ΠΑΙΟΝΙΑ in ΠΑΝΝΟΝΙΑΝ migrare potuerit, in primis, si diuersam vtriusque nominis rationem spectare velis. At vero Paeones ab *cantu*, Pannonii a *cultu diuino* compellati fuere, quod pluribus ostendimus alibi. c) Vnam hoc loco, quam facio meam, Dionis adducam opinionem, ita scribentis: d) Τῶν δὲ Ἑλλήνων τινὲς τ' ἀληθῆς ἀγνοήσαντες, Παίονας σφᾶς προσεῖπον. ἀρχαίᾳ μὲν περὶ τῆ προσηγορίας οὐσίας, ἢ μὲντοι καὶ ἐκεῖ ἀλλ' ἔντε τῆ Ροδόπῃ, καὶ πρὸς αὐτῇ τῆ Μακεδονία τῆ ὑπὸν μέχρι τῆς θαλάσσης. ὑφ' ἧπερ καὶ ἐγὼ ἐκείνους μὲν Παίονας, τοὺτους δὲ Παννονίους, ὡσπέρ που καὶ αὐτοὶ ἑαυτοὺς, καὶ Ῥωμαῖοι σφᾶς καλοῦσι, προσηγορεύσω. Quidam Graecorum a vero aberrantes, et ignorantia ducti, Paeones ipsos (Pannonios) adpellarunt; vetus quidem haec adpellatio est, attamen non ibi, sed in Rhodope atque Macedonia habitarunt, quae temporibus nostris ad mare pertinet: vnde et ego illos quidem Paeonas, hos autem Pannonios, sicut et ipsi se, et Romani eos adpellant, nominabo. Et sane, vocabula haec non esse miscenda, res ipsa suadet; quamuis ea vnus gentis, sed regione diuersa habitantis, fuisse vltro admittamus. Ceterum, Pannonios ac Dardanos, vti vicinos, sic et cognatos, ipsa regis adpellatio demonstrat: vtrisque enim rex Bato nuncupatus erat. e) Itaque Illyrios Thracum esse nepotes, certo per haecenus disputata, tenemus. Nunc Illyrici nominis antiquitatem videamus.

XVI. Appianus, qui singularem de Illyriis edidit commentarium, fabulosam Illyriorum memorat originem, dum, *asserunt*, inquit, *Polyphemo Cyclopi et Galateae, filios Celtum et Illyrium et Gallum existisse, qui ex Sicilia progressi, Celtis et Illyriis et Galatis, ab se denominatis, imperarint.* f) Sed insulsam hanc, diuersarumque gentium originem male confundentem, esse fabellam, quisque videt. Quod tamen haud obstabat, quin ea postmodum a pluribus Illyricorum scriptoribus

-
- a) Appianum secutus Cl. Seuerini, insigni opere suo Pannon. veter. monum. illustr. Dionem quoque redarguens, hoc multis contendit, L. II Cap. IV, sequi. conf. L. I, Cap. 1, 2.
 b) Paeones bello Troiano celebres; Pannonii Augusto regnante auditi.
 c) Dissert. de Lingua Pannonior. veterum. Conf. hui. Dissert. C. hoc n. XI.
 d) Lib. XLIX. conf. nott. Casaub. in Strab. L. VII p. 313.
 e) Fuit et Bato Βάτων, Amphiarai auriga, Harpyiae in Illyrico. v. Steph. Ἀρπυια. Conf. Liu. XXXI, 28. Strab. VII, p. 314. Vellei. II, 114. Ouid. Pont. II, I. v. 46. Spec. Philol. p. 39, seq.
 f) Vid. locus hic accurate relatus Spec. Philol. p. 28.

ptoribus adoptaretur. a) Plerosque dein Apollodorum secutos video, non minus fortasse fabulantem, cum ait, b) *Illyriis imperat Cadmus, et Illyrius filius ei nascitur.* Vnde haec Apollodorus sumserit, ignoro. Certe Herodotus, Cadmeos memorans, nihil de Illyrio hoc. *Cadmei*, inquit, c) *ab Argiuis eiekti ad Encheleas se contulerunt.* Idem fere Strabo, d) postquam Epirotis Illyricas gentes mixtas memorasset, circa Dyrrachium et Apolloniam, in primis Enchelies, Taulantios, Brigas, Parthinos, ταῦτα δὲ, inquit, πρότερον μὲν κατεδυνασέμετο ἕκαστα, ὧν ἐν τοῖς Ἐγγελλίοις, οἱ Κάδμος καὶ Ἀρμονίας ἀπόγονοι ἦρχον, καὶ τὰ μνησθένενα περὶ αὐτῶν ἐκεῖ δεικνύται. haec omnia suis quondam singula paruere principibus, de quibus Enchelies regebantur a Cadmi et Harmoniae posteris; ibique ea monstrantur, quae fabulae de iis prodiderunt. Nihil Strabo hic, sed nec alias, de Illyrio, Cadmi nato; id procul dubio minime facturus, si his de Illyrio fabulis quampiam censuisset adhibendum esse fidem. Sed neque Scylax, qui primus nomen Illyriorum protulit, quidquam de Illyrii huius fama. Memorat Illyrios a Liburnis ad Chaoniam colere, quae iuxta Corcyram Alcinoi insulam sit, tum Bulinos, Hillinosque, quos Illyrico adscribit nomini; postea Hyllos, qui conditore Hyllo, Erculis filio, gloriati feruntur. Denique Narone fluuio et Arione memoratis, post Arionem, scribit, dimidii diei cursu, Cadmi et Harmoniae saxa sunt, templumque procul ab Arione fluuio; a dicto flumine nauigatur ad emporium Buthoam. Et continuo, Enchelees quoque, ait, Illyrica gens est, vicina Rhizunitis; a Buthoa ad Epidamnum urbem graecam, diei noctisque nauigatio. e) Scymnus etiam Chius, qui eandem Adriae oram descripsit, idem fere habet; inquit enim: *Super Phrygos Enchelei sunt filii, quos imperasse Cadmus olim dicitur.* Neque Dionysius Afer, vestigia horum secutus, quidquam de Illyrio, Cadmi filio, prodidit. Vt in Apollodorum, qui hanc primus fabulam excudisse videtur, iure ea coniici queant, quae Strabo, de Mylis Europae agens, in hominem coniecit merito. f) Et qui Cadmus imperavit Illyriis, si ne vidit quidem Illyrios? Saltem a posteris Cadmi regnatos, tam ex Herodoto, quam ex Strabone, Encheleos, non Illyrios, accepimus. Enchelei partem dumtaxat Illyriorum effecerant, quibus imperarint Cadmei; ceteris suos, ut Strabo docet, regulos habentibus. Iuuat Geographum ipsum, ne me quis arbitrarie dicti arguat, de Cadmo in Boeoticis differen-

-
- a) Auct. Illyrici vet. et nou. Praelim. Cap. II § 14 seqq. Conf. Bedek. Nat. Sol. S. Hieron. Dolci Dissert. de Ling. Illyr. § V. Ex parte Farlatus etiam, Tom. I. Illyr. Sacr. Proleg. C. IV. eumque secutus Cl. Salagijs, Pann. Sacr. L. I Append. vbi mire iactari doctos videas viros.
- b) L. III. v. Dolci, et Illyr. vet. II. cc. hic p. 7 n. i. καὶ βασιλεύει Κάδμος Ἰλλυρίων, καὶ παῖς Ἰλλυρίος αὐτῶ γίνεται.
- c) L. V Cap. VI. ap. Dolci l. c.
- d) Lib. VII p. 326.
- e) Vid. Luc. Regn. Dalm. p. 13 ed. Vind. 1758.
- f) L. VII, p. 303.

differentem audire. a) Vbi memoravit, Boeotiam initio a barbaris tentam, quales Aones, Temmices, Leleges, et Hyantes erant, εἶτα Φοίνικες ἔσχον οἱ μετὰ Κάδμου, ὃς τὴν τε Καδμίαν ἐπέσχεσε, καὶ τὴν ἀρχὴν τοῖς ἐγγόνοις ἀπέλιπεν. Εὐεῖνοι δὲ τὰς Θήβας τῇ Καδμείᾳ προσέκτισαν, καὶ συνεφύλαξαν τὴν ἀρχὴν, ἡγούμενοι τῶν πλείστων Βοιωτῶν, ἕως τῆς τῶν Ἐπιγόνων κρατείας. deinde cum Cadmo, ait, e Phoenicia profecti Phoenices occuparunt; (Boeotiam) et Cadmus munita muris Cadmeia, regnum posteris reliquit. Hi Thebas adiecerunt Cadmeiae ab se conditas, ac plerisque Boeotis imperantes, regnum vsque ad Epigonorum bellum propagarunt. Bellum hoc in Eusebii chronico refertur ad an. Abrah. 815, id est, P. I. 3511, ante excidium Troiae 19. Hucusque posteri Cadmi non erant in Boeotia turbati; qua ergo ratione Cadmum e queta Boeotiae possessione ad Illyrios exterminabimus? aut, quod huic (siqua tamen erat) profectio tempus adsignabimus? Cadmus in Syriam ex Aegypto venit an. Abrah. 550, b) siue P. I. 3246, post conditam a Dardano in Asia urbem ab se nuncupatam 11, ante interitum Ili 284. Post tres ac triginta annos sumtis secum Phaenicibus in Boeotiam adpulit, an. P. I. 3279. Elapsis octo et viginti annis, regnoque heic firmato, Cadmeiam condit, an. P. I. 3307. Iam sexaginta et vnum, ab sui in Phoeniciam aduentu, Cadmus numeravit annos; si tricenos, cum ex Aegypto mouisset, addimus, nonaginta annorum senem habebimus, quem sine omni caussa ad peregrinas gentes profectioem sumpturum censebimus? Et quid Strabo sibi volebat aliud, cum diceret, Cadmum, munita muris Cadmeia, regnum posteris reliquisse, nisi, et isthic eum obiisse; fabula cum posteris ad saxa Adriae, aevo recentiori delata? Meminit quidem Eusebii chronicon ad an. Abrah. 641, expulsi Thebis Cadmi, ac iterum an. 691; et post quadriennium Spartanorum contra Cadmum profectioem: at haec (si qua tamen erant) bella non Cadmus, sed eius gessere posteri, vt ipsi annorum numeri demonstrant. Certe, ad Epigonos vsque, quod e vetustis Strabo memorat, quieti fuere Cadmei in Boeotiae regno; et anni supra dicti, quos e diuersis chronicis collegit Eusebius, hoc Epigonorum, qui posteri Argiuorum erant, bellum significare velle videntur. Ceterum, erant etiam, qui plures Cadmos in Eusebio arbitrati sint, c) ob annorum in eo diuersitatem. Quidquid tamen de his sentire velis, non interest multum; illud autem negare haud poteris, et Graecos, et Phoenicas, et postea Gallos, et quoscumque alios, aduenas in Illyrico fuisse, neque indigenis praeualuisse vmquam. Id e sequentibus quoque edocebimur.

XVII.

a) L. IX, p. 401.

b) Vid. Chron. Euseb. cit. ann. Chronol. Smyrn. e marmorib. arundel. aduentum Cadmi in Boeotiam refert in an. P. I. 3195, atque adeo 84 an. prius Eusebio. vid. Petau. Ration. Temp. P. II, p. 124. Adcuratius haec in Geogr. Thrac. dicemus.

c) V. nott. in Chron. ad an. DCXCI not. f. vbi sex aut etiam plures memorari Cadmos docet.

XVII. Missis itaque fabulosis Illyriorum natalibus, quid Historici habeant, videamus. Primus, quantum equidem sciam, *Illyrios* memoravit Scylax Cariandensis, qui suum aetate Darii Hytaspis, ut supra diximus, a) Periplus edidit. In quo, describens oram Adriae, post Tyrrhenos ponit *Celtas*, cis Padum; ad hunc deinde Venetos, ipse *Henetos* vocat; tum *Istros*, ac *Liburnos*; inde vero *Illyrios*, quibus Nestos, Manios, Encheleos, accenset, ad Ceraunios vsque montes. b) Antiquius tamen Scylace Illyriorum nomen fuisse putes, quamvis origo incerta. Bello Troiano eorum non reperitur mentio, seu quod ora haec tum esset ignota, seu quod hi nondum sic adpellarentur; cum Homerus Paeonas, in orientem vicinos, laudet, nulla Illyriorum facta mentione. Censeo equidem, hoc nomen postea, vnde cumque demum, originem apud Epidamnum accepisse, c) sensim, cum innotesceret litus, gensque cognata observaretur, in septemtrionem progressum. Neque alia propagati nominis ratio esse videtur, cum singulae provinciae suos haberent principes, quibus regerentur, quam sermonis cognatio. Inde factum, ut Illyrico nomini, apud Adriam nato, tot postea regna populique accesserint, ut, quidquid ab austro spectaret Ister, a fontibus ad ostia vsque, Illyricum adpellaretur. Et in ora quidem Adriae, praeter Iapodas et Istrios, quos Strabo Illyriis adnumerat, ipsi quoque *Heneti* (Veneti Latinis) gens Paphlagonum, d) ab Herodoto Illyricae genti adscribuntur, e) non alia vti que de causa, nisi quod eadem utrisque esset lingua. f) Eadem vetustas Istriorum vocabuli ac Liburnorum, quos itidem primus memorat Scylax. Iapodes, quia tunc mediterranea tenebant, innotuere postea, cum in has partes Romani castra movissent, circiter annum V. C. 626, quo ii a Sempronio Tuditato devicti sunt. g) Pannonii, Norici, Vindelici, utpote mediterranea tenentes, ante Augusti aeuum cogniti non sunt; quos tamen Mysorum ac Getarum nomine eo facilius nuncupare valemus, quod hi utramque Istri, ut ostendimus, ripam coluere, finitimi ad flumen omnibus. Profecto, si Pomponium Melam, qui vetustissimos de Istri adcolis scriptores secutus videtur, audimus, *Thraces, a Ponto ad Illyricos*, et *Alpes, penitus immissi, vna gens, diuersis nominibus*, h) Pannonios quoque, Noricos, ac Vindelicos occupare, sententia illius, non poterant modo, sed etiam debebant. *Illyricum* ei est, Adriae dumtaxat litore, *a Cerauniis ad Tergestum*; i) quidquid ergo montium orae huic ab oriente ac borea praetenditur, *Thraces* tenebant: hoc

M 2

autem

a) Dissert. hui. Cap. I n. III.

b) Luc. Regn. Dalm. L. I Cap. 2.

c) ἰλύς limus, vnde et Ἐγγύλιοι, quod paludes et litora adcolerent.

d) Strab. L. XII, p. 543. XIII, 608. Conf. Dissert. hui. Cap. V. n. 1 fin. n. 9. *Plin.* VI, 2. Gallos, sono vocis inductus, opinatur Strabo p. 195.

e) Ap. Lucium Regn. Dalm. L. I Cap. II init. Conf. Spec. Philol. p. 49.

f) Vid. Seuerin. L. II Pann. Illustr. C. IX, p. 66 not. a.

g) Diss. hui. Cap. I n. 4 p. 7, adfertur epigraphe.

h) De Sit. Orb. L. II Cap. 2.

i) L. II Cap. 3 fin.

autem spatio Mysos, Paeonas, Dardanos, Iapodas, Pannonios, Noricos esse, is non videt, qui Geographiae veteris elementa ignorat. Pannoniis itaque, eorumque finitimis, eandem dare antiquitatem, quam Thracibus dedimus, nihil prohibet; siquidem et illi in hoc nomen venire debeant. Ceterum et ipsum Pannoniorum vocabulum antiquius censeo, quam ut origo eius ad Octaviani aetatem referri debeat; si enim *αὐτοὶ ἑαυτοῦς*, *ipsi se* Pannonios, Dione teste, nuncupabant, *a*) ea denominatio utique ante Romanorum isthuc aduentum in usu fuerit. Se autem ipsi *Paniarios* adpellare consueverant, quod Romani, suo adcommodantes ori, in *Pannonios* detorsere; ut Cassius Dio a *pannis* dictos arbitraretur (nisi hae Xyphilini potius nugae sint) *b*) quo multos deinde in errorem traxit. *c*) Quid enim Latina vox apud barbaros habet? *Pannonii* primum, quod norim, apud auctorem Periegeseos Dionysium, quem Augustus, ut describeret orbem, miserat, *d*) occurrunt, nisi Strabonem ei praeponere velis, qui Geographiam suam libera adhuc Pannoniorum repub. incoarat, de qua pauca quaedam ex Augusti aeuo memorat. Ita vero Dionysius: *e*)

*Πανόνιοι, Μυσοίτε, βορείοτεροι Θρηάκων,
Αὐτοίτε Θρηάκες, ἀπίερα γαίαν ἔχοντες.*

*Pannonii, Mysique, magis boreales Thracibus,
Ipsique Thraces, immensum terram habentes.*

Sed et Noricos, et Vindelicos, et Carnos, et Iapodas, Straboni primo debemus, (nisi, quod Iapodum ante iam occurrit mentio) *f*) ceterosque, ad haec capita spectantes, mediterraneos et alpestres populos. Attingimus iam Istri fontes apud Vindelicos, enumeratis Istrum adcolentibus indigenis. Nunc et aduenas, quorum praecipui Galli, dispicere libeat.

CA-

a) Histor. L. XLIX, c. 36. Conf. Spec. Philol. p. 34.

b) Sic eas adpellat Timon Im. A. H. L. I, Cap. 1. Spec. Philol. l. c.

c) Vti Salag. Eccl. Pann. L. I Append. n. I.

d) Vid. a Pined. Ind. in Steph. ex Plin. L. VI C. 31 fin.

e) V. 322 ap. Pined. in nott. ad Steph. *Μυσία*.

f) Norici regis meminuit Caesar B. G. I. 53. Ciu. I, 18.

C A P V T VI.

Populi circa Istrum aduenae.

VETVSTISSIMI apud Thracas aduenae Graeci erant; qui, cum mercaturae dediti essent, vltro citroque, inprimis ad litora, portubus instructa, misere colonos. Ex his Milesii erant praecipui, quorum non nullas supra memorauimus vrbes. a) Mediterranea ferius petita sunt; et quidem, antequam Romani hos tenerent agros, ab Scythis, Sarmatis, Celtisque. Scythae Ponti ora, Sarmatae Istri latere laeuo, Celtae sparsim, sed praecipue ad Istrum, habebant. Inter vetustos in Thraciam aduenas numerari Phoenices quoque, et Heneti possunt; illi Cadmo duce in Boeotiam, circiter aeuum Dardani, hi Antenore, post Troica, in Adriae sinum, adpulli. Illorum posterii *Epirotae* fuere, quos hodie *Albanenses*, *Arnautosque* dicimus, quorum nuper e Seruiae finibus colonia Sirmio confedit, b) sub *Clementinorum* vocabulo. Hi vero amplissimam Venetorum, quos Illyriis accenset Herodotus, condidere gentem. c) Sed tam hi, quam alii quicumque in has prouincias aduenae, mores indigenarum consuetudinesque, temporis lapsu, acceperunt, vt nihil, praeter linguae sonum, eumque saepe corruptum, vti apud Epirotas contigit, e natiuo retinuerint. Heneti ad cognatam venere gentem, Celtarum coloniis aucti postea; a quibus montani quidem, praeter consuetudinem, voces quoque nonnullas adoptauerunt, maritimis, continua cum populis consanguineis commercia tractantibus; linguae nitore constanter vsis. Sed tamen, si rem penitus intueri voles, Celtas potius, vtpote aduenas, Illyricae apud Adriam, et Alpes, linguae corruptores, quam Illyrios Celticae, deprehendes. De quo sequenti capite vberius. Et quid est, quod Graeci, sui adeo tenaces idiomatis, vt non paterentur alienum, continua tamen cum Getis consuetudine, sermoni eorum ita adsuesfacti fuere, vt sui pene obliti viderentur? Testem rei huius Ouidium habemus, qui Getis tempore longiori conuixit, hoc ita canentem: d)

In paucis remanent Graiae vestigia linguae:

Haec quoque iam Getico barbara facta sono.

Scythas

a) Cap. II Dissert. num. I.

b) An. 1738, duce Ill. Michaelae Summa Archiep. Scopiens.

c) Herod. ap. Luc. L. I C. 2. init. De Henetis Polyb. L. II C. 17. *Loca mari Adriatico vicina, inquit, antiquum ex Paphlagonia genus colit: hi Veneti adpellati, neque moribus, neque ornatu corporis, sed tantummodo lingua a Gallis differunt.* Ap. Seuer. Pann. Ill. p. 72. Conf. Liu. L. I init. Strab. L. V, p. 212. L. I p. 61. 48. L. XIII, p. 608. Curt. L. III C. 1. Plin. VI. 2 init. conf. nott. Hard. Virg. Aen. I, 252.

d) Trist. L. V, El. VII, v. 51.

Scythas et Sarmatas vicinia inuitare poterat, vt ad Getas transfirent. Atque laeuo Istri latere olim iam Getis mixtos, haud aegre concesserim, vt memorauimus haftenus; a) dextro latere Scythae pauci ad Pontum, Sarmatae passim et plures, vtpote eadem vsi lingua, sola dialecto diuersa. Ripam tenuere potissimum, Dacis mediterranea occupantibus. Istrum Scythae prius, serius transfire Sarmatae, et vix ante Augusti tempora.

Post Graecos, Scythas, et Sarmatas, celeberrimi sunt ad Istri latera Celtae; quos, quia nonnulli vniuerso regnasse Illyrico adferere sunt ausi, adeo quidem, vt, quidquid nos Thracum adtribuimus generi, ii non modo in nomen, sed et in linguam Celtarum, olim abiisse contendant, singulari calamo persequi lubet, ducto a primis eorum heic temporibus initio. Iuuat primo Liuium, scriptorem diligentissimum, de hoc audire. „Prisco Tarquinio Romae regnante, *inquit ille*, b) Celtarum, quae pars Galliae tertia est, penes Bituriges summa imperii fuit: ii regem Celtico dabant. Ambigatus is fuit, virtute fortunaque quum sua, tum publica, praepollens, quod imperio eius Gallia adeo frugum hominumque fertilis fuit, vt abundans multitudo vix regi videretur posse. Hic magno natu ipse iam, exonerare praegrauante turba regnum cupiens, Bellouesum, ac Sigouesum, sororis filios, in pigros iuuenes, missurum se esse, in quas Dii dedissent auguriis sedes, ostendit. Quantum ipsi vellent numerum hominum excirent, ne qua gens arcere aduenientes posset. Tum Sigoueso sortibus dati Hercinii saltus: Belloueso haud paullo laetiores in Italiam viam Dii dabant. Is, quod eius ex populis abundabat, Bituriges, Aruernos, Senones, Aeduos, Ambarros, Carnutes, Aulercos, exciuit.“ Hi Graias Alpes (pars est Peninarum occidua) transgressi, per Taurinos, Padi adcolas, saltusque inuios, fufis acie Tuscis, non procul Ticino flumine, apud Insubres confedere, condita vrbe Mediolano. Hos Cenomani duce Elitouio secuti, per eosdem saltus, fauente Belloueso, sedes ad Brixiam, Veronamque ponunt. Salluui deinde prope Laeuos Ligures circa Ticinum amnem. Tum *Boii Lingonesque Penino monte transgressi, quum iam inter Padum atque Alpes omnia tenerentur, Pado ratibus traiecto, non Etruscis modo, sed etiam Umbros, agro pellunt: intra Apenninum tamen se tenuere.* Haec Gallorum in Italiam migratio incidit in an. V. C. 163, Tarquinii Prisci, Romae regnantis, 26. Horum cum Latinis acta singillatim describit Liuius, nihil de *Sigoueso* amplius, cui *Hercinios saltus sorte datos* memorarat. Profectum eodem tempore, credibile est, sed quo gentis nomine, quibusue sociis, incertum. Cum vero Boii postea apud Herciniam reperi sint, hos cum Sigoueso profectos opineris. Caesar, bello Gallico, c) *Volcas Tectosuges* nuncupat, qui socii Boiorum esse poterant. Ceterum Boii in Aquitaniae limite, intra Elaueris ac Ligeris ripas, habuere

a) Cap. V. n. 2, 6, 12.

b) L. V Hist. Cap. 34.

c) L. VI, Cap. VI n. 24.

buere olim, antequam pars meridiem, pars orientem petissent. a) De Boiis Germaniae sic Tacitus: b) „Validiores olim Gallorum res fuisse, inquit, summus auctorum D. Iulius tradit: eoque credibile est, etiam Gallos in Germaniam transgressos, quantum enim annis obstabat, (*Rhenus*) quo minus, ut quaeque gens evaluerat, occuparet permutaretque sedes, promiscuas adhuc, et nulla regnorum potentia diuisas? Igitur inter Hercyniam siluam, Rhenumque et Moenum amnes, Heluetii, vltiora Boii, Gallica vtraque gens, tenuere. Manet adhuc *Boiemi* nomen, significatque loci veterem memoriam, quamuis mutatis cultoribus:“ Marcomanni quippe successere, pulsus inde Boiis ad Istrum. c) Paterculius Boiemi Taciti nuncupat *Boiohenum*, d) quod nos, mutata nonnihilo voce, *Bohemiam* dicimus. Atque hos Boios, qui cum Sigoueso ad Hercinium venerant saltem, ac interiora primum Germaniae occupant, in meridiem progressi deinde, alpebus se muniuerant Herciniis, aduersum incursum Dacorum, qui ripam Istri tenebant, fortassis et Herciniorum partem, inde a Boiis exacti, secernere ab iis, qui ex Italia, post Sigouesi tempora, ad Istrum venerant Boii, oportet, nisi res, quae diuersis acciderant seculis, miscere velimus.

II. Itaque Boii, quos e Liuii trans Padum locauimus, Apennino dumtaxat a Romanis discretos, e) iuncti societate ceteris Gallis, multum ac diu fatigabant Romanos, saepe victores, interdum victi. Duplicem prae aliis subiere cladem Boii; vnam an. V. C. 471, cum Senonum, quos Romani, Sena vrbe capta, vicere, calamitate commoti, Etruscis sibi iunctis, pugnam ad Vadimonis lacum faciunt, in qua Etruscis plerisque caesis, ipsi pauci admodum euadunt. Anno sequenti, bello rursus inito, funditus delentur, pacemque impetrant, tertio, antequam Pyrrhus in Italiam veniret, anno. f) Quietis inde Boii fuisse videntur ad annum vsque V. C. 530, quo cum Insubribus, ac Gaefatis, ob ereptum Senonibus agrum Picenum, in Romanos mouentes domantur; Virдумaro Gaefatarum rege trucidato, g) biennio post. Anno vero V. C. 561 per L. Cornelium Merulam profligantur. h) Ex hoc nulla Boiorum singularis in Italia mentio, ut migrationem ad Istrum, qui remansere, summissè videantur. Atque ad hanc aetatem illud Plinii referendum arbitror: i) *In hoc tractu (octaua regione) interierunt Boii, quorum tribus CXII fuisse auctor est Cato: item Senones, qui ceperant Romam.* Interierunt, scilicet alio

a) Vid. Cellar. O. A. L. II C. II p. 216.

b) Mor. Germ. Cap. 28.

c) Tacit. Mor. Germ. C. 42. Conf. supr. Cap. V, Diff. n. 5. Marcomanni in Pannoniam sub Gallieno. v. Seuerin. Comment. p. 42, 51. pulsus a Probo. ib.

d) L. II Hist. Cap. CIX. Conf. Cellar. O. A. L. II Cap. V, p. 486.

e) Conf. Polyb. L. II, qui *Romanis conterminos* dicit *Boios*.

f) Vid. Petau. Rat. Temp. P. I, L. II C. XVII, p. m. 143 ed. Venet. 1758.

g) Id. ib. p. 147. Conf. Katon. Chron. Synops. ad ann. citt. P. I, p. 61. Item Chron. Flor. p. 67, ed. Berol. 1750.

h) Katon. Synop. chron. p. 66. Chron. Flor. vbi male *P. Cornelius Scipio Nasica* ponitur.

i) L. III H. N. Cap. 20. p. 705. ed. Lipsi. 1778.

alio migrantes, vt bene obseruat commentator Stephani. a) Et Strabo huius migrationis perspicue meminit, de Boiis ita scribens: b) Το μὲν ἐν ἀρχαίῳ ὑπὸ Κελτῶν περιαικείτοιν τῶν πλείστον ὁ Παδος ποταμός. Μέγιστη ἦν αὐτῶν ἔθνη Βοιοὶ καὶ Ἰνσουβροὶ, καὶ οἱ τὴν Ρωμαίων πόλιν ἐφόδα καταβόντες Σένωνες μετὰ Γαισατῶν. Τέτους μὲν ἐν ἐξέφθαραν ὕστερον τελέως Ρωμαῖοι. τοὺς δὲ Βοιοὺς ἐξήλασαν ἐκ τῶν τόπων μετασάντες δὲ εἰς τοὺς περὶ τὸν Ἴστρον τόπους, μετὰ Ταυρίσκων ὤκην, πολεμῆντες πρὸς Δάκας, ἕως ἀπόλωντο πανέθνη. *Antiquitus a Celtis circumhabitabatur plurimis Padus fluuius, quorum potentissimae gentes Boii atque Insu-bres, et qui Romam repentino aduentu ceperunt, Senones cum Gaesatis. Atque hos quidem postea profus deleuerunt Romani, Boios autem sedibus eiecerunt; qui deinde ad Istrum quum migrarent, apud Tauriscos habitauerunt, bellum contra Dacos gerentes, donec vniuersa gens funditus est excisa.* Et continuo: τὴν δὲ χώραν ἔσαν τῆς Ἰλλυρίας μὴλόβοτον τοῖς περιοικοῦσι κατέλιπον, et agrum, qui ad Illyricum pertinet, desertum ac pecoribus pasuum vicinis reliquerunt. Scilicet, non diu quietis apud Istrum Boiis esse licuit, hinc Vindelicis Noricisque, inde Dacis, eos continuo vexantibus, c) dum omne eorum nomen e medio tollerent. Id Strabo sub Critasiro Boiorum, et Boerebista Dacorum rege, factum perhibet. d) Si vquam Getarum res, certe sub Boerebista florebant maxime, cum in omnem bellarent partem; in ortum quidem contra Scythas, quorum praecipuam urbem, a Graecis conditam, Olbiam expugnauere; in austrum aduersus Macedonas, in occasum contra Boios, aliasque gentes Gallicas. Olbia a Getis capta est, vt cel. Bayerus .e Dionis Sophistae Borysthenica oratione colligit, e) an. V. C. 698; quae aetas in Caesaris et Pompeii tempora incidit, quibus ea Boiorum desolatio ad Istrum contigerit. Noricum ripen'e hi occupasse videntur, sparsim tamen, non continuo, ad Pannonios vsque, quod e Strabone perspicuum fit, *Boiorum deserta* his saepiuscule f) memorante locis, praecipue, dum, *Lacum* (Acronium) inquit, g) *Raeti exigua parte, maiori Heluetii et Vindelici attingunt: καὶ ἡ Βοϊῶν ἐρημία, μέχρι Παννονίων, inde Boiorum solitudo vsque Pannonios*, a Vindelicis nimirum, pone Danubii ripam, h) indigenis montanas planities obtinentibus, vt ex iis, quae subiungit, Geographi verbis, colligere licet. Ait enim: *Omnes, magis tamen reliquis Heluetii et Vindelici, montanas incolunt planities. Raeti et Norici vsque ad Alpium summa adsurgunt, et ver-*
sus

a) Voc. Βοϊῶν not. 70, p. 171.

b) L. V Geogr. p. 212 seq. Conf. Pined. l. mox c. Spec. Philol. p. 47.

c) Strab. L. IV, p. 206. VII, p. 304, 313, 315.

d) L. VII, p. 304, vbi Βοιρεβίστας. p. 298 Βοιρεβίστας huic, illi Κριτασίρω nomen. Et p. 313 Κριτοσίρω. Conf. nott. Casaub. et Bayer. Rer. Scyth. p. 240, vbi Βοιρεβίσταν Βοιρεβίσταν legit.

e) Rer. Scyth. sub Mithrid. p. 240.

f) Geogr. II. supra cc. praesertim p. 212, 304, 313.

g) L. VII Geogr. p. 292.

h) Haec aliter interpuncta vid. Geogr. Noric. C. III n. 2. Pannon. itid.

fus Italiam vergunt, alii Insubres, alii Carnos, et quae sunt circa Aquileiam loca, attingentes. In Pannonia quoque nonnihil agri occupasse Boii videntur, si Plinius audias, ita scribentem: *a) Noricis iunguntur lacus Peisō, (in Pannonia) deserta Boiorum: iam tamen colonia Diui Claudii Sabaria, et oppido Scarabantia Iulia habitantur.* Sed hi etiam, vti reliqui, Dacorum perierint manu, antequam huc penetrarent Romani. *b)* Sub Augusti Octauiani aetatem, Maroboduus, Roma rediens, vbi iuuenis fuit, et ab Augusto beneficiis affectus, e privato statu ad occupandam dominationem se conferens, *c)* eiectis Boiis, Marcomannos in eorum sedem Boiohemum intulit, vicinis plerisque suo iuri subactis. Boii hi, incinctos Hercyniae siluae campos, vt Paterculus inquit, *d)* a vetustis incolentes temporibus, inde pulli, in vacuas gentilium sedes, ad Vindelicos migrauerunt, *Boiouris* (hodie *Bauaros* dicimus) postea exortis, nomen impertientes; *e)* indigenis partim in austrum, in orientem partim, ad cognatos remeantibus. *f)* Noricos Plinius docet *g)* olim *Tauriscos* adpellatos, quos Strabo ad sociare Boiis, et Gallicam dicere gentem consuevit, *h)* cum tamen Boios in Tauriscis aduenas fuisse, clare doceat, vt paullo ante vidimus, et Noricos, velut indigenas, Illyricis adnumeret, *i)* quos nemo veterum inter Gallos retulit. Sed fama illa, quae *Tauriscos* et *Scordiscos* Gallorum socios ferebat, Strabonem quoque cum aliis scriptoribus multis eo induxerit, vt hos quoque crederent Gallos; cum tamen certum sit, nomina haec apud nos esse nata, non e Gallia huc perlata vmquam: nulla enim colonia Gallorum nota est, quae sub Tauriscorum nomine aut Scordiscorum adpulisset. *k)* De Rhaetis ita Plinius: *Rhaetos Thuscorum prolem arbitrantur*, inquit, *l)* *a Gallis pulsos duce Rhaeto.* Idem Iustini Trogi, *Tusci quoque*, ait, *duce Rhaeto, auitis sedibus amissis, Alpes occupauerunt, et ex ducis nomine*

- a) L. III H. N. C. 27. Ptolem. L. II C. 15, Boios in Pannon. super. locat.
 b) *Deserta* Plinio dicta. Ptolemaeus Marini aetatem respexit. Vid. de Ling. Pannonior. veter. De qua re in Geogr. Pannon. vberius.
 c) Strab. L. VII p. 290.
 d) L. II, Cap. 108. Conf. Cellar. O. A. L. II C. V. p. 482. Tacit. An. II, 45.
 e) Vid. Cellar. O. A. L. II Cap. VII, p. 525 init. 538. Conf. L. II, C. V, p. 486. Ind. Geogr. v. *Boioria*. Seuer. P. I. p. 73 n. b.
 f) Quidam mansere, quos Tacit. M. G. C. 43, Gothinos adpellat; Seuer. C. p. 64 male ab Sauo e Scordiscis deducit.
 g) L. III H. N. C. 24.
 h) L. VII, p. 293, 296, 304, 313.
 i) L. IV, p. 206, clare habet, τῶν δὲ Νορικῶν εἰσι καὶ οἱ Ταυρίσκοι, *Noricorum sunt etiam Taurisci.*
 k) Vt omitam eos, qui *Taurinos*, Ligusticam gentem, cum *Tauriscis* nostris commiserunt. v. Steph. Ταυρίσκοι, quem Schönleib. et hunc Farlat. Illyr. Sacr. T. I Proleg. C. IV, male secuti, miscuere omnia. - Ammian. de Taurisco tyranno interpretatur. L. XV, C. IX, X. p. 59, 61.
 l) H. N. l. c.

mine gentes Rhaetorum condiderunt. a) Hos itaque aduenis accensimus, Illyriis adtributos, quorum infederint agtos, beneuole ab iis fortasse receptos.

III. Boiis, qui occidua Illyrici tenebant, expeditis, eos, qui Macedoniam, Thraciamque turbarant, videamus. Trogi epitomator Iustinus, qui de his commentarium edidit singularem, hunc in modum differere incipit: „ Galli abundantii multitudine, inquit, b) cum eos non caperent terrae, quae genuerant, trecenta millia hominum ad sedes nouas quaerendas, velut ver sacrum miserunt. Ex his portio in Italia confedit, quae et urbem Romanam captam incendit, et portio Illyricos sinus ducibus atibus -- per strages barbarorum penetrauit, et in Pannonia confedit.“ Et paullo post, *domitis*, ait, *Pannoniis, per multos annos cum finitimis varia bella gesserunt. Hortante deinde successu, diuisis agminibus alii Graeciam, alii Macedoniam, omnia ferro proterentes petiuere.* Sed quisque, cui veteris chronologiae ratio cognita vel mediocriter est, peruidere poterit, hunc Iustini locum grandi anachronismo, ac rerum perturbatione, laborare. Miscet enim acta Gallorum, quae tercentis ab se distabant annis. Galli in Italiam migrarunt rege Romanorum Prisco, vt supra e Liuiο memorauimus, anno V. C. 163. Senones duce Brenno, ira in Cluinos, quos oppugnarant, omiſſa, Romanam capiunt et incendunt urbem, praeter Capitolium, c) an. V. C. 363. d) In Dardanos ac Thracas, Brenno (alio citra dubium) regulo penetrant, e) an. V. C. 474. f) Si haec tempora vni aetati adscribere licebit? Iustini Trogi adscripsit. Et vbi terrarum est Pannonia illa, in qua Galli confedisſe dicuntur? Pannoniae vocabulum ante Octauiani tempora auditum non erat. Sed video causſam erroris. Legerat Pompeius in Graecis *Paeonas*, quo nomine tum quidam Pannonios adſciebant, vt Appianus perhibet, g) erroremque Cassius Dio refellit; h) hinc pro Paeonibus vitiole Pannonios, vtpote sibi notiores, scripsit, et doctissimos quosque, qui de Pannonicis haecenus commentati sunt, in errorem pertraxit. i) Apud Dardanos autem, Paeonum vicinos, confedisſe Gallos, Brenno duce, Titus Liuius docet; Galli, scribens, k) *magna hominum vis, seu inopia agri, seu praedae spe, nullam gentem, per quam ituri essent, parem armis tati, Brenno duce in Dardanos*

-
- a) L. XX. C. 5, p. 280, ed. Norimb. 1775.
 b) L. XXIV Hist. Cap. 4.
 c) Liu. L. V, C. 34-42.
 d) Vid. Petau. Rat. Temp. P. I. L. III C. 12.
 e) T. Liu. L. XXXVIII Cap. 16.
 f) Petau. Op. cit. P. I, L. III C. 16.
 g) Lib. *Illyric. Conf. Cellar.* O. A. L. II C. 8. *Seuerin.* Pann. Illustr. init. Spec. Philol. p. 44.
 h) *Histor. L. XLIX. Conf. Casaub. nott. in Strab. L. VII p. 313. Spec. Philol. p. 34.*
 i) *Seuerin. Pann. Ill. L. II C. 10. Salag. Eccl. Pann. L. I Append. num. 2. Petau. l. c.*
 k) L. XXXVIII C. XVI, init. Conf. Felic. Petanc. Aggress. Turc. p. 349, P. III Scrip. Hung. ed. Tyrn. 1765.

danos peruenerunt; 1) ibi seditione orta, et ad viginti millia hominum, cum Leonorio ac Lutario regulis, secessione facta a Brenno, in Thraciam iter auerterunt; vbi eum resistentibus pugnando, pacem petentibus stipendium imponendo, Byzantium quum peruenissent, aliquamdiu oram Propontidis vectigalem habendo, regionis eius vrbes obtinuerunt: cupido inde eos in Asiam transeundi -- cepit: et Lyfimachia fraude capta, Chersonesoque omni armis possessa, ad Hellespontum descenderunt. Singillatim deinde recenset Gallorum in Asia, duce Leonorio et Lutario, acta, Brenno cum parte gentilium in Dardanis relicto, utpote ad Romanos, quorum res gestas persequi ex instituto Linius habuit, minus spectante. Fulse autem Pausanias in Phocide, b) et Iustinus in Trogo, c) Brenni et sociorum per Macedoniam grassationem persequuntur. Adeo tamen res hic eis male cessit, ut vniuersa ea Gallorum multitudo, d) paucos intra annos ad interuentionem caesa vix nomen sui reliquerit. e) Qui erant, ab Delphica inprimis clade, residui, in Asiam ad cognatos concessere, vbi regnum Bithyniae cum rege partiti Gallograeciam condidere. f) In Macedonia pars quaedam remansit Gallorum, quos Linius in tertia regione, secundum Paulli Aemilii diuisionem, locat cum Illyriis, impigros adpellans cultores. g) Alibi, apud Thracas et Illyrios, Gallorum nomen haud comperio; Scordiscos enim et Iapodas, Celtica gente mixtos, quia nemo e Romanis adseruit Gallos, et Strabo ipse, antiquos secutus, in genere Celtas, quos tam Germani, quam Galli nomine priscais veniebant, h) nuncupat, Gallos cum Iustino i) numquam adseruero. Et sane Scordisci, quos pluribus celebrat Strabo

N 2

locis,

- a) In oratione Cn. Manlij, Gallorum in haec loca aduentum altius repetens: „ extorres inopia agrorum profecti domo per asperissimam Illyricam oram; Paeoniam inde et Thraciam, pugnando cum ferocissimis gentibus, emensi, has terras (Asiae) ceperunt.“ L. XXXVIII c. 17. Polyb. IV, 46.
- b) Vid. Petau. Rat. Temp. P. I L. III, C. 16, vbi triplicem ex Pausania expeditionem Gallorum in Thraciam et Graeciam memorat.
- c) L. XXIV, C. 4-8. L. XXV, C. 1, 2.
- d) Iustin. L. XXIV C. VI, peditum CL, equitum XV, cum Brenno fuisse, perhibet; Pausanias ap. Petau. Op. c. P. I, L. III, C. XVI, peditum CLII millia, equitum XX mill. et CCCC.
- e) Iustin. L. XXIV, C. 8 fin.
- f) Iustin. L. XXV, C. II, L. XXX, C. III. Strab. L. IV, p. 187, seq. L. XII, p. 566, seq.
- g) L. XLV H. R. C. 30.
- h) Herod. L. IV C. 49, Ἰστρὸν ἐκ Κελτῶν, ex Celtis oriri dixit. v. supr. C. I n. 3, 6. C. III n. 13. Ephorus orbem terrarum in Celtas et Indos, Scythas et Aethiopes diuisit primus, quo in errorem traxit plurimos. Vid. Strab. L. I p. 34. Bayer. Mem. Scyth. p. 217, vbi integrum Ephori hac de re fragmentum legas. Septemtrionales omnes Celtas olim dictos id. Strab. l. c. p. 33 docet; qui cognitis aliquantum regionibus, Celtas, ac Iberi, aut Celtiberi, item Scythas, ac Celtas, aut Celsoscythas nuncupari coepere.
- i) L. XXXII Hist. C. 3.

locis, eiusdem cum Bastarnis linguae, teste Liuius, a) erant; Bastarnas autem Germanorum fuisse progeniem et Strabo palam et Tacitus docent. b) Sed neque ea, quae de Scordiscis narrantur, omnia Celtis attribueris; siquidem hi Scordi dumtaxat iuga, ex Liuius, c) infedisse videantur, quatenus ea Hadriae proxima erant, reliquum occupantibus Illyriis, qui ab Scordo *Scordisci* fuere dicti, antequam Galorum hic audiretur nomen. d) Hac etiam de causa Appianum censeo Scordiscos Illyricis attribuisse gentibus, Florum autem Thraciis, e) quod idem est; Stephanum Paeonibus, f) Plinium ac Ptolemaeum Pannoniis. g) Scilicet indigenae Scordisci erant, perperam Gallis, quorum focii in Macedonia fuere, attributi. Autariatae quoque et alii complures Illyrii expeditioni Delphicae, Appiano teste intererant, quos tamen Gallis veterum nemo adnumerare ausus fuit. h) Scordiscis Celtarum adhaesit nomen, quod ii potissimum adessent Gallis, et quidam ipsa Celtica progenie, ut ex Liuius diximus, fati forent. Sed et illi, qui Celtico genere nati erant Scordisci, Octauiani tempus attingisse non videntur, cum Scordisci, Illyrica gens, etiamnum superesset. Perierint quippe, ut Strabo pluribus memorat locis, aut ad cognatos in patriam secesserint: aut, siqui mansissent, eorum, quia pauci erant, non fuerit in monumentis habita ratio. Perstitisse vero aliquos iam ab antiquis temporibus, ex Nouomontana ciuitate (*Novi Pazar*) opineris, de qua sic Felix Petancius: i) *Est insuper ad decem milliaria (a Pristina) Nouomontana ciuitas, Germanorum colonia: principio namque Saxones, in Mysiae partibus, metalla et argenti materiam reperere.* Atque ista de aduenis in Thracia populis, aetate vetustiori, dicta sunt. Nunc et illos, qui postea commigrare, memorasse liceat. Quod antequam praestem, obseruare velim doctos lectores, ex haecenus dictis palam esse, Thracas sic a barbaris gentibus impugnatos, ut nomen et patriam tenuerint constanter, ad Istri maxime ripas, deminutis et pene excisis aduenis, ut nihil praeter nudum nomen remanserit.

IV. Ea sunt haec subsequuta tempora, quibus Thracum genus Romani subigere coeperunt. Quae quod longe sunt explicatu faciliora, et a pluribus pertractata, paucis ea commemorabimus, in primis, quae obscuriora esse videbuntur. Coeptum ab Illyriis, *Teuta* regina, Floro *Teutana*, k) legatione violata, occasionem praebente, an. V. C. 524; quae tertio post anno victa, pacem a Romanis obtinuit.

a) L. XL Cap. 57. fin.

b) *Strab.* L. VII, p. 306. *Tacit. Mor. Germ.* C. 46.

c) Loc. mox cit. *Conf. Cellar. Ol. A. L. II C. VIII p. 570.*

d) V. etiam *Seuerin. Pann. Illustr. L. II, C. X, p. 69. Spec. Philol. p. 46.*

e) L. III *Hist.* C. 4.

f) *Steph. v. Σκορδίσκοι.*

g) *Plin. L. III, C. 28. Ptol. L. II, C. 16.*

h) Ni genealogiam Appiani adoptare cum quibusdam recentioribus velis.

i) *Aggreff. Turcar. Tom. III Script. Hung. p. 349 edit. cit.*

k) L. II *Hist.* C. 5.

nuit. a) Demetrio deinde an. V. C. 535 ab exercitu Romano, duce C. Aemilio Paulo, ad Philippum propulso, b) quaedam coloniae sunt ad Illyrios deductae. Sed quietis esse non licuit Romanis, eos circumvicinis continuo impetentibus, ad annum vsque V. C. 587, quo Perseo Macedonum et Gentio Illyriorum regibus deuidis, L. Anicius Praetor de his, Aemilius de illis triumphauere, Macedonia et Illyrico in prouinciae formam redactis. c) Tum enim uero plures in Illyricum, Adriatici ora inprimis, coloniae Roma concessere. Dalmatis deinde, Pannoniis, Thracibus, Mylis, ac Noricis, saepe tentatis, at sub Octauiano penitus subactis, in mediterranea quoque Thracum loca uenerunt coloni. d) Sed nulla tam copiosa prouincia, quam Decebalo auspiciis Traiani uicto in Dacia. Cum enim celebres illae toto Illyrico Romanae coloniae, cum Imperii occasu, omnes prope misere corruissent, una Dacorum mansit in Valachis, gentis Romanae ueteris posteritate singulari. e) Sic tamen hi se apud Dacos gessere coloni, ut non pauca seu de moribus, seu lingua ab iis mutuati fuerint. Res Dacorum, cum iam Tiberio imperante cadere coepissent, sublato rege Decebalo penitus concidere. Quos tamen in prouinciam redegerunt Romani, suisque auxissent colonis, efficere tamen haud poterant, quo minus populi Germanici, olim quoque Getis confines, Daciam saepe tentarent, ac demum obtinerent etiam. Id factum imperante Aureliano, qui barbarorum infestationes pertaesus, Romanum militem e Dacia transtulit in Moesiam, nouo Daciae nomine insignitam, cum ueterem direptioni uiciorum dedisset. f) Hi erant Gothi, Gepidae, Vandali; primi Daciam ueterem, ubi nunc Transiluania, posteriores utriusque circa Tibiscum ac Danubium, occupauere. g) Multa de his, Iornandem potissimum secuti, recentiores, quorum praecipuus Cl. Seuerini est, qui de horum trans Danubium sedibus singularem edidit Commentarium. h) Quod originem horum attinet, plerique post Iornandem abeuntes e Scandinauia insula, tamquam gentium uagina, reperunt, quos eruditi, praecipue Bayerus, i) rident. Vandalos Plinius, cui *Vindili* audiunt (si tamen iidem sunt, ut Harduinus cum aliis uult) apud Burgundiones ad Viadrum nouit; k) *Gothos*, Plinio Guttones, Tacito Gothones, l) Ptolemaeo Gythones, m) ad Vistulam p-
fuere

- a) Petau. Rat. Temp. P. I L. IV C. I, p. 147. Conf. Katon. Chron. Syn. ad ann. cit.
 b) Id. ib. C. VI, p. 167.
 c) Petau. Op. cit. Cap. VIII p. 172. Vberius de hoc in Geographia.
 d) Quales in Pannonia, Aemona, Siscia, Sabaria, Murfa, cet.
 e) Vid. Seuerin. Pann. Illustr. L. III C. 20. Benkö Transilu. L. IV, C. VI § CLVII.
 f) Seuer. ib. C. 26 fin. p. 154. Conf. ib. nott.
 g) Seuer. Pann. Ill. L. IV, c. 1. Conf. Comm. eiusd. C. V. par. 1.
 h) Sopronii 1767.
 i) De Cimbris p. 136, seq. Conf. tamen Seuer. Pann. Ill. L. VI c. 1.
 k) L. IV H. N. C. 28, p. 191, seq. ed. Hard. cit.
 l) Mor. Germ. C. 43, ubi Gothinos Gallos, quos ibid. memorat, a Gothonibus Germanis secreueris. Vid. Seuer. Comm. Cap. IV § 1.
 m) L. III Geogr. c. 5. Conf. Seuer. Pann. Ill. p. 255 n. c.

suere veteres: a) vnde ad Istrum postea digressi propius, gentiles, quos antiquitas vocavit *Bastarnas*, in suum trahentes nomen, b) Thracum terras occupauere, ad vtramque Danubii ripam. Et Vandali quidem, a Geberich rege Gothorum victi, sedes in Pannonia impetrarunt a Constantino M. vbi LX annis morati, ab Stilicone, imperium adfectante, in Gallias anno Arcadii XIII c) euocantur. Gothi, Dacia circ. annum Chr. 274 poriti, eieciis anno 396 Vandalis, adusque Tibiscum extendere potentiam. Orta dissensione, Visigothi a Valente in Moesiam, Thraciamque recepti, Ostrogothis Daciam tenentibus. Illi imperatore Valente anno 378 victo, inque tugurio misere exusto, suam his in prouinciis dominationem firmare, sed ab Theodosio Augusto, insequenti anno, profligati, pars pro maiestate Romana, Theodorico, Triarii filio, et Saro ducibus, propugnare coguntur; pars iugo imperii alieni excusso, rege Alarico, in Italiam primum, deinde in Galliam, Hispaniamque, vbi singularia condidere regna, secedunt. d) Ostrogothi aliquamdiu subsistere, Hunnorum iussa facientes; postmodum, occupata per Gepidas, rege Ardarico, Dacia, ne et his, vt ante Hunnis, seruire cogentur, impetrant a Mariano Pannoniam, cum Norico Ripensi, e) ducibus Valemiro inter Scarniungam et Aquam nigram, Theodemiro iuxta lacum Pelsodio, Videmiro inter vtrosque, confidentibus. f) Qui, posteaquam contra Hunnos, Suenos, Scyros, Iazyges, Herulos, Pannoniam quinque ac triginta spatio annorum strenue defendissent, diuturnam pertaesi pacem, trifariam copias diuidunt, quarum pars ad Pannoniae agros tutandum relictis; pars Videmiro duce in Italiam Visigothorum legere vestigia; pars denique sub Theodemiro in Illyricum, inde in Thessaliam concessere, vbi Theodemir obiit, successore Theodorico Gothis relicto, quem Iustinianus iuri postea Romano parere iussit. Suadente porro Zenone, vt Rugis in Italia euerfis, regnum stabiliret sibi, conscripto e Gothis, Rugis, aliisque circumuicinis populis, exercitu eo profectus est, imminuto Gothorum his in prouinciis nomine. g)

V. His successere Gepidae, natio Gothis patria et genere adfina, primum ad Scythiae loca, circa Tyram, confidens promotis deinde ad Istrum sedibus. Rege Fastida, circiter annum 245, cum Gothis certare de possessione Daciae, sed victi, pedem retulere. A Probo in Thraciam cum Gautunnis, Vandalis, Bastarnisque translatis, cum datam violassent fidem, variis fracti caesive praелиis, ad ima rediguntur, paucis fuga ad ceteros elapsis. Attila regnante, Hungariam Tibiscanam, subiecti Hunnis, tenebant, auxilio iis in campis quoque Catalaunicis lato. Attila dein mortuo, primi se in libertatem adseruere, Dacia, permisso Marciani,

-
- a) Vid. Cellar. Tab. Germ. Köleri. cet. Conf. Cellar. Geogr. L. II C. 5. Seuer. II. cc.
 b) Vid. etiam. Ind. Geogr. V. Gothi, p. 299.
 c) Sigeb. Gemblac. ap. Seuer. Pann. III. L. IV, c. 16 fin.
 d) Vid. Seuerin. Pann. Illustr. L. VI C. 8. p. 273. Conf. Geogr. Thrac.
 e) Ann. 454, id. ibid. p. 274.
 f) Iornand. Rer. Get. Cap. 50, ap. eum. ib.
 g) Seuer. P. I. L. VI Cap. 13-15.

454 an. occupata. Inde agrum Sirmiensem, cum Daciae ripensis, quam Aurelianus in Moesia constituit, parte infederunt, cum Gothis continuo luctantes, Romanasque prouincias crebris incurfibus, foedaque populatione vastantes. a) Quo Iustinianus imperator motus, Longobardos ad iniurias, ab Gepidis Herulisque illatas uiscendum, in Pannonias an. 527 b) deuocat, qui Gepidas eousque laceffere non desisterunt, dum eos ad interuentionem deleffent, strage in iis an. 553 adeo perniciosi facta, ut praeter nomen vix quidquam in Gepidis manserit. c)

Longobardi (ut Herulos, Rugos, Alanos, ac Scyros, Gothorum utpote Gepidarumque, et Hunnorum socios, partim inquilinos, mittamus) d) e regione Vandalis vicina, ducatu quippe Lunenburgico, primum insulas Baltici maris petere; inde ad Danubiam propius circa Boiohemum, adpuli, cum ab Iustiniano aduersum Gepidas acciti, Pannonias cum Norico ripenti obtinent, Gepidas profligant, Daciaque Auaribus ex foedere cessa, dominantur ad annum usque 568, quo agris Pannoniae, ut cum Dacia fecerant olim, sociis Auaribus collata, euocati ab Narsete in Italiam uniuersi concessere. e)

Hunni, Thracum inquilini praecipui, Sinarum olim adcolae, ac proinde annalibus eorum magis, quam nostrorum cogniti, multa cum Sinis, ante quam huc adpellerent, gessere bella, ut nostri aiunt. Cum autem ciuilibus apud eos oriretur seditio, ab Tataris uicti, e natali solo migrare pars, alienasque terras petere constituunt. Rha primum seu Volga excepit eos, deinde Tanais; quo etiam postea transmissi, ulteriora Ponti litora, Getas versus, legere. Denique an. 375 Balambera duce Gothis eripiunt Daciam, factisque crebris in vicinas prouincias excursibus,

a) Anno eod. 454, cum Attilae filii de imperio disceptarent, Ardaricus Gepidarum rex primus iugum excussurus, ad *Netad* (aliis *Netao*) in Pannonia profligat Hunnos, obtenta Dacia. An. 465. Hunni (ex Scoto, Cassiodoro, Hermanno, *Bulgari* erant. Vid. Pray An. Auar. p. 255. Conf. Katon. Chron.) ad Bassianam ab Gothis, qui tum Pannonias obtinuerant, cum Dengizich rege extremum vincuntur. Inde Gothis an. 475 in Illyricum et Graeciam sedes promouentibus Gepidae primo circa Singidonem, et in Dacia ripensi, tum in Pannonia circa Sirmium confederint. Certe an. 489, quo Theodoricus Italiam petiit, ad *Vlcam* sedes propagarant. (V. Seuer. P. L. p. 288) An. 504 Sirmium quoque capiunt; vnde missi Petza reuiciuntur. An. 526, ab Theodorici morte, ob Sirmium cum Gothis decertant. An. 527 Longobardi in Pannoniam vocantur superiorem, paullo post ad Gepidas vsque promoti. (Vid. infr. C. VII, n. 30.) Hos impetunt. An. 535 oritur bellum Gothicum. Sequenti Sirmium cum Sauii, Gepidis cedentibus, Romani aquirunt. An. 549 Ildiscus per Pannoniam cum Sclauis ad Venetum agros. An. 551 Sclauis in Dalmatia hibernant. An. 553 caeduntur Gepidae a Longobardis; extremum vero an. 567. vid. infr. C. VII, n. 33.

b) Ita Sigebert. Blancus, Pagius, at Vales. 548. vid. etiam Katon.

c) Seuerin. Pann. Illustr. L. VII Cap. 3-5. Eiusd, Com. Cap. 5. At id an. primum 567 accidit.

d) Heruli, ac Rugi, origine Germani; Scyri Slauis. Vid. id. Com. Cap. 6. § 3.

e) Pannon. Illustr. Lib. VII. Com. Cap. 6. Conf. Pubitska Chron. Slauor. ad ann. citt.

bus, Pannoniam Sirmiensem, Attila regnante, an. circiter 394, suae potestati subigunt. Quo defuncto, Hunni, orta inter filios imperii causa contentione, a Gepidis ad ima rediguntur, vniuersis Dacorum exuti prouinciis. Perflitere tamen isthic, subiecti aliis, donec gentiles eorum, sub Auarum nomine, vestigia maiorum secuti, aduenere, quibus iuncti, pristinam recuperare potentiam, obtenta primum a Longobardis an. 553 Dacia, ex inito foedere; tum etiam, his alio demigrantibus an. 568, Pannonia; quam tamen ad annum vsque 603 non possedisse videntur, indigenis se se in libertatem adferentibus; quamquam Byzantinis essent obnoxii principibus. a) Pars Auarum se Dalmatiae quoque infuderat, ab Serblis postea, circ. an. 640, huius possessione exuta, quae ab iis Serbiae, Bosinaeque nomen accepit: b) Iura Pannoniis Dacisque dabant Auares ad Caroli M. aetatem, cuius armis per totos decem annos fatigati, succubuere demum, Francis deinceps, vna cum prouincialibus, obsequia facientes. Interea Suatoplug, Morauus genere, cum Iazygibus Sarmatis, Pannoniisque vicinis conspiratione facta, iugum Francorum excutit, rex magnae Morauiae compellatus, strenueque aduersus Carolomanum et Arnulphum pro patria decertat, dum viueret. In Morauos Hungari, in Moldauiam non adeo pridem ab Volga delati, a Francis vocantur, qui prouincias, quibus ab se Hungariae nomen dedere, pro se potius quam Francis occupant, tenentque hodieum. c)

Turcae e barbaris gentibus, quae Illyrico dominatae sint, postremi occurrunt. Hi cum Tataris, quorum sunt progenies, ad Caspium coluere olim, cum essent priuati, communi *Turcarum* nomine a Persis adpellabantur inde ab an. 1214, quo Solimanus, princeps vrbis Nerae, statorque Sultanorum, in Syriam valida manu irrupit Aleppum vsque, antea cum aliis Tatari nuncupati. Anno deinde 1300, quum Osman, Solimani nepos, occupatas Asiae minoris prouincias (Bithynia erat Cappadociaque) regere coepisset, *Osmani*, seu *Otomani* audire. Osmanis nepos Amurathes ex Asia primus in Europam traiecit, an. circ. 1350, captisque Callipoli, Cherroneso, Philippopoli, et Hadrianopoli, Seruiam adiicit Bulgariamque. Bajazeth, prioris filius, Graeciam et partem Thraciae; Mahometes maiore Illyrici occidui parte subacta Macedoniam perdomuit, sede regia ex Bithynia Hadrianopolim translata. Amurathes II Epirum, Aetoliam, Achaiam, Boeotiam, Atticam, cum Theffalonica Venetae ditionis vrbe; Mahomet II Constantinopolim an. 1453 die 29 Maii, Trapezuntem, Corinthum, Lemnum, Euboeam, et Mitilenen, et Capham Genuensium urbem; Bajazeth II ab Venetis Naupactum, Methonen, Dyrrachiumque, vastata omni Dalmatia; Zelimus Aegyptum; Soliman filius, Belgradum Seruiae, Budam, Strigonium, et vbi totam vastarat Hungariam, Quinqueecclesias, obfesso Szigeto, quod etiam diripuit filius Zelimus II an. 1566. Hac itaque ratione sub vndecim principum imperio, ducentorum et sexaginta annorum

a) Vid. Pray Annal. Hunn. ad ann. citt. Conf. Seuer. II. cc. et Prolog. Hist. Hung.

b) Porphy. de adm. Imp. Cap. 30.

c) Vid. Pray. Seuerin. Pann. III. Comment. et Hist. Hung. alios.

norum spatio, tot validissimas Asiae, Africae, Europaeque prouincias, Turcae suo subegere iuri; sic tamen, vt indigenae, quamuis sub diro tyranni iugo gementes, suis se vitro continuerint sedibus, si paucos, qui se in tutiora transfulere, demas. a)

VI. Sed ohe! prope obliuio me Slauium coepit, culpandum vel maxime, quod patriae, cuius descripsi incolas, maior pars nomen ab iis accepisse dicatur. Multa de his tam exteros quam domesticos scriptores commentari videas, sed tam infelici saepe fato, vt ea, quae ad rerum intelligentiam secerni oporteret, misere committantur. Nos methodo, quam vsque huc tenuimus, antiquitate in subsidium vocata, hoc paucis absoluemus, in primis, quod ingentia de his volumina multorum teruntur manibus. In eo plerique haecenus lapsi sunt, qui de Slaucis rebus scripsere, quod Sarmatas, quorum nepotes Slaui, a progenie Thracum non distinxerint, eo quoque audaciae eluctati, vt non modo veteres Gothos, qui omnino Germani erant, sed et Auares, et Hunnos, quorum loquendi ratio tantum ab Slaua differt, quantum ab Hebraea Latina, et vniuersos Illyrici incolas, quos eadem vt lingua deprehenderant, a Slauis borealibus prognatos adseuerarint, temporum, quae praecesserant, populorumque nulla pene habita ratione. Sed ad rem. Nomen Slauium apud Iornandem, seculi sexti scriptorem, primum occurrere, notum eruditis est; nemo tamen prudens id rum primo enatum adseruerit. b) Slauios, qui cum Gothis, et postea cum Hunnis Illyrios vexarant, ab iis regionibus venisse, quos Sarmatas posuit antiquitas, ex Iornande, c) Procopio, d) Porphyrogenita, e) et qui hos secuti sunt, colligere licet. Ac Iornandis quidem haec sunt: „Introrsus illi (*Istro*) Dacia est, ad coronae speciem arduis alpibus emunita; iuxta quorum sinistrum latus, quod in aquilonem vergit, et ab ortu Vistulae fluminis per immensa spatia venit, Windarum natio populosa confedit. Quorum nomina licet nunc per varias familias et loca mutantur, principaliter tamen Sclauini et Antae nominantur. Sclauini a ciuitate noua, et Sclauino Rumunnense, f) et lacu, qui adpellatur Musianus, g) vsque ad Danastrum, et in boream Vistula tenus,

a) Vid. praeter alios *Ursach. der Größe und des Verfalls des Osman. Reich.* Conf. Ortel. Atlant.

b) Vid. Pubits. p. 47. Seuer. Comm. p. 88.

c) Ex hoc quidem ipsi Daci *Sclau* sunt. Rer. Get. Cap. 23. Vid. infr. Cap. VI n. 3. De reb. Get. Cap. 5. Conf. Pubits. Chron. Slauior. p. 44, 74.

d) Bell. Goth. Cap. 35. Conf. Seuer. Comment. p. 89.

e) Admin. Imp. Cap. 30, 31. Vid. Pubits. p. 228, seqq. Seuer. Comm. p. 94, seqq.

f) Loca haec in Mysia e regione Valachiae sita existimat Iordan. Orig. Slauior. P. III Sect. 32, n. 473. ap. Pubits. p. 74. Fortasse Nouae Procopii Aedis. Iustin. L. IV C. 6 erunt. Vid. Salag. L. V p. 213. Certe Iornandes eodem scripsit tempore, quo Procopius.

g) Sic scribi videas pro *Mysianus*, vti et Viscia pro *Vistula*. Conf. Salag. IV, p. 412.

nus, commorantur. Hi Slauini paludes siluasque pro ciuitatibus habent. Antes vero, qui sunt eorum fortissimi, qui ad Ponticum mare curuantur, a Danastro extenduntur vsque ad *Danaprum*; quae flumina multis mansionibus ab inuicem abfunt. Quis non videat, ea Slauinis ab Iornande assignari loca, qui Sarmatis a Ptolemaeo data fuere? a) Colebant nimirum a Vistula adusque mare ponticum, litora huius ab Danastro (Dniester) ad Istrum tenentibus Antis, qui Getae veteres fuerint, *priscoe fortitudinis* insigne retinentes. Id enim ab hoc tempore factum videas, vetusta gentium nomina mutata esse, nouamque induisse formam, vt, qui laeuo Danubii erant latere, Daci, Getae, Sarmatae, *Slauorum*, qui autem dextro, quod Romano-Graecis obnoxii erant, occiduo labascente imperio, *Romanorum* compellarentur vocabulo. Inde origo celebris illius quorundam recentiorum opinionis, qua Dalmatas, Pannonios, ceterosque Illyrios, quos vetustas *barbaros*, id est, ab Graecis Latinisque prorsus diuersos habebat, Romana vsos lingua adserere non dubitent. De Getis in Slauos mutatis testem e Graecis habemus Theophylactum Simocattam, loco triplici; b) praecipuus est, quo Petri ducis, imperante Mauricio, cum Slauis pugnam describit, c) vbi in decursu, *Romani Getis*, inquit (τὸ γὰρ τοῖς Βαρβάροις τὸ πρεσβύτερον ὄνομα, hoc enim Barbaris, Sclauinis, nomen vetus erat) propiores facti manum conferere non audebant. Et alibi Photius, librum Simocattae VII recensens, *Libro septimo*, ait, d) agitur de turbatis Romanorum ordinibus, eorumdemque rebus fortiter gestis κατὰ Σκλαβηνῶν, ἤτοι Γετῶν. Γεταὶ γὰρ τὸ παλαιὸν ἐκάλεοντο, contra Sclabenos, siue Getas: Getae enim antiquitus adpellati sunt. Quo quid clarius ad rem propositam dici queat, non video. Sed quid etiam deterius, quam ex hoc Gothos Slauum adserere populum, quod non nulli, Iornandem in primis secuti, fecere. Scimus Gothos in Getarum venisse agros, at non idcirco Getae Gothi, sicut neque Hunni Sclaui, tamen hi illorum focii, partim subditi essent. Diu est, quod Iornandes apud viros, qui vltra eius aetatem videre, ob Getarum res prisca Gothis adtributas, non bene audit. e) Sicut et Porphyrogenita, dum Auares trans Istrum nuncupat f) Sclauos, qui Hunnica progenie sati noscuntur; cuius erroris ea esse videtur causa, quod multi Slaua vtentes lingua mixti Auaris erant. g) Ceterum, Sclauinos istos, quorum scriptores ab seculo sexto meminere, *trans fluuium Istrum, non procul a ripa, sedes patrias habuisse*, memorat etiam Procopius, h) vrbi

CPTanae

a) Vid. Seuerin. Comm. p. 24 seq.

b) Hist. L. I Cap. 2. L. III, et VII. Phot. in Synops. Theophil.

c) L. I Cap. 2. ap. Asseman. Orig. Eccl. Slauor. Tom. I, P. II Cap. 5.

d) Ap. Simon. Asseman. l. mox cit.

e) Vid. Bayer. de Cimmeriis p. 136. Seuer, P. Illustr. L. VI C. 2.

f) De Adm. Imp. C. 29. Vid. Pray. Annal. P. II, Dissert. praeu. p. 192.

g) Slauorum sane regio ea laeuo Istri latere erat, quos antiqui dixere Dacos.

h) Bell. Goth. C. 35. Conf. Suid. Lexic. Σκλαβηνῶν ἔθνος τὸ παράθεν τε Ἰσθμῶ. *Slauina gens trans Istrum erat.* Conf. Schlöz. p. 349. n. 13.

CPtanae praefectus, imperante Iustiniano, eiusdem cum Iornande aetatis. Idem alibi, *Slauos vocat barbaros, qui ad sinistram Danubii habitarent, immunes a potestate Romana.* a) Dacos heic et Iazygas monstrari nemo non videt. Hi Romanas infestare prouincias, vti consueuerant olim, sic et nunc non desiere. Hi cum Gothis, Hunnis, Auaris, Illyricum vastare, adusque Adriaticum, Aegaeumque mare progressi, non tam in cognatos suos, Thracas quippe Illyriosque, quam, vt hos ab iugo liberarent, in Graecos, Latinosque, vt qui has olim iam subegerint partes, saeuendo. Tamen si vero his e Sarmatica quoque progenie immixtos fuisse quosdam non aegre admiserim, vniuersos tamen Sarmatas vt concedam, in id enim uero, vt olim, ita et hodie induci nequeo. Quorsum Dacum Getarumque tam valida pubes ampleque deuenisset, si ab Othini expeditione (si qua tamen vquam erat) nulla Getarum, nulla Dacorum e natiuis sedibus migratio memoratur vspiam? Gothi, Gepidae, Hunni, Auares, Franci, alii, obtinuerunt Daciam, nemo tamen e tota retro vetustate memoriae prodidit, Dacos ab his gentibus patria exactos fuisse. Nulla gens, quantumuis ferox validaque, id adhuc efficere poterat, vt prouinciam colono vacuum reliquisset. De vrbe quidem agroque id non incongrue dici valeret, at de vniuersa quadam prouincia nullum equidem exemplum exstare memini. Quamquam nullum sit de Dacis dubium, quin socia iis, quibus parere iussi sunt, arma praebuerint. Sinamus itaque natiuo solo Dacos, dato iis ex aeui, vt aiunt, medii scriptorum sententia, *Slauorum* nomine, posita nihilominus eos inter et Slauos Sarmatas diuerlitate, tam patriae situ, quam linguae dialecto consideratis.

VII. Hos itaque Slauos singularem quamdam in Illyricum, in primis qua hoc Adriae vicinum est, migrationem suscepisse aliquando, non memini; quamquam excursus et irruptiones non vna vice factas, quas tamen migrationes nemo dixerit, comperiam. Slauorum Sarmatiae isthuc ante Heraclii tempora aduentum nemo e praecis notauit. b) Chrobatos enim Porphyrogenita deducit a *Βαγιβάρεια Bagibaria*, id est, Baiuaria, in eam Dalmatiae partem, quae postea ab iis *Crobatia* est nuncupata. Atqui vero non vniuersam Dalmatiam complexa fuit Croatia, sed partem dumtaxat occidentem, vbi Iapidas, Liburnosque posuere antiqui, vt e Constantini ipsius descriptione, c) et sedibus, quas Croatae posterius habere deprehensi sunt, manifestum euadit. Profecto et hodie Croatas ab Dalmatis et patria, et loquendi ratione, distinctos bene nouimus. Iam, si quis nunc ex iis quaerat, qui Illyrios veteres, quales Dalmatae fuerant, Slauica lingua vsos negant, vnde ii Dalmariae, Illyriique, qui Ionium adcolunt, venerint, cum Croatae partes illas non possederint, Slaua porro gens alia huc aliquando migrasse non legatur? Digressos ab Croatis Dalmatiae quosdam in Pannoniae loca, vt Constantinus perhibet,

a) De aedificiis Iustiniani. Conf. Porphy. adm. Imp. C. 29.

b) Vid. Pubits. Chron. ad ann. 480, 576, 638 p. 229. seqq.

c) Croatiam ab *Zentina* (hodie Cetina) ad *Istriam*, pone litus protendit, de Them. C. 30 Vid. Luc. regn. Dalm. L. I C. 12. seqq.

het, a) ostendunt posteri eorum, Sauum circa Sisciam et Zagrabiam, Drauum circa Varasdinum adcolentes. Quid porro causae subest, quod Illyrii apud Ionium, Seruii, Bosnii, Rascii, Hungariam vtroque Danubii latere incolentes, eadem cum Dalmatis vtantur dialecto, a Croatis discrepent? Quanta sit Illyriorum, Danubii ripas adcolentium ab Ragulinis distantia, nemo ignorat, et tamen non alia est sermonis differentia, quam si vtrosque vna peperisset mater.

Iraque Slauam gentem litore Adriatici aduenam non reperimus praeter Croatas aliam; quae ipsa non tam e Sarmatia trans Carpatem, quam e finibus Dacorum veterum, ab Maro et Cuso fluuiis, vt Cl. Seuerini, horum diligentissimus indagator, obseruat, b) prodierit. Praeter hos alii Sarmatiae Slaui, *Serbli* nuncupati, vicini olim Chrobatis, vt Porphyrogenita scribit, c) ab eodem Heraclio, in solum Illyricum recepti sunt, quod ab iis postea *Serbliae*, siue *Seruiiae* nomen accepit. d)

Bulgari quoque, si veteres recte audimus, Sarmatica progenies, ab Volga, vnde nomen sumtum, vt quidam volunt, ad Istrum, quo tempore, incertum, probabile tamen cum Hunnis, e) adpulsa, factis in Thraciam, Moesiamque, et vltra, sub alieno potissimum ducatu, procursum, ab Attilae obitu potens esse coepit, dato Moesiae inferiori, quam occuparat, ab se Bulgariae nomine. Cum propriis aliquo tempore paruisset regibus, et se in Sirmium quoque promouisset, quo a Gothis Italiam tenentibus exuta, tum ab Auaris Moesia quoque, nudum reliquit nomen prouinciae, suis varie atque in diuersas regiones distractis. f) Nomen Bulgariae, vti et Serbiae, ante Porphyrogenitam auditum non est. Quamquam et acta gentis huius densis colluctantur tenebris. g)

Vindos etiam, seu Vinidos, Alpium et Illyrici finium ad occidentem adcolas, quoniam *Slau* apud aetatis mediae scriptores nuncupantur, e Sarmatia nonnulli arcessunt, nullo argumenti idonei genere adducto, quo demonstrare possent, qua demum aetate huc adpulerint. Decepti praeterea videntur similitudine vocis Venedorum et Vinidarum, vt eandem gentem arbitrarentur, quae sane plurimum diuersa erat, seu patriam, siue consideres linguam. Venedi adcoluere Balticum, Vinidae Istrum, et antiquissimis quidem temporibus. Ex his prodire Slau (aut Illyrii potius) Carinthiae, Carnioliae, Styriae cet. ex illis Curones, Liiones, Aesthi, cet. quis autem hos hac aetate confuderit? Et quis non videat, Vinidas a Vinde-

a) Adm. Imp. C. 30.

b) Comment. Cap. VII.

c) De adm. Imp. C. 32. v. Pray Annal. Auar. ad. ann. 640. Pubits. ad ann. 563, 638.

d) Verum de Croatarum migratione vberius infra. Conf. Croat. Patr. et Spec. Philol.

e) Pray ad an. 635, p. 245.

f) Vid. Pray Annal. P. II p. 254, seqq.

g) Id. ib. Pubits. p. 88, dubitat, vtrum Bulgari, quorum prima occurrit memoria, Slau fuerint. *Schlöczer* Nord. Gesch. p. 240, Turcicam gentem fuisse putat. Sed nescio, qui Valachos dein horum fratres adferat. Bulgariae meminit Porphy. L. II Them. ap. Pray Annal. p. 252. Serbiae vero de Adm. Imp. C. 32 ap. Pray p. 256 seq.

Vindelicis prodiiſſe? Sed neque Venetas Adriae cum Venedis Balthici, aut Vindis Iſtris confuderis: a) voces enim hae, quamvis analogiam quamdam habere videantur, diuerſiſſimas tamen gentes delignant. b)

Sed vbi Slaunioniae nomen, quae huius aetas? Graeci ſcriptores, quos adpellamus Byzantinos, hoc non prodidere. Dalmatiam enim, Pannoniam, Myſiam, Thraciam, ſuis nominibus compellant, et poſt Conſtantinum Porphyrogenitam, Chrobatiam, Serbliam, Bulgariam, tacito Slaunioniae vocabulo. Sed neque apud noſtri aevi ſcriptores genuinam huius originem reperio. Quoniam res ad Geographiam ſpectat, alteri eam feruamus loco, nunc pauca daturi. Quos Graeci *Chrobatos*, eos Latini *Sclauos* nuncupant: c) neque enim apud hos nomen Chrobatorum leges. Inde quoque factum, vt Chrobatia Graecorum in *Slaunioniam* apud Latinos, migrarit. Et, ſi monumenta huius temporis bene luſtrariſ, non alteram, quam quae Chrobatiaſ comperat, Slaunioniam primo dictam comperies; tameſi hoc nomen paullo ante Turcae aduentum, in Dalmatiam quoque, Bosnam, Seruiam, et Hungariae fines occiduos atque australes, propagatum videas. Maior pars Pannoniorum *Shokcios*, d) Dacorum *Buneycios*, (ignota omnibus retro ſcriptoribus nomina) Dalmatae ſe ſuo, Croatae, Bosnij, Serbli, Bugari, ſuo adpellant, ignari, quid vocabulum *Slau* ſibi velit. Soli australia Carpatia iuga adcolentes, et quorum in plana conceſſere coloniae, ad vtramque Danubii ripam, *Szlovacos* ſe fatentur; quod nuncupationis genus vtrum a *Szlava*, gloria ſit ortum, viderint, qui hac denominatione gloriantur.

VIII. Alii quoque, at minorum gentium, populi erant, qui diuerſis temporibus Thracum agros habuiſſe dicantur, vti Pacinacitae, Chazari, item Turcilingi ſive Rugi, Saxones, Burgundiones, Alemanni, alii; hos Latini memorant, e) duos priores Graeci, f) qui tamen eorum, qui heic dominaſi ſunt, partim ſocii fuere, partim ſubditi. Quos adeo memoraiſſe ſatis eſt. Coloniae praeterea complures, tam ex remotioribus prouinciis, quales Iudaei, Armeni, Arnautae, Zingari, ex Aſia; Graeci, Irali, Galli, Germani, Sarmatae, Scythae, e vicinia, diuerſis huc aduenere temporibus, quorum alii per decurſum operis iam memorati ſunt; alii quia priuati, aut recentiores, paucis indicandi videntur. Indigenas quippe gentis Thracum deſcriptos heic peculiari calamo eſſe voluimus, cum praecipuis eorum inquilinis,

a) Vt fecit auſt. Not. Vindob. p. 9, ſeqq.

b) De illis vid. Pubits. ad ann. 623 ap. p. 213. conf. p. 147, 223. De his Bayer p. 534, ſeq.

c) Id et Seuerin. obſeruat Comm. p. 96 not. c. Auſtor Conuerſ. Carant. *Sclauoniae* nomen primus prodidiſſe videtur §. XIV. ſeq. (Pannoniam ſuo nomine compellans) eamque apud *Carantanos* ſtatuit. v. Salag. L. IV. fin.

d) Hi forte a *Succis* Thracibus Ammian. p. 394. Succus enim idem ac *Szok*. inde Succu, Sokci.

e) Inter alios D. Hieron. ep. 11 ad Hageruch. ap. Pubits. p. 38. Item Paul. Diaconus Hiſt. miſc. L. XV, C. 1. ap. eumd. p. 39.

f) Ap. Pray Annal. Hunn. qui tam illos p. 323 ex Cedreno, quam hos p. 308 et Diſſert. IV, vult eſſe Hungaros. Pubits. p. 43, 234, Slauos vult Patzinatzitas, ex illo Suida: *Δακες, οι νυν Πατζινακίται.* et forte non incongrue. Chazaros Seuer. P. I. p. 377, Slauos.

inquinis, reliqua populorum turba compendio relata. Neque enim esse videtur necessum, minutissima quaeque hoc in genere, in primis quoad propiora nobis tempora, isthic persequi.

At, Sodes! quae hodie Danubium adcolit progenies? Eadem, quae olim, inquam. Quid ira? Sane. Et sinistro quidem latere Moldavi, Valachique, vocabula noua, progenies Getarum vetus, si colonias Vlahorum, seu Italarum, & ad litus Euxini, Tatarorum, item quasdam Hungarorum, Sarmatarum (qui iam in Getas abiere) et Saxonum demas, numero quidem, si seorsim considerentur, longe inferiores, lingua autem ab Getis distinctu faciles. Transiluaniam Dacorum nepotes, cum Valachis, Armenis, Saxonibus, Hungaris, ac Zingaris; Hungariam ripensem soli Daci, paucis, iisque nouis, Germanorum coloniis Hungarorumque adiunctis; superiora ad Carpatem et Marum, Daci iidem, vt lingua ostendit, e consortio Sarmatarum non nihil deflexa; Boiohemum Slaui tenent; vltiora Germani, immixtis tamen Vinidis (sic media, vt aiunt, aetas, vocauit nostros) non vno in loco. Dextram ab ostiis ripam occupauere Thraeces, ad Pontum Tataris quibusdam, Graecis item Turcisque, et nonnullis minorum gentium aliis, permixti; ceterum Bulgari tenent, Mysi veteres, nomine ab interitu Bulgarorum adsumto. Sane quidem dialectus horum ab Slaua, quae Bulgariis fuisse dicitur, de quo dubitant nonnulli, diuersa est. In Romania trans Haemum aequae Thracum nepotes habitant, Graecis, Turcisque, et nonnullis aliis aduenis distincti. Adriae oram vniuersam inde a Cerauniis prope iugis ad Veneras vsque Illyriorum posterii hodieque habent, ad austrum Graecis, Tyriisque, ad boream Latinis et Gallicis coloniis iam olim receptis. Bosnam, Seruiamque soli Thraeces cum quibusdam Turcorum familiis; Croatiam et Slauoniam soli Pannonii habent. Hungariam Draui ripa Danubiique colit Pannonius, in mediterraneis quoque ad Balaton lacum, Hungaro, Germanoque, nuper huc adpulso, immixtus. Vltiora item ad lacum, vt vulgo aiunt, Peisonem, plures coloni veteres habent, ceteris, ad ripam in primis, suo veteri et Sueuo idiomate gaudentibus; quales vniuerso pene inde a Vienna Danubii tractu, adusque fontes perdurant. Styriam non vna domus Vinidarum, (sic indigenas heic veteres media nuncupauit aetas) plures Carinthiam, Carnioliam plurimae incolunt, ab Germanicis olim iam Celticisque populis non parum mutuatae. Quod, vbi horum contulerimus linguas, ac velut in tabula cognatos ostenderimus Thracum veterum nepotes, clarius adparebit.

C A P V T VII.

ISTRI adcolarum indigenarum loquendi ratio.

I. **I** NITIVM a priscis hoc in genere Danubii adcolis ducemus, ac primum indigenis, tum eorum inquilinis, per secula deinde ad nostram venturi aetatem. Thracum genus vetustissimis Danubium adcoluisse temporibus, per haecenus dicta monstrare conati sumus. Iraque, quo Thraces idiomate vsi fuerint, videndum. Si nobis laudes, quas de Germanico Caesare Naso carmine Getico cecinit, fata non inuidissent, nullo pene id negotio monstrare possemus. At, quoniam hoc insigni monumento, non sine magno laudis nostrae, reiue literariae incommodo, edax nos priuauit vetustas, alia oportet quaerere media, quibus id probare valeamus. Neque porro haec in ipso Sulmonensi vate, qua ad nostram peruenit aetatem parte, omnino desunt, si huius metra penitus intueri libet. Sane quidem, cum se Getas inter et Sarmatas vixisse perhibet, non obscure monstrat, quaenam Getarum (quos Thracas fuisse diximus) lingua fuerit. Sic enim horum idioma describit, vt non nisi dialecto seiuncti videantur. Nam, vbi Tomitanos depingere vellet, a) hac yti eum phrasi videas:

Turba Tomitanae quae sit regionis, et inter

Quos habitem mores; discere cura tibi est.

Mixta sit haec quamuis inter Graiosque Getasque;

A male pacatis plus trahit ora Getis.

Sarmaticae maior Geticaeque frequentia gentis

Per medias in equis itque reditque vias.,,

Memoratis dein quibusdam aliis, moerore cordis ab exilii potius loco, quam moribus gentis, vt postea videbimus, concepto, ita circiter finem Elegiae luctum continuat:

In paucis remanent Graiae vestigia linguae,

Haec quoque iam Getico barbara facta sono.

Vnus in hoc populo nemo est, qui forte Latine

Quaelibet e medio reddere verba queat.

Ille

a) Trist. V, Eleg. VII, a v. 9.

Ille ego Romanus vates (ignoscite Musae)
 Sarmatico cogor plurima more loqui.
 En, pudet et fateor, iam defuetudine longa
 Vix subeunt ipsi verba Latina mihi. „

Quod heic Sarmatico se plurima loqui more dicit, idem Epistola ad Carum de Getico expressit: a)

Nec te mirari, si sint vitiosa, decebit
 Carmina, quae faciam paene poeta Getes. „

Alibi vero, vt ad rem nostram propius, Geticum Sarmaticumque sermonem coniungit, eum se iam didicisse memorans, sic ad Cottam: b)

Hic quoque Sauromatae iam vos nouere, Getaeque:
 Et tales animos barbara turba probat.
 Cumque ego de vestra nuper probitate referrem,
 (Nam didici Getice Sarmaticeque loqui). „

Idem alio loco, c) spe fere omni destitutus.

Non liber hic vllus, non qui mihi commodet aurem,
 Verbaque significant quid mea norit, adest.
 Omnia barbariae loca sunt, vocisque ferinae,
 Omnia sunt Getici plena timore soni.
 Ipse mihi videor iam dedidicisse Latine:
 Iam didici Getice Sarmaticeque loqui. „

Quantumuis autem *ferinam* Thracum adpellet vocem; (citra dubium moerore animi insaniens) tamen obstabat nihil, quo minus ipse Vates, quem Romanae linguae mollities et peperit, et enutriuit, Getico sermone non loqui modo, verum etiam scribere, primo iam exilii anno, potuerit. Sic enim, non multo post suum ad Tomitas aduentum, canit: d)

Saepe aliquod verbum quaero, nomenque, locumque:
 Nec quisquam est, a quo certior esse queam.

Dicere

a) Ex Pont. Epist. XIII, v. 17. L. IV.
 b) Ex Pont. L. III Epist. II v. 37.
 c) Trist. L. V Eleg. XII a v. 53.
 d) Trist. III, Eleg. XIV a v. 43.

Dicere saepe aliquid conanti (turpe fateri)

Verba mihi defunt, dedidicique loqui.

Threicio Scythicoque fere circumsonor ore:

Et videor Geticis scribere posse modis. „

Threicii heic seu Thracii oris vocabulo citra dubium Getarum intelligit sermonem, vt ex pentametro adparet, Scythici vero Sarmaticum: quamuis et ea regio, vbi exularat Poeta, cum ab aliis, tum in primis ab eo, Scythia saepenumero dicatur. a) Sed maiora ausus est noster, vt non tantum videretur *modis scribere posse Geticis*, verum etiam scripsisse, sexta ab exilio hieme, Caesaris Germanici laudes carmine decantauit Getico; vt ostenderet, Getas molliorem, quam vt *ferina* dici queat, vocem habuisse. Adferam vna cum argumento locum, quod singularis esse videtur. Ita vero habet: b)

Ah pudet! et Getico scripsi sermone libellum:

Structaque sunt nostris barbara verba modis.

Et placui (gratare mihi) coepique poetae

Inter inhumanos nomen habere Getas.

Materiam quaeris? laudes de Caesare dixi.

Adiuta est nouitas numine nostra dei.

Nam patris Augusti docui mortale fuisse

Corpus in aethereas numen abisse domos:

Esse parem virtute patri, qui frena coactus

Saepe recusati ceperit imperii.

Esse pudicarum, te Vestam, Liuia, matrum,

Ambiguum, nato dignior, anne viro.

Esse

a) Vid. supr. Cap. V n. XII.

b) Ex Pont. L. IV Epist. XIII a v. 19. Conf. infr. Popovich ap. Schlöz. p. 325. Fortis I. D. Vol. I p. 90. „ OVIDIO, mentre vivea fra gli Slavi de Mar Nero, non isdegnò di esercitare il suo talento poetico, facendo versi nell' idioma loro, e n' ottenne lode, ed applauso da que' selvaggi; quantunque si vergognasse poi d' auer profanato i metri Latini, per un ritorno di orgoglio Romano.“ Primum Itali scriptoris (mirere) de Illyricae linguae vetustate testimonium. Conf. Spec. Philol. p. 22, 53.

Esse duos iuuenes, firma adiumenta parentis,
 Qui dederint animi pignora certa sui.
 Haec ubi non patria perlegi scripta Camena,
 Venit et ad digitos vltima charta meos;
 Et caput et plenas omnes mouere pharetras,
 Et longum Getico murmur in ore fuit.
 Atque aliquis, scribas haec cum de Caesare, dixit,
 Caesaris imperio restituendus eris.
 Ille quidem dixit, sed me iam, Care, niuali
 Sexta relegatum bruma sub axe videt.,

II. Atque ex his palam sane fit, Getas eodem Sarmatasque vfos loquendi genere; sic tamen, vt quaedam in sermone gentis vtriusque diuersitas fuisse videatur. *Loqui enim se vtraque poeta didicisse, scribere non nisi Getica, refert. Sed quinam ii Sarmatae fuere? Idem, inquam, qui boreale Dacorum occupasse latus e Pomponio Mela, Strabone, Plinio, Ptolemaeo, Ammiano, supra a) commemorati sunt. Quorum ipse Vates ita meminit: b)*

Solus ad egressus missus septemplex Istri,
 Parrhasiae gelido virginis axe premor.
 Iazyges, et Colchi, metereaque regna, Getaeque,
 Danubii mediis vix prohibentur aquis.
 Cumque alii caussa tibi sint grauiore fugati,
 Vltior nulli, quam mihi, terra data est.
 Longius hac nihil est, nisi tantum frigus et hostis;
 Et maris adstricto quae coit vnda gelu.
 Haecenus Euxini pars est Romana sinistri:
 Proxima Basternae Sauromataeque tenent. „

Itaque Basternae, Sarmatae, quos Iazyges dicit alias, Getae, Colchi, et alii his intermixti populi, quos per *meterea*, ἀπό τῆς μετέρομαι, c) expressit regna, Istro ab Tomitanis fuere seiuncti, adeo, vt primi ad ostia essent Getae, tum Sarmatae

a) Cap. V. n. 3, seq.

b) Trist. L. II a v. 189.

c) Zamolc. ab μετώρειος transmontanis, v. Top. Hung. p. 8.

matae in mediterraneis, Basternae inter utrosque sparsim, denique alii e Scytharum familia ad Colchidem. a) Quamquam et Getis, dextrum Danubii latus incolentibus, nonnulli horum, Sarmatae in primis, immixti fuere. b) Idem alio perhibet Poeta loco: c)

Nec vacat, in qua sint positi regione Tomitae,
 Quaerere, finitimo vix loca nota Getae.
 Aut quid Sauromatae faciant, quid Iazyges acres,
 Cultaque Orestae Taurica terra deae.
 Quaeque aliae gentes, vbi frigore constitit Ister,
 Dura meant celeri terga per amnis equo. „

Transire hi flumen consueuerant, vt Romanos, sub quorum iugo gemuere cognati, lacefferent; quod facere non destiterunt toto heic Romanae dominationis tempore. Sarmatae itaque, inter palantes praecipui, quemadmodum Nafonis aevo, sic et postea, Getis ad boream fuere proximi, a Vistula pene ad pontum deduci. Sic eos vetustas, sic Naso hanc secutus, adpellauit *Sauromatas*, nuncupatione graeca, quod ὄμματα τῶν σαυρῶν, *lacertinos haberent oculos*. d) Quamquam non solis, de quibus heic agimus, significatio haec propria videatur, cum plerique septemtrionalium, Germani praesertim, caecos haberent oculos: de quo Auenalis: e)

*Caerula quis stupuit Germani lumina, flauam
 Caesariem, et madido torquentem cornua cirro?
 Nempe quod haec illis natura est omnibus vna.*

Haec Sarmatarum apud scriptores compellatio mansit ad lapsum vsque imperii Romani, barbarorum a septemtrione crebris incurfibus fatigati. Sed alio se nostri compellarant vocabulo, ignari, quid graeca vox *Σαυρομάται* significare velit. Id quidem Naso diu cum his versatus explorare facile poterat; sed haec desolato exuli curae non erant. Illud quoque accessit, quod aetas ea, vtrum apud Graecos magis an Romanos, nescias, adeo barbararum vocum impatiens erat, vt summe caueretur, ne quid huius modi in sermonem subreperet. Quod ipse Poeta

P 2

pluribus

a) Vid. supr. Cap. V. n. XI seq. Cap. eod. n. II.

b) Cap. eod. n. II. VI.

c) Ex Pont. L. I Epist. II a v. 77.

d) A Pined. nott. ad Steph. *Σαυρομάται*.

e) Idem l. c.

pluribus innuit locis; a) et vel inde nosse poteris, quod is, cum octo apud Getas exegerit annos, eorumque idioma ex assè nouerit, ne vnum quidem vocabulum vniuersis, qua exstant parte, Tristium et ex Ponto libris, e Getico adducat sermone. b) Atque hoc e genio aetatis illius, apud Romanos in primis obtinuit, dum vna cum imperio lingua etiam Latina coepisset minari lapsum. Heic vero vti gentium sic et vocabulorum nouum prodisse mundum videas. Qua in metamorpholi Sarmatae nostri atque etiam Getae *Slauorum* nomine insigniti comparere. Iornandes est, scriptor seculi sexti, qui horum primus meminit, cuius locum supra adtulimus integrum. c) Slauī, quos ipse memorat, spectare circiter annum 470 videntur; d) sic tamen, vt eos non tum primum isthuc venisse intelligas, sed olim iam *confedissee*, vt idem perhibet, seu natiuas habuisse sedes. e) Vinidarum nomine complectitur vniuersos auctor, quod nomen a Venedis Balthicum adolentibus promanasse videtur; etsi hos diuerso ab Slauis idiomate vsos, maiori quidem ex parte, mihi nullum pene dubium sit. f) Tum in plura diuidit singularia cognomina, e quibus Slauinorum et Antaram essent praecipua. Priores ab Vistula secundum Carpatis iuga ad *Rumunenses*, Valachos hodie, ac *Nonam* ciuitatem, lacumque *Myssanum*; posteriores Ponti ora ab Danastro ad Danaprum vsque, habuere. g) Valachiam heic Moldauiamque, Tarariam Otsakouiensem, hisque contiguam Poloniae regionem, Slauis adtribui, nemo non videt. h) Ea prorsus loca, quibus paullo ante Sarmatas spectauimus Getasque. Et Slauorum quidem nomen ad nostram vsque aetatem felici peruenit cursu, veteribus in obliuionem missis. Quo autem sermonis genere Slauī vtantur, nemo ignorat hodie.

III. Agros itaque Getarum, qua Istro vicini erant, *Sclauino-Rumunenses*, teste Iornande, seu Getae, colonis mixti Latinis, habebant, priusquam huc adpellerent

-
- a) Trist. L. III Eleg. XIV fin. L. V El. VII fin. Ex Pont. L. IV Ep. XIII, v. 17.
 b) Inde quoque factum, vt D. Hieronymus, quamquam genere Dalmata esset, nihil barbari suis in scriptis reliquerit: a puero enim Latinae adfuevit linguae. Pubits. Chron. Slauor. Prooem. p. 41, 47. et passim.
 c) Cap. V n. XXIII.
 d) Iam sub Ermanarico, qui an. 376 obiit (vid. Pray. P. I p. 68.) *Slauī* in Dacia (quidni ipsi Daci) ab eodem Iornande memorantur, Rer. Get. Cap. XXIII. sic: „Nam hi (*Veneti*) --- ab vna stirpe exorti, tria nunc nomina reddidere, id est, Veneti, Antes, Sclauī, qui quamuis nunc -- vbique defauiunt, tamen tunc omnes Ermanarici imperiis seruiebant.“
 e) Id cum ipse Cl. Salagi L. IV Eccl. Pann. C. VII, n. 6, agnoscat, mirum, Slauos in Geticis et Sarmaticis agris ab Iornande locatos, a Viro docto, visus ceteroquin acuti, non esse obseruatos.
 f) Vid. Bayer. de Vened. et Eridano, p. 534. seq.
 g) Conf. Cap. III Dissert. huius n. IV. Ind. Geogr. v. *Getae* fin. p. 296.
 h) Mirabilis est D. Taube, *Topogr. Slauon.* p. 10, in hoc Iornandis (quem is *Iordanem* nuncupat) loco exponendo, cum *lacum Myssanum* ad Murfam Pannoniae transfert. Fortuna, quod et Danastrum huc non transtulit!

rent Gothi. Haec enim tempora in illa Daciae Sclauinorumque memoria Iornandes respexisse videtur, cum ea loca Sclauino-Rumunensibus tribuit, quae postea occupauerunt Gothi. Et Sclauinos quidem hos dictos olim fuisse Getas, quorum nomen et acta non bene Gothis ad censet Iornandes, aliis quoque docemur monumentis. Procopius enim Sclauenos trans Istrum patrias habuisse sedes, non procul a ripa, memorat, consentiente sibi Porphyrogenito, aliisque scriptoribus Graecis. a) Simocatta vero, quod alii obscurius dixisse videbantur, clarissime, *Sclauenos Getarum nomine olim venisse*, adseuerat; quo Procopii, Caesarisque dicta et confirmat, et mire illustrat. Quid enim clarius dici potest, quam sit illud Theophylacti apud Photium? *ὁ δὲ ἔβδομος λόγος διαλαμβάνει περὶ τῆς γενομένης ἀταξίας ταῖς Ῥωμαίων δυνάμεσιν, ἀριστείας τε Ῥωμαίων κατὰ Σκλαβηῶν, ἧτοι Γετῶν. Γέται γὰρ τὸ παλαιὸν ἐκαλεῖτο.* *Libro septimo agitur de turbatis Romanorum ordinibus, eorumdemque rebus fortiter gestis contra Sclabenos, siue Getas: Getae enim antiquitus adpellati sunt.* Et alio loco, b) ubi exercitum Romanum in sexcentos Sclabenos circa Marcianopolim incidisse memorat, cum eos se vehiculis seplisse pro vallo dixit, orationem sic prosequitur: *οἱ δὲ Ῥωμαῖοι πεπλησιακότες τοῖς Γέταις, τῆτο γὰρ τοῖς Βαρβάροις τὸ πρεσβύτερον ὄνομα, Romani Getis (hoc enim barbaris nomen vetus erat) propiores facti, manum conferere non audebant.* Denique, vt ad nostram exprimendi rationem propius accederet, *οἱ δὲ Γέται, inquit, ἧτοι Σκλάβοι, τὰ περὶ τὴν Θρακίαν ἐλυμαίνοντο, Getae siue Sclabi Thraciae finitima incurfant.* c) Haec ii aut non legisse, aut minus perpendisse videntur, qui ex Getis fecere Gothos, non tam auctoritate veterum, quam vocis analogia, ducti. Quem enim mihi scriptorum e primo aut secundo seculo dabis, qui Getas et Gothos promiscue dixisset? Scimus Gothos Getarum inquilinos fuisse; quidni etiam discernendos? Sane quidem, nisi e diuersis gentibus chaos quoddam efformare velimus. At posteriores non nulli Gothis Getarum nomen dedere, vt Spartianus, d) Capitolinus, e) D. Hieronymus, f) Procopius, g) Iornandes. h) Ita, inquam; sed priores duo ex opinione vulgari, quod Gothi occupassent agros Getarum, et sonus vocum congrueret, locuti videntur. Procopius quoque, dum Gothos a quibusdam Getas olim nuncupatos adserit, eadem vulgi caussa fuerit abreptus. Sed et Hieronymum hoc ductum argumento pures, cum scribit,

a) Vid. supr. Cap. V. n. 23.

b) L. I. Cap. 2. Conf. Seuer. Dissert. §. 22, p. 52 not. a.

c) Conf. Schlöz. N. G. p. 363, n. 95.

d) Anton. Caracall. C. X. fin.

e) Maximin. sen. C. IV, p. 251 edit. Lips. 1774. At heic quidem aperte distinguit Getas a Gothis, cum ait Maximinum Gotho patre, Alana matre natum, ab Getis tamquam ciuem vnice amatum. Certe Gothi tum adhuc Thraciam, vbi Maximinus est natus, non possedere, vt eorum ciuis diceretur.

f) Quaest. Hebr. in Genes. de Gog et Magog.

g) L. I. Bell. Vandal. C. 2.

h) In reb. Getic. passim.

scribit, a) omnes retro eruditosper Getas intellexisse Gothos. Nisi enim suae aetatis, aut proxime praecedentis, eruditos b) dicere velit, apud quos illa opinio non minimas fixisse radices videri possit, nescio, vtrum verba eius consona rebus dici valeant, nisi omnia quaeque miscere velimus. Iornandes aut iisdem de causis, aut ex popularium amore, nomen et acta Getarum Gothis attribuit. Hunc maxime secuti posteriores, Gothos cum Getis, Sarmatis, Sclauis, miserum commiserere in modum, vt res, quae illustrari debebant, densissimis opplerentur tenebris. Sed reditum ad Getas faciamus.

IV. Id iam ex haecenus dictis elicias, Getis Sarmatarum, qui postea in Slavos abiire, idioma vsurpatum fuisse, diuersa tamen dialecto. Ex quo id etiam euenisse putes, vt Naso, qui, vt primum Tomos adpulerat, per gestum sensa parafacere debebat, paullo deinde Getice loqui Sarmaticeque potuerit. c) Et quae alia, quaeso, lingua Getis assignari valeat? Graecam aut Latinam is vnus diceret, qui metra Poetae, apud Tomitas scripta, non legit. Cum enim Graece Vates bene nouerit, vt ea queruli verba ostendunt: d)

Rarus ab Italia tantum mare nauita transit:

Litora rarus in haec portubus orba venit.

Siue tamen Graia scierit, siue ille Latina:

Voce loqui; certe gratior huius erit. „

Qui factum est, vt cum Getis primo sui aduentu verba miscere nequiterit? Id vero cum alias, tum in primis eo significat loco, quo quemdam suis insultantem casibus exagitat, ita scribens: e)

Barbara me tellus, et inhospita litora Ponti,

Cumque suo Borea Maenalis vrfa videt.

Nulla mihi cum gente fera commercia linguae:

Omnia solliciti sunt loca plena metus. „

Sed quorsum haec, si Graii apud Getas aduenae fuerunt? Pluribus id locis ipse testatur Naso; qualis est, quo de Tomitanae vrbs origine disserturus, incipit: f)

Hic

a) Vid. Seuerin. P. I. p. 258.

b) Et Latinos dumtaxat; cum Graeci, posteriores quoque, Gothos ab Getis diligenter secreuerint. Vid. Steph. Byzant. voc. Γότθοι et Γετία vbi hos Thracum progeniem dicit, Gothos a palude Moeotide in Getas desert.

c) Trist. L. V Eleg. X v. 36.

d) Trist. L. III Eleg. XII a v. 37.

e) Trist. L. III Eleg. XI v. 7.

f) Ibid. Eleg. IX.

Hic quoque sunt igitur Graiae (quis crederet) vrbes.,

Inter inhumanae nomina barbariae.

Huc quoque Mileto missi venere coloni,

Inque Getis Graias constituere domos. „

Atque ita sunt heic versati Graeci, vt eos Getae tam numero quam lingua vincerent, coactos suam barbaris miscere vocibus. De quo sic Poeta, a) turbam describens Tomitanam:

Mixta fit haec quamuis inter Graiosque Getasque,

A male pacatis plus trahit ora Getis. „

Et alibi: b)

Nesciaque est vocis quod barbara lingua Latinae,

Graiaque quod Getico victa loquela sono. „

Rursum: c)

In paucis remanent Graiae vestigia linguae,

Haec quoque iam Getico barbara facta sono. „

Denique: d)

Hos quoque, qui geniti Graia creduntur ab vrbe,

Pro patrio cultu Persica bracca tegit.

Exercent illi sociae commercia linguae (*Geticae*)

Per gestum res est significanda mihi.

Barbarus hic ego sum; quia non intelligor vlli:

Et rident stolidi verba Latina Getae. „

Ex his, mea quidem opinione, perspicuum euadit, Getas tam parum ad Graecam spectasse originem, quam ad Latinam, vtpote linguae ignaros vtriusque. Ad Germanorum stemma e veteribus quidem nemo, e nuperis Schloezerus referre ausus est, in eo opere, cui nomen *Historiae septentrionalis* dedit. In quam sententiam (adseuerat enim) virum cetera non indoctum, sola *Gothici ac Getici*

voca-

a) Trist. V Eleg. VII, v. 11.

b) Ibid. Eleg. II v. 67.

c) Ibid. Eleg. VII v. 51.

d) Ibid. Eleg. X v. 33. Conf. Spec. Philol. p. 42, 60.

vocabuli adfinitate ductum iuisse mireris; a) cum nosse poterat, fabellam hanc e foro eruditorum iam dudum eliminatam. Certe Basternas, quos cum Peucinis e Strabone et Tacito Germanici fuisse generis ante memorauimus, b) Naso quoque ab Getis et Sarmatis sedulo discernit; c) neque vsquam se horum idioma nouisse canit. Non alia itaque loquendi ratione Getae uti poterant, nisi Sarmatica; siquidem nulla gens alia singularis, praeter nominatas, Getis tum quidem cohabitasse memoretur. d)

V. Et sunt profecto non pauca seu veteris illius, seu recentioris aeuī vocabula, in quibus Slauam Getarum linguam degustare valeas, et quidem dialecti, quod postea vberius dicetur, Illyricae. Strabo, qui de Getis longam pertexit orationem, vbi Zamolxin Getam, Pythagorae discipulum, ab suis primo Sacerdotem, tum etiam Deum, creditum dixisset, hunc scribit in modum: e) *Is mos ad nostram vsque durauit aetatem, semper aliquo reperto, qui ita esset animatus, ut regi a consiliis esset, et a Getis deus nominaretur: Καὶ τὸ ὄρος ὑπελήφθη ἱερὸν, καὶ προσαγορεύουσιν οὕτως ὄνομα δ' αὐτῷ Βωγαίωνον* f) *ὁμώνυμον τῷ παραρρέοντι ποταμῷ, montem quoque putauerunt sacrum, et sic adpellabant: nomen ei, ut et flumini praeterlabenti Bogaeonon.* Deum Illyrii dicimus *Bōg*, Slauī *Buh*. Audierint Graeci, Getas de sacerdote, monte, ac fluuio effari *Bogje-ono*, *Deus est illud*, barbarae ignari linguae, vnam esse vocem putauere, pro *Βωγ* scribentes *Βωγαίωνον*. Adeo sui dumtaxat amantes, omnem barbarum sermonem nihili fecere. Sed, ut ut id est, in hoc, quamquam corrupto, vocabulo Graeco, integram habemus orationem Geticam, qua illi Deum monstrare consueuerant. Flumen porro Getis *sacrum*, cuius heic occurrit memoria, *Prutum* esse censerem, ab Graecis idcirco *Ἱέρασον* dictum, prout id Ptolemaeus in sua nuncupat *Geographia*. g) Quamuis et hodie fluuius per Tatariam Ocsakouiensem in Borysthenem lapsus *Bog* adpelleretur, sed qui a montibus Geticis remotus est. Scilicet veteres illi gentiles flumina quoque pro diis colebant, vnum, a quo creati essent, ignorantes. Cum autem Strabo dicit, Zamolxin ab Getis *ἱερέα* factum esse *τῆ μάλιχα τιμωμένη παρ' αὐτοῖς θεῶν*, *sacerdotem Dei, qui apud eos praecipue coleretur*, quem fuisse Martem, ipso etiam exule Poeta teste, h) nouimus; materiem arbitrandi suggerit, quod apud Getas Gradiui nomen fuerit. Deum hī compellauere

a) Part. II Cap. II n. IV p. 274 Mirum! cum alibi Slauos e Theophyl. dicat. p. 363 n. 95. quamquam obscure. Cetera Simocatae de hoc reticuit loca.

b) Cap. V n. 12 fin.

c) Trist. L. II v. 191-198.

d) Bayer rer. Scyth. p. 256, id innuit, cum Getas Othini, lingua Lithuanis adfines ait.

e) Geogr. L. VII p. 298.

f) Vulgo *Κωγαίωνον*, K pro B male posito.

g) Vid. supr. Cap. IV n. 7.

h) Trist. V. Eleg. III v. 22. Conf. Ex Pont. L. IV Epist. XIV, v. 14.

lauere *Bog*; nos bellum vocamus *Boj*, quod *timorem*, aut, si malis, horrorem, denotat: sane quidem *horrida bella* dicimus. Gens Slauiica ipsum quoque *Boj* vocabulum scribit *Bog*, finali *g* molli, ad nostrum *j* accedente. Quid, si ergo *Boj* Martis denominatio apud Getas erat, quem, quod praecipuo prosequerantur cultu, *Boj* saepius adpellare, quod longo deinde vsu in Dei nomen tranliit? Certe ad nos eodem significatu *Boj* peruenit vocabulum, *bellum* simul *Deum*que, modica vltimae inflexione, denotans. Inde nomen belli ducis *Bojvoda* originem acceperit; quod postea litera *B* in molliorem *V*, vt saepe factum, versa in *Vojvodam* abiit, a) vocem non modo vniuersae posteritati Geticae, sed etiam Hungaris, in primis Dacorum sede Transilvania, vlitatam. Et quod de *Bog* quidem, Getarum Deo e Strabone memorauimus, pater historicorum Herodotus firmare videtur, cum apud Phrygas, quos e Threicio genere fuisse ostendimus, b) Iouem *Βαγαίων* *Bagaion* adpellari scribit, c) quod cum *Bogaione* Strabonis idem est, *Deum* quippe Thraciae genti significans. d) Addit Historiographus, *aquam* Phrygibus *Βέδου*, *olera* *Ζήλεια*, *panem* nuncupari *Βέκκον*, *ignem* *Ηδρ*, *canem* *Κύων*. Primum nostris *voda*, alterum *xelye*, tertium videtur *ἀπό τῆ πέκ*, *pekkov*, *pecsen*, pistus promanasse, vt de pane diceretur; ceterum apud Dalmatas et hodie non numquam *begovac* audit panis. e) *Ηδρ* graecum est, iam olim apud Thracas receptum: dicimus enim *pirit* excitare ignem, vsu vulgari. *Κύων* graecum transisse in *Kujam* videtur, qua voce nostri canem feminam compellare solent. Quidquid tamen de his tribus postremis dicatur, duo priora nemo Getis eripuerit. Ceterum complura sunt hodieque apud Thracum nepotes vestigia, vt videbimus deinde, quae hos cum Graecis multum ac diu conuixisse ostendant.

Atque haec e testimoniis eorum, qui Getas ipsi nouere, adducta prudenti cuique satis suadere possunt, mea quidem sententia, vt Getis idioma Sarmaticum tribuere velit. Plurima huiusmodi alia non aegre in medium proferri valerent, si id vnum nobis hoc loco negotii esset. Sane quidem populorum, fluminum, oppidorum prisca illa per Danubii ripas nomina Slauiicum quid sonant, si pauca demas e Graio aut Latio regno deprompta. Sic flumen Europae maximum adpellabant *diem*, *Dan*; vt Sarmatae *Tanain*; quod ipsum a *Dan* originem traxerit, f) vt eius hodierna monstrat nominatio. Addebant ei epitheton *sereni*, vocandi casu *Danu-bistri* dicentes, id est, *dies serene*, ex quo ignari linguae *Danubium* et *Istrum*

a) Apud Byzantinos *Βοεβόδου* oblique. Vid. Pray. *Annal. Hung.* tom. I p. 306. Schläzer. cet.

b) Cap. V n. 8, 9.

c) Hist. L. IV. Ita Grubis. Sed alii *Παπαίων*.

d) Adde *Belenum*, deum Venetorum et Noricorum. Capitolin. Maximin. 22. Conf. Geogr. veter. et specim. Philolog.

e) Vid. Grubis. Orig. Alfab. Glagol. pag. 42 seq.

f) Adde *Danastris*, *Danapris* cet.

Istrum fecere, vt Iornandem habemus tēstem, qui Danubium lingua Bessorum *Istrum* (*bistrum* efferebant nostri) compellatum perhibet. a) Talia sunt *Pruthi* et *Marusii*, quorum iam Herodotus meminit, b) vocabula, e quibus hoc *rapacem*, c) illud *praecipitem* d) significare volunt. Talia *Sereth*, e) *Aluta*, f) *Pathissus* g) et qui sunt annium reliqui. Et quid est, quod vrbes Dacorum, iur quoque Romano obnoxiae, vti *Comidaua*, *Netindaua*, *Sandaua*, *Petrodaua*, *Geticam* habeant terminationem? h) *Sarmizaegethusa*, quae a victore postmodum nomen *Vlpiae Traianae* accepit, vox pura *Getica* est, oppidum ab *Sarmize Gera* conditum denotans. Sed et *Iassii*, et ipsi *Getae*, et *Daci*, vocabula sunt domestica, i) vti *Iazyges* et *Marha* *Slauica*. k) *Σύγμοος*, *Βοι εβίνας*, *Ζύμολξις*, *Δεκάινεος*, *Cotiso*, *Decibalus*, Iornandi *Dorpaneus*, non nisi *Illyrica* sunt, l) veluti *Δρομυχίτης* *Graecum*. m) Adde *Orolem* Dacorum, *Zizaim* *Iazygum* duces, n) quorum nomina *Geticum* quid sonant. Plura huiusmodi e veteri illa aetate, quae *Getae*

- a) *Rer. Get. C. XXII.* Bessos, Thraciae populum, Getis vicinos canit *Sulmonensis* vates, *Trist. III Eleg. X v. 5.* qui iam aevo *S. Nicetae vota et preces Deo lingua patria reddere* consueuerant. *Vid. Topogr. Hung. p. 299 edit. Vienn. 1718. Timon. Hung. Ant. p. 76 edit. Vind. 1762.* Ceterum *Pangaeum* adcolebant ad *Hebri fontes*. *Vid. Cellar. tab. Geogr.*
- b) *Vid. supr. C. I. n. 3.* *Prūd* est *cataraeta*, *Morisch pestifer*.
- c) *Exundantis Marusii damna nouere adcolae.*
- d) *Praeceptis cadit aqua per saxa voluta, et angustiis interclusa.*
- e) *Seret από τῆς Srecha fortunā; Aluta Lyúta acris; Tiflus tishja lenior. (Marusio)*
- f) *Per prothesin pro Lyúta, L molli.*
- g) *Potifszci*, *Tibissani*, vnde *Plinio Pathissus*.
- h) *Per metaplasmm pro Komidovo, aut potius Komín-dom, Netín-dom, cet. Comi, aut Netae habitatio; qua possessiui nominis terminatione hodie quoque vtimur: vti Gyarkovo, Valpovo, cet. quod ex dom veterum profuxerit. Certe, Novi-dom, Singidom, cet. quae in dunum detorsere Latini, Getica sunt vocabula. Conf. Timon. l. c. p. 64. Kaprin. Diplom. p. 24 seqq. Seuerin. Comment. p. 18. seq. Pan. Ill. p. 32. in primis Comm. p. 60, n. 6.*
- i) *Iassi από τῆς Iashi, equitat; Getae Djete puer, quo iuniores ab senioribus compellantur, vti hi ab illis Dáko vocandi casu. Conf. Seuerin. Comm. p. 18.*
- k) *Iazyges ab Iazik lingua; marha ab mrha seu mrcha morte, cadauere, Marte: signum enim classicum erat. Vid. Seuerin. Comm. p. 18, 39 nott. Sed et nobis mahrā pecus.*
- l) *Apud Strabonem occurrunt L. VII. Primum quasi Siroma pauper; tum Vira-vishia (csovika) gnauum certe hominem! Zamoli, precare. Dicsen, decorus. Otcí plurimum ab Otacz pater. Techi-valya, oeconomia exercenda. Gjur-pan, aut Dvor-pan, dynasta. Vid. Seuerin. Comm. p. 60 n. c. Pann. Ill. p. 132 n. c.*
- m) *Δρόμος χιίτης cursus comae, quod nostri Kofztresh dicerent; ni sit e Romi-djed, claudus senecio, detortum.*
- n) *Oloris (oral, aquila) meminit Iustin. L. XXXII C. 3 fin. Zizais (Xixaj ardor) Marcellin. L. XVII C. 12. Cui adde Rumon seu Ruman ibid. nisi e Dacis Valachis fuerit, quasi Rumunj.*

Getae natiuis se continuere sedibus, adferri possent, quæ idioma Geticum Sarmatico simile ostendi valeat, si id dumtaxat ageremus. Profecto, vniuersa pene, quæ apud Getarum maiores ab antiquissimis inde temporibus in vsu fuere, nomina, vt dicere solemus, propria, aut Graeca prorsus sunt, aut Illyrica ori Graeco adcommodata; quod partim ex iis, quæ attulimus, partim quæ allaturi sumus, colligere licet.

VI. Quamuis igitur haec cuiuis rem penitus intueri volenti sufficere putem, vt Geticum sermonem Slauiico adfinem fuisse videat; tamen in eorum gratiam, qui rem hanc pluribus probatam volent, ab inquilinis Getarum primis ac potissimis, ex eo inde tempore, quo nostri sunt Romanis obtemperare iussi, argumentum hoc prosequi libet. Ita vero isthuc comparatus accedo, vt censeam me nihil a veritate alienum dicturum, si ex eo Getas Slaua vsos ratione arguam, quod praecipui apud eos inquilini, quales esse Valachos et Hungaros arbitror, complura in sermone suo Slauiica iam olim adoptauere vocabula, et dialecti quidem Illyricae. Valachis, quorum ingens copia veteri Dacia, quo ab Traiano delata est, hodieque superat, haec nobiscum communia sunt:

<i>Valach.</i>	<i>Illyr.</i>	<i>Slaui.</i>	<i>Latin.</i>
brána - - -	<i>vrata</i> *) - - -	brana - - -	<i>porta</i>
drum - - -	<i>drum</i> - - -	czeszta - - -	<i>via regia</i>
miloszt - - -	<i>miloszt</i> - - -	miloszt - - -	<i>gratia</i>
nedelya - - -	<i>nedilya</i> - - -	nedele - - -	<i>dominica</i>
neveszta - - -	<i>neviszta</i> **) - - -	neveszta - - -	<i>sponsa</i>
pa'amàr - - -	<i>palamàr</i> - - -	provaz - - -	<i>rudens</i>
pitta - - -	<i>kruh</i> ***) - - -	hleb - - -	<i>panis</i>
plug - - -	<i>plug</i> - - -	pluh - - -	<i>aratrum</i>
fzluga - - -	<i>fzluga</i> - - -	fzluxebnik - - -	<i>seruus</i>
fzluxba - - -	<i>fzluxba</i> - - -	fzluxba - - -	<i>seruitus</i>
fzlanina - - -	<i>fzlanina</i> - - -	fzlanina - - -	<i>lardum</i>
remnic'e - - -	<i>tamnicza</i> - - -	vezeny - - -	<i>carcer</i>
xupuny - - -	<i>xupan</i> ****) - - -	pan - - -	<i>dominus</i>

Q 2

Haec

*) *Brána* quoque vsitatum nobis est pro *defensione*, quod idem est. Sed et *occam* sic dicimus, ex forma *portae*.

**) *Neviszta* nobis glos et *fratria* quoque est.

***) *Pitta* hodie *placentam*, *artolaganum*, signat.

****) Antiquum vocabulum et hodie in vsu. *Xupa* paroecia, vnde *Xupan* paroecus. *Shpan*, Hungaris *Ishpán* subdominum designat: quæ vox in omnes Getarum inquilinos dimanauit. Olim videtur *Za-pan* audisse, postea ab exteris in *Xupan* mutata, vnde *Shpan* denique ortum. Ni velis comitem heri, *S-panom*, primo nuncupatum, quod in idem redit. Certe a *Pan* radice prodiit. Adde *Vajvoda* dux, *Bolyár* baro, cet. ap. Olah. Hung. p. 58 seqq. vbi Valachiae ac Moldaviae incolis eadem tribuitur lingua. De *Zupan* vid. etiam Schlöz. p. 325 n. F. Bayer num. Rhod. p. 506. Sed in primis specim. Philol. p. 38, seq.

Haec pauca speciminis gratia protuli, missis aliis, quae sunt innumera pene, in omni genere, vtenfilibus maxime, rebusque sacris; quale et illud, *Bogoroditza* Deipara, *Iſſus* Iesus, *milofſti puna* gratia plena, et huiusmodi. Quod si quispiam haec a Bulgaris aeuo posteriori Valachos accepisse dicat, vna cum ritu Graeco, ei ego sic reponerem: pauci ex Bulgaria, idque recentiori aeuo, transisse leguntur, cum iam seculis ante Valachi Getis cohabitarint. Accedit, quodli Slaua gens Bulgari fuisse dicantur, qui factum, vt Valachi Illyricam ab iis, non Slauam, expressionem vocum acceperint? Et fide illi orthodoxa olim iam cum Dacis fuerint initiati, posteriori aetate vna cum his in schisma prolapsi. Certe Nicetas, Dacorum Apostolus, trans Danubianos quoque haud neglexerit, cum ab Scupis Tomos vsque proficisceretur, Paullino teste. a) Sed et apud Hungaros, quos cum Getis longum habitasse nouimus, plura sunt Illyricae linguae vocabula, quibus Getas vsos arbitrari quis valeat. Aliqua pro specimine adferre iuuat. Quae vt facile adcurateque legi possint, me heic orthographia Hungarorum lector vti nouerit, si duras *sh* et *x* demas, quas e penu Illyrica sumsi, illa pro *f* hungarico, hac pro *z*s sumatis. Vtar autem hac scribendi ratione in omni, praeterquam Latina, lingua. Haec sint ex multis pauca: b)

<i>Hungar.</i>	<i>Illyric.</i>	<i>Latin.</i>
ablak - - - -	oblok - - -	fenestra
abrak - - - -	obrok - - -	pabulum
ábrázat - - - -	obraz - - -	facies
abroncs - - - -	obrűcs - - -	circulus
abrosz - - - -	obrusz - - -	mappa
adósh - - - -	dűxan - - -	debitor
akol - - - -	ókol - - -	bouile
apad - - - -	opada - - -	decrescit
árad - - - -	rádja - - -	crescit
arató - - - -	rataj - - -	ruricola
árok - - - -	jàrak - - -	fossa
ashag - - - -	oxeg - - -	rutabulum
afzszű - - - -	fzuh - - -	ficcus
afztal - - - -	fztòl - - -	mensa

Ex

a) Vid. Timon. Ant. Hung. p. 77. Conf. Vit. SS. Ianuar. VII. ex Boland.

b) Conf. Benkő Transilu. Tom. I p. 379, 385. Quod tamen vir doctiss. p. 386 Molnarium imitatus adferit; vocabula si apud Sclauos, aut Croatas solos reperiantur, Hungarica, non vero Slauica fore; e contrario, si apud vtrosque. Aio, crism hanc non esse sufficientem: potest enim apud neutros reperiri, vt ea Siculica sunt, et tamen vox non Hungarica. Radix, e penetrabilibus linguae eruenda, ostendet, cuius sit idiomatis vocabulum. Id vero, quod plura Sclauos ab Hungaris accepisse, quam hos

Ex prima alphabeti litera has collegi voces, vt ex eo intelligas, quantam huiusmodi vocabulorum vim in suo Hungari habeant idiomate. Profecto vtenfilium diuersi generis, rerum item oeconomiarum, et e regno vegetabilium, animalium, mineraliumque plurima Hungari ab Getis accepere nomina. Nec mirum: cum enim gens ἀμαζόνια et raptu viuere adfecta in cultas Getarum venisset prouincias, rerum, quas secum non attulissent, vocabula, necessitate id exposcente, ab his mutuari debebat. Certe longa Hunnorum cum Getis consuetudo, vt in vnam prope gentem, si linguae et originis rationem demas, coaluisse videantur, id non efficere non potuit, quin plurima hospites, vt fieri solet, ab indigenis, rerum in primis domesticarum, adoparent vocabula. Quae etsi ad eorum loquendi modum non nihil mutata compareant, initio praesertim, radicem tamen in iis Geticam vtriusque idiomatis peritus facile videbit. Nihil autem per hoc Linguae nobilissimae, mihiq; inde a puero prae ceteris dilectae, quidquam derogatum quis existimet, quod peregrina, id cogentibus rerum adiunctis, acciuerit nomina, cum aliae multo plura cooptassent, et compages Hungariae interna structuraque incorrupta maneat integerrimaque. Id vnum hoc loco persuasum lectori velim, Getas Illyrio fuisse idiomate vsos. Quod mihi aequum iudicem concessurum arbitror, si ea, quae haecenus disputata sunt, non indiligenti lustrarit oculo, in primis, quae de vocibus, ab inquilinis Getarum vsurpatis, memorauimus. Iam Getas mittere animus erat, cum apud nouissimum Transilvaniae scriptorem, a) vocabula reperio, Siculis, quos ipse Hunnorum ab Attila reliquias putat, ea plane ratione prolata, qua Illyrii agro Eszekinenli proferre solemus. Ea sunt:

<i>Sicul.</i>	<i>Illyr.</i>	<i>Hung.</i>	<i>Latin.</i>
livu - - -	livak - - -	tölcser - - -	infundibulum
osztovát - -	osznova - -	szövö-szék - - -	textrinum
rokolya - -	roklya - -	várfon-szoknya - -	stola ex tela
kosholya b) -	koshulya -	ing - - - - -	indusium
gunya - - -	gúnyacz -	szür - - - - -	gaufape.

Quid

hos ab illis, opinatur, adsertum est sine proba, et oppositum haecenus dicta volunt: quid enim sit indigenas ab inquilinis vocabula emendicare necessum? Pauca quaedam apud Illyrios esse non negamus, quae tamen vniuersa ab his proprio idiomate exprimi valeant, vti est *vár, bírov, eszkut*, cet. Conf. infr. p. 228, seqq. 294. Biogr. Med. T. IV, p. 118, seq.

a) Ioseph. Benkő Princ. Transilu. Tom. I p. 403.

b) *Kosholya* Cl. Benkő corbem interpretatur; sane: ab *kosh* enim radice oritur *Koshulya*, sic per similitudinem dicta.

Quid haec sibi velint, Hungaro Illyricae linguae gnaro censendum relinquo. Certe longe Siculi a nobis degunt; et haec illi non heri admodum adsciure vocabula. a) Accedamus Thracas.

VI. Dacos Getis cognatos fuisse, e Strabone et Plinio supra b) memorauimus, quorum dicta Iustini Trogus confirmat, *Dacos Getarum sobolem esse* palam adseuerans. c) Neque alia hos inter distinctio videtur, quam quod superiora Istri tenentes *Daci*, vt Strabo testatur, Ponti vero adcolae *Getae* a Graecis nuncuparentur, sumtis ex eorum lingua denominationibus, queis se ipsi honoris causa mutuo compellabant. d) De eadem horum loquendi ratione clare Strabo: e) *ἐμὸ-γλωττοὶ δ' εἰσὶν οἱ Γῆται τοῖς Δάκοις, eadem vtuntur lingua Getae cum Dacis.* Thracas porro Getarum fuisse maiores, prisca nos monumenta dubitare non sinunt, vt iam ex Herodoto, Strabone, Plinio, aliis, suo monstrauius loco. f) Certe Naso promiscue hos nominare consueuit, vt ex eius metris condiscere possumus. g) Sed et Virgilius, vatum Latinorum princeps, id ipsum pluribus innuit locis. Quale est illud Aeneae ad Polydori in Thracia sepulcrum: h)

Multa mouens animo Nymphas venerabar agresteis,
Gradiumque patrem, Geticis qui praesidet aruis. „

Item de sublata Euridice, Orphei vxore, locutus: i)

At chorus aequalis Dryadum clamore supremos
Implerunt montes: sterunt Rhodopeiae arces,
Aliaque Pangaea, et Rhefi Mauortia tellus,
Atque Getae, atque Hebrus, atque Actias Orithyia. „

In

-
- a) Vocabula apud Hungaros Slauica vid. etiam ap. Benkő Tom. I p. 385. De Getarum lingua conf. Timon Hung. Ant. L. I p. 56 edit. Vienn. cit. p. 64, seqq. Kaprin. Hung. Diplom. P. I p. 23 seqq. Seuerin. Comment. p. 17 seqq. conf. p. 59 seqq. Pann. Illustr. p. 65 seq. Dissert. § 20-24. Benkő supplem. Tom. I p. 536 seq. Geticas apud Gothos voces vid. ap. Dolci Illyr. Lingu. Vet. § 23. apud Vandalos §. 25.
- b) Cap. V n. 3.
- c) Hist. L. XXXII Cap. 3. fin.
- d) *Djede*, Senecio, vocandi casu, *Djète* puer, *Dàko* vel *Dàdo* pater, *Sztriko* senior, dicere consueuimus, graui accentu nominandi casu in acutum verso, *djète*, *dàko*, *sztriko*.
- e) Geogr. L. VII p. 305.
- f) Dissert. Cap. V n. 2 seq. Conf. Menand. ap. Strab. VII p. 297.
- g) *Threicio Scythicoque fere circumsonor ore.* Trist. III Eleg. XIV fin. Conf. Cap. hui. n. 2 seqq.
- h) Aeneid. L. III v. 34.
- i) Georg. L. IV v. 460.

Σερον, *Briga*, Lydia lingua, *immunem dici*; a) quo ante relata stabilire videatur. *Liberi* autem seu *immunes*, Latine *Ciues* aut *municipes* vocati, oppida munita, qualia in edito fieri conueuerant olim, inhabitauere; vnde factum, vt, quemadmodum *Brieg*, ripa, collis, pro vrbe adhibebatur, ita *briegni*, ripenses, montani, pro ciuibus, apud Graecos inprimis, qui cum barbarae linguae ignari essent, ea nomina, quae nostri locis tribuere editoribus, propria vrbium esse arbitrati sunt. b)

Multa sunt alia apud Thracas nomina seu regum, c) seu populorum, d) vrbiumque, e) et fluuiorum, f) quae Illyricam habeant originem. Ipsum quoque *Thracis* vocabulum aliquid huiusmodi sonare videtur. Solemus enim paullo seniore *Sztarcese* vocandi casu compellare, quod in primo *Sztaracz*, ἀπό τῆς σζταρ senex, obtinet. Atque hoc ab Graeco Θράξ in vna differt aphaeresi, quam in ipsis nominibus graecis occurrere saepius, est ignotum nemini. Sed, vbi Senecionem quempiam suauius adloqui volumus, *Sztriko* dicimus, quod ἀπό τῶν Θρηκῶν Ionum, poetarumque, nihil abludit. Et videntur sane haec vocabula Graeci a Thracibus mutuati, quod radicem eorum, certumque significatum non sic facile, vti Thracas, monstrare in suo idiomate possunt. Ceterum hi seniorum apud Thracas tituli ab *Thira* patre, vna cum gentis denominatione promanarūt. g)

VII. Itaque, quo sermonis genere antiqui Thracas vsi fuerint, cum haenus in medium prolata, tum in primis RACZI, Thraeum posterū, palam faciunt. Quod nomen etsi apud quosdam linguae huius ignaros in opprobrium abierit, tamen vulgus nostrum, duce quasi natura, id adeo non reiecit, vt malit se *Raczius* nuncupari, quam aut *Slauos*, aut *Tóthos*, h) aut quoscumque peregrinarum gentium

e) Bayer Rer. Scyth. p. 265. Nescio, qui heic vir doctissimus ex *Briya* Threicio Germanicum *frey* exsculpere potuerit. Inuitis sane Getarum Dis omnibus, quorum ipse linguam ignorasse videtur, quo magna nos priuauit laude. Sed non is vnus id egit; plures e prouincia eruditorum sunt, qui cum Antiquitatis studio linguas addidissent orientales, nostram magno et sui et nostri incommodo neglexera. Vnde factum, vt genus Threicum, non sine iniuria, laude sua priuatum (si paucos patriae scriptorum conatus demas) hodie vsque manserit.

b) *Burgi*, quod ἀπό τῆς πόργα corrupta Latinitate ortum sit, alia ratio esse videtur: castellum enim vult, vt graeca significatio postulat. Inde *Burg* quoque germanicum: quod nos *Grad* nuncupamus. Vid. Schönw. Comm. P. II p. 242. P. I p. 108.

e) *Tereus*, ac *Terei*, Τήρεω, filius *Sitalces*, huiusque *Seuthes*, *Cotys*, quod nomen pluribus datum, quod patres ceterorum essent reges. *Diegyles*, *Zibelmius*, *Sothimus*, *Sadalles*, seu *Adalles*, cet. *Cotys* Liuio *Cotyus*, XLV, 42, cui filius *Bitis*.

d) *Odryfae*, *Bessi*, *Maedi*, *Selletae*, cet.

e) *Bizya*, *Zela*, *Phrygia*, *Calybe*, *Drusipara*, *Vscudama*, *Bessapara*, cet.

f) *Panyfus*, *Bathynias*, *Athyras*, Hebrus Thracibus *Maricza*, *Nessus*, cet.

g) Conf. Cap. II num. 2 seqq. vbi de *Thira* actum.

h) Sic nos Hungari compellant, quod vocabulum Teutones signat. Vid. Schwarz. nott. in Cellar. lib. II C. 5 n. 4.

tium alios. Multa plebs in sermone, habitu, moribusque tenet, quae in monumentis quibuscumque frustra quaesieris. Post Thracas Myfi sunt, Paeonesque, Homero iam in Troicis cogniti. Vtrosque a Thracibus ortos supra monstrauius. a) Ac de Myfis quidem clara sunt Strabonis verba, dum *Getae*, inquit, b) *ad vtramque ripam Istris adcolebant*, καὶ οἱ Μυσοὶ, Θράκες ὄντες καὶ αὐτοὶ, itemque Myfi, ipsi quoque Thracēs. Atque vt urbium nomina, populorumque mittam, quae si non Graeca sunt, Thracia erunt certe, c) ipsa Mysorum adpellatio huiusmodi quidpiam significare videtur. Boni siquidem bellatores, ἀρχέμαχοι, quales Poetarum vetustissimus nominat, d) *virorum* vocabulo; qui Thracibus Myfi (μύξι) dicebantur, optime sane exprimi poterant; quidquid Xanthus cum Menecrate apud Strabonem fabulentur, ὄξύνη arborem myson apud Lydos nuncupari ferentes. e) Non enim in Asia, sed in Europa Myfi accipere nomen, ipso Geographo alibi clare testante. f) Quamquam et Lydi Thracum cognati esse videantur, g) qui peregrinis dein vocibus, Graecis maxime, natium refererint sermonem. Neque in Paeonibus obscura sunt Illyricae linguae vestigia. E multis pauca memorasse suffecerit. Liuius de auxilio, quod Galli Perseo aduersus Romanos erant laturo, scribens, meminit cuiusdam oppidi, *Bylazora* dicti, ad Axium in Paeonia, hunc profus in modum: h) *Eo (ad Maedicae locum Desudabam) mittit Antigonus (Perseus) ex purpuratis unum, qui iuberet multitudinem Gallorum ad Byzazora (Paeoniae is locus est) castra mouere, -- septuaginta quinque millia ab Axio flumine et castris aberant, Galli. Quis non videat, Byzazora nitidissimum et optime seruatum Illyricum vocabulum? i) Eidem insigni scriptori, qui plura nobis gentis Illyricae nomina seruauit integerrima, praetor quidam Paeoniae *Didas* nuncupatur, k) quo nos auum, aut paullo seniore dignioremque suauius compellare solemus. Erat quoque in Paeonia *Stoli* oppidum, l) alias *Stobi* dictum,*

a) Dissert. Cap. V num. II, X-XII.

b) Lib. VII p. 295. Conf. Dissert. I. c. n. XII.

c) Vrbes: Sucidaua, Serdica, Scupi, Naissus, Singidunum, cet. Fluuui: Oestus, Iatrus, Ciabrus, Margus, Bargas, Pincus; quae partim integre Illyrica sunt, partim non nihil inflexa.

d) Sic Strabo ἀρχεμάχους Poetae interpretatur L. VII p. 296, quod essent boni bellatores, neque agi ac ferri sua paterentur, ὅτι ἀπόρθητοι, καὶ καὶ οἱ ἀγαθοὶ πολεμισταί.

e) L. XII p. 572. Conf. Steph. voc. Μυσία, vbi interpres *segum* ait ὄξύνη esse.

f) L. VII p. 295. Conf. Dissert. Cap. V n. 7, 12.

g) Vid. supr. Cap. V n. IX. Conf. Steph. Λυδοί.

h) Hist. L. XLIV C. 26. conf. Tab. Geogr. Hassi. In Senterianis comparet hodieque *Bylazor* ad fl. Vardar in Macedonia.

i) *Candidam auroram* notat. Conf. Dolci. Dissert. ling. Illyr. § XI.

k) L. XL, Cap. 23. XLII Cap. 51. Vocandi casu *Dido*, nominandi *Dida*, *did*, *djed*.

l) Hirocl. Synecd. num. VIII. Conf. Salag. Eccl. Pann. L. V C. IV p. 178.

Etum, quod *sedem* praetoris bellissime monstrat: urbem enim Paeoniae principem ex ipso nouimus Liuius. a) Paeonas autem vocatos ab canendo, iam supra sumus arbitrati. b) Paeoniae confinis a septemtrione Dardania fuit. Rex *Bato*, Longari filius, c) *Etuta*, Honuni regis filia, Gentio Illyriorum principi nupta. d) Et haec antiquiora esse videntur, quam ut e Slauorum aeuo refutari valeant. Sed cum ante Iustiniani M. imperium Slauum in Illyrico nusquam confedisse legantur, e) libet de Dardanis in huius Imperatoris gratiam nonnulla prioribus addere. Natum in Dardania, castello *Bederiana*, f) prope Tauresium oppidum, fidem faciunt Procopius, g) et Agathias. h) Pater a plebe *Istok*, i) mater *Viglenicza*, k) ipse a legum reformatione *Upràvda* compellatus. l) Qui haec Illyrica vocabula, eaque a Slaua dialecto diuersa non videt, is se Illyricae linguae ignarus fateatur, necessarium est. Si haec fuisset veterum Graeciae scriptorum barbara vocabula referendi consuetudo, nae nos hac dissertationis parte superfedere potuissimus. Sed ad Illyrios, Dardanis vicinos, gradum facere libeat, missis Pannoniis, de quibus singularem habemus commentationem paratam. m)

VIII. Illyrios ad progeniem Thracum pertinuisse, superiori monstrauimus Capite. n) Vfos autem eo sermonis genere, quod et hodie *Illyricum* dicimus, cum ipsum

a) Hist. L. XLV, Cap. 29.

b) Cap. V num. 10.

c) Liu. Hist. L. XXXI, C. 28. *Bato* fuit etiam Pannonibus, Dalmatisque. Vt vel inde vnam censeas gentem. Vberius de hoc Dissert. de ling. Pann. vet. Vid. Spec. Philol. p. 40.

d) Liu. L. XLIV, C. 30. *Teuta*, *Teta*, vocandi *Teto*, blande alloquimur seniore quamuis dignioremue feminam. Alias *Tetka* materteram denotat. Ita scilicet Graeci adpellatiua pro nominibus propriis, hosque imitati Latini, scripsere, cum sic a iunioribus seniores nuncupari audissent.

e) Vid. Schloezer. Hist. Septemtrion. p. 347, qui eos cum Graecis ante hoc tempus neque habuisse quidquam perhibet, e scriptoribus Byzantinis.

f) *Vedrina*, *serenitas*, quam postea *Iustinianam primam* dixit, hodie *Gjustand-il* Turcis, *Iustiniani regio*, ad fontes Morauae, in Bulgaria. *Tauresium* alias *Darafum* (vid. Salag. E. P. L. V p. 179) hodie *Taren*, non procul ab Iustiniana. Vid. Chart. Seuter.

g) Aedif. Iustinian. L. IV Cap. 1. Conf. Salag. l. c. p. 165. L. IV, C. IV p. 334. qui cum singularem habuerit de Iustiniana tractatum, non tamen huius monstrauit situm. Achrida Nicephori Call. Eccl. Hist. L. XVII C. 28, Salag. L. IV, C. 4. init. multos in errorem induxit, ut eam, quae in Macedonia apud Lychnidum vetus est, Iustinianam falso dicerent. Vid. Hassi chart. Hung.

h) Lib. V, ap. Salag. ll. cc.

i) *Istok*, oriens, vnde *istoceni*, orientalis.

k) *Viglenicza* praestigiatrix, ἀπό τῆς *Vila*, Musa. *Bilyenicza* candidam notat.

l) Vid. K. K. Anzeig. an. 1773, 1, et 8 Septembr. ubi multa ridicula legas. Conf. Dolci op. cit. §. 16.

m) Edita est in Specim. Philol. p. 26-60.

n) Num. XIV-XVII.

ipsam gentis et linguae nomen, tum e vetustate complura suadere possunt, vt credamus. Si enim Itali suum, Galli item Germanique suum habuere idioma, si Graeci suo sunt vsi sermone, eccur Illyrii Illyrice loqui prohibeantur? Linguas iniuria temporum suas pati posse vicissitudines, vltro concedam; exstingui penitus, in maiori praesertim populo, quales Illyrii fuere, is adferet vnus, cui neque linguarum natura perspecta est, temporum autem rerumque ratio penitus ignota. Quod ergo idiomatis genus priscis illis tribues Illyriis, si non Illyricum? *Barbaros* nuncupauere Graeci et Latini. Gallos, Germanos, Slauos, Hungaros, *hospites* Illyricum habuit. Nisi itaque ignotum quodpiam loquendi genus ex equo Troiano, aut e vagina Iornandis, tamquam e machina promere, Illyriisque dare, aut potius obtrudere velis, *Illyricum* sane tribuas, necessum est. Sed quid his opus, cum sint plura et vetustate monumenta, in quibus priscam Illyriorum linguam delibare possis. Vniuersa promere longum foret; et quia id eruditus Vir Sebastianus Dolci, Ragusanus, singulari Dissertatione sua *de Illyricae linguae vetustate*, a) praestitit abunde, pauca haec memorasse suffecerit. Vt *Agronem Teutamque* praeteream, b) *Gentii* regis familia non vnum id genus protulit vocabulum, qualia sunt, *Pleurat, Plator, Etritius, Teuticus, Bellus, Etleua*, cetera, c) quae longa enumerat serie scriptor Patauinus. d) Mitto e populis *Daorifios, Docleatas, Rizzonitas, Olciniatas*, quae sua Graeci expressione corruperant nomina; e) vti e fluuiis *Drinum, Naronem, Titium*; f) ex insulis *Issam, Curictam*; g) ex oppidis *Crepsum, Terpum, Salonam*; h) et quaecumque Cromerus apud Assemanum i) recenset, etymologiam eorum nihil commune cum Slauiorum habere lingua scribens, quod falsum esse palam ostendit memoratus non ita pridem Dolcius. k) Quamquam, si huic Polonici scriptoris adserto quidpiam ponderis inesse

R 2

putes,

a) Venetiis 1754, in primis § X seqq.

b) Nobis *Grom* fulmen, *Tleta* auia, amita. Vid. Dolci *Maxim. Hieron. Cap. IV.*

c) *Gjetich, Vlerad, Platâr splatâr, sçtricz, têtak, bjel, jeterva.*

d) *Hist. L. XLIV, Cap. 30 seq. XLV, 26. et passim.*

e) *Dogorçzi, Dikliczi, Rishnyani, Otczinyani.* Vid. Dolci *Ling. Illyr. § XV.*

f) *Drien, Nârodna, Ticza.*

g) *Vifz, Korita.* Vid. Dolci l. c.

h) *Grapsa, Terpany, Szlon.* Id. ibid.

i) *Orig. Eccl. Slauior. P. II Cap. 6, vti Segestam, Delminium, Promonam, Metulum, cet. quae ab Sziget, Dumno, Promin, Metul.* Non satis haec scrutatus videtur Cromerus, minus qui eum secuti sunt. Sed et Illyricam dialectum omnes hi ignorasse censeari possunt, cum ab Slauiis Illyrios distinguere nescierint, neque Illyrica intellexerint vocabula. Hinc igitur in Illyricis audiendi? Certe quidem, vbi de lingua sermo est, minime.

k) *Dissert. de Ling. Illyr. a § V ad XV.* Cui viro, multae sane lectionis, vel ex eo fides habenda, quod ipse magis notam haberet patriam suam, in qua primum Illyrici nomen ortum, quam quicumque exterorum alius. Id vnum in eo reprehendas.

putes, vt Affemanus, quod mirere, putauit, tantum abest, vt id pro Slaus eorum quidquam faciat, vt ne existisse quidem eos in orbe terrarum ostendere velit. Quaero enim, vbinam degerint Slaui, antequam hoc eorum nomen auditum est. In Sarmatia, dices. In Sarmatia? Sed hoc vocabulum tam erat olim patens, vt plurimas gentes, lingua ab se longe diuersas complecteretur. Verum pone eos, quocumque loco volueris, modo mihi vnicum, vt hodie sunt, vrbis, fluminis, aut gentis nomen e Slauiça penu in medium proferas. Quod si faciendo non es, vtrum ego vi argumenti tui, Slaus, antequam *Hrad* aut *Gorod*, *Prah*, *Réka*, *Bog*, in monumentis occurrant, e terrarum orbe, aut saltem e Sarmatia, exterminare non ausim? Quid dico Slaus? Germanos etiam, Gallos, Hispanos, atque Italos, quorum antiquissimas vrbes et fluuios, populosque, non facile e patria interpretaberis lingua, si, quae hodie sunt in vsu, nominum rationem habeas. Quis enim, vt aliqua pro specimine adferam, *Romam*, *Tibur*, *Narniam* tam facile ex Itala deriuabit lingua, vti *Spinam*, *Regium*, *Placentiam*? Scilicet alia veteris Geographiae, quam soli ad nos Graeci transmisere, ratio erat, aliusque vrbes vocandi modus, quam sit aetate nostra. Et tamen plura nos in Illyrico nostro e veteri illo comperimus vocabula aeuo, quæ linguam gentis, qualis et hodie est, degustasse videamur, quam vlla barbararum gentium alia id e sua penu promerere valeat. Sed et illud Cromerum, eiusque premit sequaces: si veteres Illyrii non eo sermonis genere, qui hodie obtinet, vsi sunt, quo igitur, edicant? Nemo, quantum sciam, e Cromeri aut patronis, aut discipulis, ad hoc idonee respondit. Gallos enim Germanosque dicere, quos nostri tamquam aduenas partim propulere, partim cecidere, est se in scriptoribus, Graecis maxime, peregrinum ostendere; vt qui indigenas inter et hospites discrimen facere nesciant, aut contra fidem historici nolint. Interiisse autem veterem illam linguam adferre, et ludicrum et sine exemplo est. Quid enim ineptius, quam adseuerare, quod non probes? Et, si in modicis quoque populis non perit sermo, qui in tam ampla gente, qualis Illyrica fuit, desinet? Sed mittamus demum haec somnia, non tam historiarum, quam poematum scriptoribus conuenientia, vt qui mundos novos, pro arbitrio fingere, nouasque gentes et linguas producere norint. a)

Vnum adhuc non contemnendum Chalcocondylae, antequam progrediamur, locum adducere libet, in primis, quod eum non satis adhuc expensum a nostrae aetatis scriptoribus videam. Scriptor quidem e recentioribus est, vtpote seculi

XV,

das, quod Gothos, quos fuisse Germanos indubium est, patriae scriptorum, in primis D. Hieronymi, auctoritate abreptus, primo cum Getis, tum et Illyriis commisit adeo infeliciter, vt hos ab iis dialectum quoque puriorem accepisse sit adferere ausus §. 15. seq. cum tamen paullo ante, huius § initio, *Illyriis linguam suam perpetuo vernaculam, ceteras fuisse hospites*, adferuerit. Sed nec Vandalos, nec Slaus septentrionales huc retulit apte.

a) Prout Ablauio philosopho, et ex eo Iornandi. Vid. Bayer. p. 136.

XV, sed cui Athenis commentanti Ionium adcolentes Illyrii bene cogniti esse poterant. Sed et alia complectitur attentione digna. Iuvat audire loquentem. a)

Σαρματίας δὲ Φωνῆ διαχρῶντας παραπλησίᾳ τῇ Ἰλλυριῶν, τῶν ἐς τὸν Ἰόνιον παροικούντων ἐς τὰς Ἑνετὰς, ὁποτεροὶ μὲν τῶν παλαιότεροι, καὶ τῶν ἑτέρων ἐπότεροι τῶν Χῶραν ἐπινέμονται, ἢ Ἰλλυριοὶ, ἐπέκεινται τῆς Ευρώπης διαβάντες, Πολωνίαν τε καὶ Σαρματίαν ὤκησαν, ἢ Σαρματαὶ δὲ ἐπὶ ταῦτε τῷ Ἰστροῦ γενόμενοι, τῆν τε Μυσίαν, καὶ Τριβαλῶν Χῶραν, καὶ Ἰλλυριῶν, τῶν πρὸς Ἰόνιον ἄχρῳ δὲ Ἑνετῶν ὤκησαν, ἔτε ἄλλου τινὸς ἐπιθόμῳ τῶν παλαιότερων διεξιόντος, ἐτ' αὖν ἔχοιμι πάντα ὡς ἀληθῆ διασημῆναι. *Sarmatarum lingua similis est Illyriorum, Ionium ad Venetas vsque adcolentium; vtri autem horum vetustatis praerogatiua gaudeant, et vtri alterorum regionem teneant, an videlicet Illyrii in istam Europae partem recedentes, Poloniam et Sarmatiam incoluerint, aut an Sarmatae ad haec Istri loca adeuntes, Mysiam et Triballorum Illyriorumque regionem, qua versus Ionium patet vsque ad Venetos, inhabitarint, neque quemquam audiui veterum commemorantem, nec ipse possum ea quam verissime explicare.* Integrum auctoris locum, quoniam singularis est, vna cum graeca paraphrasi, exhibere volui. Franciscus Pubitschka, insignis rerum Slauo-Bohemicarum scriptor, vltimis Laonici verbis relatis addit: b) „Gratulandum igitur hodiernis temporibus, quibus Constantini Porphyrogeniti de administrando imperio liber, in tenebris diu fordescens, opera doctorum hominum in lucem protractus obtigerit.“ Ex quo Croatas videlicet ac Serblos a Βαγιβαραία in solum Illyrici venisse didicissimus. Quasi Laonicus Heraclii tempora ignorasset, quibus Croatae a purpurato scriptore in Dalmatiae Pannoniaeque agros venisse memorantur. Sed, quidquid de vocabulo Βαγιβαραία sit, quod nemo satis adhuc interpretatus est, c) nihil Croatae ad Mysios, Triballos, Ionique adcolas Illyrios, quorum antiquam respiciens aetatem, Laonicus meminuit. Croatarum quippe nomen his in prouinciis nouum esse vti nullus aeuo Chalcocondylae, ita neque ipse ignorare potuit. Accolas vero Istri Mysios ac Triballos, Ionique Illyrios, quis e tota retro vetustate isthuc venisse memorauit? Sed neque eos quidem huc venire oportebat, veluti hospites, cum has ii prouincias primi post homines natos pro cultura delegerint. Vt adeo Laonici di-
cta

a) Rerum Turcicar. L. III ap. Affeman. l. c.

b) Chronol. ad ann. 480 p. 56.

c) Nihil sane incertum magis, quam *Carpaten* sub hac intelligi voce. Detorio enim vocis Βαγιβαραία in Βαβεία ὄρεια nimis violenta est, et carpatis iuga *Sarmaticorum montium* nomine et ante Porphyrogenitum, et post, scriptoribus nota erant; *Babja* autem *gora*, vtpote modica pars eaque obscura Carpatibus, ante Lucium incognita, certe non audita. Accedit, quod Istrum transisse Croatae hi non memorantur, quod tamen omnino memorari debebat. Adeo viros etiam doctissimos alte concepta opinio illa, nomen Slauorum omne a septentrione repetens, in auia deduxit. — Non alia me hercle Βαγιβαραία Constantini est a *Bagvaria* scriptoris de conuersione Carantanorum. Vid. spec. Philol. L. I.

ita non modo lingularem in originibus Illyriorum inuestigandis diligentiam, verum etiam in adferendo eorum idiomate argumentum haud postremum, complecti videantur. Quae vtinam ii, qui sermonem Illyricum a Slauo diuersum aliquando probare adnisi sunt, expendissent, non in eos fortasse erant impacturi scopulos, in quibus miserum eos fecisse naufragium dolemus. Melius suis consuluisse rebus videtur doctissimus Schloezerus, qui de Illyriorum veterum lingua differens, ingenue fassus est, *se, qualis ea fuerit, omnino ignorare.* a) Vidit quippe vir perquam eruditus, Illyrios, de quibus agebat, neque Graecis, neque Germanis, Gallicis, aut Italicis, quorum idiomatica ipse norat, quoad linguam attribui posse, Slauicarum autem rerum, quas diligentia singulari examinandas accepit, apud Illyrios memorias, sed recentiores, neque ante Iustiniani M. imperium, non infrequentes reperiri, vtrum hae aduenis potius quam indigenis, an vtrisque dari debeant, cum satis discernere nequiret, b) maluit de lingua veterum illorum suam fateri ignorantiam, quam extra oleas vagari. Quem virum vtinam ii, qui Illyrios Graece, c) Gallice, d) Italice, e) aut Germanice, f) loqui cogebant, imitati fuissent, nae illi fidem suam lectoribus suis magis probassent. At ex hoc iam diuerticulo redire placet.

X. Eos itaque, qui hodie Illyrii dicuntur, adcolae Ionii et Adriatici, veterum esse Illyriorum nepotes, nulli dubitamus. Manent ii auitis sedibus, iure quodam haereditario, ad Ceraunios vsque montes, quin et vltra, diffusi, Graecisque et Epirotis, orientali hoc Illyrici sine, vti olim sic et hodie permixti. Ab Drilone ad Titium veteres coloni sunt, Dalmatarum nomine vsque retento; quos litore maris, praesertim instructo portibus, Itali, Graeci, Turcae, hospites commercii gratia inuisere solent. Succedunt in occasum *Liburni, Iapodes, Istri, Carni*, a veteribus, vti memorauimus, g) inter Illyrios accensi. Appianus profecto, qui singularem de Illyriis edidit commentarium, his eas omnes, e Graecorum quoque sententia, adnumerat gentes. Ac de Iapodibus quidem clare Strabo, Segesticam sub Alpibus sitam memorans, *αὶ διατείνουσι μέχρι τῶν Ἰαπόδων, Κελτικὴ τε ἄμα καὶ Ἰλλυρικὴ ἔθνη*, quae (Alpes) porriguntur, inquit, ad Iapodes vsque, gentem partim

-
- a) Hist. septentr. P. II Cap. II p. 276. Conf. de Pannoniis p. 251. de Russis Hung. p. 240. Dubitat p. 231 not. p. 239. 539 not.
- b) Neque vllam Slauorum in Illyrici loca immigrationem in omni scriptorum turba reperiret, p. 378 not. 94. Quod cum auctor Chron. Bohem. saepe obseruasset, de Czecho in primis agens, mirus tamen est in Illyriis Slauorum genti adferendis. Croatiae scilicet virum deceperant.
- c) Timon Hung. Ant. L. II C. XVII p. 150. Refellit Salag. Eccl. Pann. L. I C. I n. XXI.
- d) Cl. Salag. Pann. Eccl. L. I Append. cui praeiuit Farlat. Illyr. sacr. Tom. I Proleg. C. IV p. 65.
- e) Post Romanor. aduentum, secul. III, IV, Salag. L. I C. I n. 17 seqq. L. IV C. I. n. 7 seqq.
- f) Idem, cum Getas Gothos facit, Append. n. 7. Conf. L. IV C. I n. 37. Idem errauit Cl. Schloezer. Hist. septentr. p. 274, dum Thracas Germanis accensuit.
- g) Cap. V. n. XIV - XVII.

partim Celticam, partim Illyricam. Celtae hi, e stirpe Germana, olim iam isthic confederant, vbi hodieum eos superare videmus in agris Carniolae, mixtos indigenis veteribus, quorum mores et linguam adsumsere adeo, vt germanicas voces, quas e suo retinuerunt idiomate, inflexione Illyrica efferentes, iucundos se auditoribus, vtriusque linguae gnaris, praebant. Iapodum sedem Strabo per oppida *Μέτουλον, Αρούπιος, Μονήτιον, Ούενδος, Metulum, Arupinus, Monetium, Vendus*, ostendit, a) quae in Carniola hodierna Croatiaque quaeruntur. b) Sed et id hoc in Strabonis loco, quo Illyriis adnumerat Iapodas, dignum obseruatu est, quod palam dicat, Celtas iis fuisse admixtos, diuersam et origine et lingua gentem; quod citra dubium in reliquis etiam Adriae litora occupantibus Illyriis commemoraturus erat, pro sua quippe consuetudine, si quidpiam Celtarum apud eos vnumquam comperisset; quos tamen in Thracibus, Mylis, Vindelicis diligentissime recensuit. c) *Isfrios, Carnos, Noricos, Vindelicos*, cum ipsa populorum nomina, d) tum in primis cum Iapodibus linguae cognatio, e) quo minus Illyrico adiungamus corpori, nihil nos dubitare sinunt. Idem de *Rhaetis, Venetisque* censeas, quos Celtarum primo, tum etiam Itolorum coloniis auctos, ipse Geographorum princeps Strabo memorat; f) indigenas autem e progenie fuisse Illyriorum, cum ex eodem scriptore, tum ex aliis, supra ostendimus, et sequenti capite ostendemus amplius. Id vnum adhuc isthic monitum lectorem velim, hos omnes, ad occasum imperii occidentalis, *Slauorum, Vinidorum, et Carantanorum* nomine venisse, g) inter quae primum recens, posteriora duo antiqua sunt, illud e *Vindelicis*, hoc e *Carnis* ortum. Ac de priori quidem Eusebii Chronicon dubitare nos haud sinit, cum *Τιβέριος Κάισαρ*, inquit, *Οὐνδικούς καὶ τοὺς λοιποὺς παρακειμένους τῇ Θράκῃ ὑπέταξεν*, quod D. Hieronymus expressit: h) *Vindelicos, et eos, qui Thraciarum confines erant, Romanas prouincias fecit Tiberius.* At in Graeco *Vindici* ponuntur, non *Vindelici*; textum itaque de verbo sic reddas: *Tiberius Caesar Vindicos, et reliquos Thraciae adiacentes, subegit.* Reliqui erant *Norici, Pannonii, Dalmatae, Mylis*, quos hic Eusebius *Thracas* nominat, vicini. Quis iam non videat, hos Eusebii *Vindicos* esse, quos aeuum posterius, *Vinidas, Vendos, Vindos* i) nuncupauit? Certe quidem hi in agris illorum postea comperiti sunt,

a) L. VII Geogr. p. 314.

b) Ibid. p. 313.

c) Vid. Cap. V Dissert. num. XVIII. seqq.

d) *Bisfri, Krajni, Norici* (vriatores; nisi ab *Nord-rik*) *Vidni. Ræcs, Vineci.*

e) Carniolica videlicet, quam incolae Alpium ad Venetos vsque loquuntur; maritimis Illyrica dialecto relicta, qua Dalmatae vtuntur, vt postea videbimus.

f) L. V p. 210, 216.

g) Vid. etiam Schlözer. p. 231 seq. cum not. k.

h) Ad ann. Olymp. 191, II, Augusti 29, ab Abraham 2002.

i) Ap. Pray Dissert. X p. 236 not. y etiam *Winades*. Sed memoria est lapsus ibi bonus vir, dum ait *Winidas* dextro Danubii latere, ante Ludouici I, i. e. ante an. 814, non esse auditos; cum tamen ipse iam ad an. 630 ex Fredegario heic *Marchiae Winidorum* meminert.

sunt, neque vllus scriptorum est, qui tempus, quo *Vindi* nostri huc aduenerint, ostendisset. Vt adeo, perdere operam videantur ii, qui hos seu a Baltico mari e Pomerania, seu e viciniori Polonia, aut Silesia, in primis sub originem Slauorum nominis, huc venisse scribunt, cum *Vindos* longe ante tum gentis, tum locorum complurium vocabula, a) non obscure monstrent, linguae autem ratio a Slauicis populis omnino distinguat. De Pannoniis, b) quos alio pertractandos summisus opere, vnicum heic eiusdem Chronici locum adduxisse suffecerit, quo *Tiberius Caesar*, inquit, c) *Dalmatas Sarmatasque in Romanam redigit potestatem*. Vbi Sarmatarum vocabulo citra dubium *Pannonios* intelligit, quos Chronici auctor ita compellare non poterat, nisi eos Sarmatis (Iazygibus) vti patria sic et lingua adfines nouisset; vt qui gentiles suos aduersum impetus Romanorum gnaue defendeerint, crebris postea quoque, traiecto Danubio, in legiones Romanas excursibus factis, sede in solo natiuo adeo firmata, vt saepius quidem tentati, non sine strage militis Romani, subacti numquam fuerint. Persistit et gens in *Bunyeczziis*, et plura *Batonis* Pannonici apud eos signa. d) Sed horum loquendi rationem propius iam intueri liceat.

XI. Vt hoc in argumento facilius progredi valeamus, vniuersam gentem Slauicam, quantum haec Danubio propinqua est, bifariam spectabimus, ei, quae ad boream recedit, *Sarmatarum*, quae in meridiem, *Thracum* nomine dato. Illorum progeniem Russos, Polonos, Bohemos, ponamus; horum Bulgaros, Serblios, Bosnios, Dalmatas, cunctosque Illyrios. Itaque, si monstrata in Sarmatis Thracibusque, seu, vt interea concedi petiuimus, Russis et Bulgaris, dialecti linguae Slauae diuersitate principe, ad hos Danubii adcolas Illyrios, ad illos autem Carpatis iuga, in primis boream spectantia tenentes Slauos, referri ostendam, confido me adeo aequum lectorem habiturum, vt is nostrae de priscis Danubii adcolis opinioni pollicem adprimere lubens velit. Ita vero hoc ostendimus. Cum dialecti linguae cuiuspiam ratio in *vsu vocabulorum* in primis et *accentuum* consistere videatur, haec duo nos quoque considerabimus. In vocabulis sunt *articuli*, *substantiua*,

a) *Vindelcia*, *Vindonissa*, *Vindomari*, *Vendi*, *Vendum*, *Auendone*, *Vennonos*, *Vindobona*. Vid. auctor. Notit. vrb. Vindob. p. 9 seq. vbi Vinidos cum Venedis Balthici miscet, Germanicaeque adtribuit genti. Conf. Schlöz. p. 326.

b) Vid. inf. p. 153 de *Succis*, (qui Shokci sint) gente Thracia, Dardanis vicina, quae Bessorum exemplo in haec adpulerit loca. Vid. Ammian. L. XXI c. 10, 12, 13. Socrat. L. I c. 22 ap. Salag. III p. 303. Exinde ab oriente diuisus est occidens, et communis inter vtrosque limes fuit mons Sucorum, qui Illyrios Thracasque determinat. „

c) Ad an. Chr. IX, quo cum Dalmatis Pannonisque Tiberio negotium, vt Vellei. II, 114. Conf. Annal. eiusd. § XXIII. Dionem, Tacitumque.

d) Vti *Bács*, *Baja*, *Báchino*, et ex *Bács* deriuata. Cis Danubium, ex aduerso regionis *Bacsianae*, *Báta*, *Bátaszék*, *Butina*. Profecto antiquiora haec esse vocabula videntur, quam vt origo eorum ad Hungaricam aetatem referri debeat, in primis quod nihil Hungarici sonant.

stantiua, adiectiua, verba. Russi cum cognatis demonstratiuo *hic, ovaj*, carent, pro quo *iste, taj* vsurpant: neque enim *hic homo, ovaj csovik*, cum Illyriis dicunt, sed *toj cselovjek*. Quod nomina in genere spectat, id est inprimis obseruatu dignum, quod molles *ch, gy, ly, ny*, initio compareant nusquam, quibus tamen Illyrios non minimum delectari videas; quin imo praeter vltimam *ly, ny*, quae *je, ja*, potissimum et *ju* sequente liquefcit, apud Russos quidem non reperies. Sic pro *kchi* filia, *Gyuro* Georgius, *lyubav*, amor, *nyega* eius, dicunt *dshti, Georgia, ljubov, jego.* a) In declinatione nominum quidam casus singulares sunt, seu articulos, siue nomina spectare voles. Adducam exemplum generis masculini, *drug* socius, in vtroque numero.

Singular.		Plural.	
Russ.	Illyr.	Russ.	Illyr.
toj drug	ovaj drug	ti druzi	ovi druzi, vel druzi
togo druga	ovoga druga	tjeh drugov	ovih drugovah, vel drugov'
tomu drugu	ovomu drugu	tim drugom	ovim' drugom, vel drugovim
togo druga	ovoga druga	tija druzi	ove druzje, druzjove
o druxe	o druxe	o druzi	o druzi
o tom druzje	od ovog' druga.	o tjeh druzjeh	od ovih drugovah.

Vbi vides casum auferendi in vtroque numero, item accusandi multitudinis, ab illyrico non minimum differre. Libet femininum quoque audire genus, neutrum enim cum masculino conuenit.

Singular.		Plural.	
Russ.	Illyr.	Russ.	Illyr.
taja xena	ova xena	tija xeni	ove xene
toja xeni	ove xene	tjeh xen	ovih xenah, vel xen'
toj xenje	ovoj xeni	tim xenam	ovim' xenam'
tuju xenu	ovu xenu	tija xeni	ove xene
o xeno	o xeno	o xeni	o xene
o toj xenje	od ove xene	od tjeh xenah	od ovih xenah, vel xen'.

Vides

a) *l* et *n* liquefcunt, vt *Князи, князи* principes, *люди, люди*, populi, homines.
люди.

Vides heic differentiam in casu secundo, tertio, et sexto singularis numeri; primo, quarto, et quinto pluralis. In septimo casu prioris numeri conuenimus; sic ii *cum amico* dicunt s' *perjetelem*, nos s' *priatelyem*. a) Verba in praesenti, imperfecto, futuro, et participio, in primis obseruanda veniunt. *Fàlim* laudo pro specimine adferamus.

<i>Singul. Praesf.</i>		<i>Imperf.</i>		<i>Aorist.</i>	
<i>Ruff.</i>	<i>Illyr.</i>	<i>Ruff.</i>	<i>Illyr.</i>	<i>Ruff.</i>	<i>Illyr.</i>
hvalju	fàlim	hvalih	fàlih		fàljah
hvalishi	fàlish	hvalil	fàlih		fàljashe
hvalit	fàli	hvalil	fàlih		fàljashe
<i>Plural.</i>		<i>Plural.</i>		Sed et illi	<i>Plural.</i>
hvalim	fàlimo	hvalili	fàlismo	falihom	fàljahmo
hvalite	fàlite	hvalili	fàliste	faliste	fàljahte
hvaljat	fàle	hvalili	fàlishe	falisha	fàljahu
<i>Perf. Indicat.</i>		<i>Futurum</i>		alias	
jesm hvalil	fàliosam	budu hvaliti	fàlitichu	jachu fàliti	
jesi hvalil	fàliosfi	budeshi - -	fàlitichesh	tichesh - -	
jest hvalil	fàlioje	budet - -	fàlitiche	onche.	
<i>Plural.</i>		<i>Plural.</i>		<i>Partic. praesf.</i>	
jesmi hvalili	fàlilismo	budem hvaliti	fàlitichemo	hvaljashti	fàlèchi
jeste - -	fàliliste	budete - -	fàlitichete	<i>Part. praet.</i>	
jesut - -	fàlilifu	budut - -	fàliticheu	pohvalni	fàljeni.

Prima praesentis persona priori numero adeo singularis apud Russos est, vt ab his Illyrios multum discernat: non enim alium praeterquam in *u* exitum habet, cum hic apud Illyrios triplex sit, *am*, *em*, *im*, vt *imam*, *idem*, *vidim*. b) Habent quoque Illyrii imperfectum duplex, et praeteritum vti et futurum, duplici modo efferre norunt *chi* particula praeposita, aut subiuncta, quae ab *hochu*, *vo-lo*, prouenit, magis hoc in genere vlrata, quam *budem*, *ero*, Russis familiaris.

In

a) Comparatiuus apud eos in *shi*, superlat. in *ejshti*, vt *star*, senex, *starshi*, *starjeshhi*, aut *naj-starshi*, pro illyrico *starü*, *naj-starü*. Illud Croatis in vsu.
 b) Shokeii nostri subinde vsurpant, vt *ne idu*, non pergo, pro *ne idem*, velju, pro *ve-lim*, quod Bolnenses pro Aoristo vsurpant.

In Participio quoque activo Russi se multum ab Illyriis distinguunt, cum id per *sht* duram finiunt, quae nobis *ch* mollißima est. Quod in aliis quoque vocabulis, apud nos in *ch* desinentibus, fieri videas, vt *pomosht* pro *pomòch*, auxilium; *mosht* pro *moch*, potestas; *svjeshta* pro *svjécha*, lumen. Iidem nostrum *gy* molle, *xd* in durum commutant, in verbalibus maxime, vt *roxdenie* pro *rodjenje*, quod nos vt *roggyenye* proferimus; *zabluxdenie* pro *zablúdjenje*; *rasluxdenje* pro *razsúdjenje*. Sunt et aliae Russis figurae in syllabarum permutatione, qualis est in adiectiuorum genitiuis, *ago* pro *oga*, vt *sviatago* pro *svètoga*, *novàgo* pro *novòga*. Saepe *ol* pro *u* longo adhibent, vt *stolp* pro *stùp*, *polni* pro *puni*, *dolg* pro *dug*. Alias *a* in *e* mutant, vt *csest* pro *csàst*. Consonantes item, vt *csto* pro *shto*, *kto* pro *tko*. Id quoque ad rationem dialecti multum facere videtur, quod *j* consona creberrime vtuntur, maxime ante *a*, *e*, *u*, quod refugit Illyricus loquendi modus, si *je* vnicum demas, quo vulgus nostrum libenter, sed non ita crebro, vti consuevit. Sic pro Russico: *Vsjak cselovjek dolxen jest blixnjago svojego ljubiti*, quisque homo proximum suum diligere debet, Illyrius diceret: *Syaki csovik* (Bosnense vulgus *csovjek*) *dixan jest blixnyèga svòga* (vel *svojèga*) *lyùbiti*. Aspirata quoque χ iis adeo familiaris est, vt praeter casus plurales etiam pro *f* nostra passim vsurpent, cum spiritu non mediocri. Sic laudem *hydla* dicunt, pene vt Germani *chwàla*, quod nobis *fàla*. In calibus quidem multitudinis nostri quoque secundo et sexto *h* adponunt, sed, vt credo, gratia discriminis: neque enim adspiratio in eorum expressione adparet: quod illi tamen discrimen solo accentu graui, quem postrema exigeret syllaba, scribere possent, missio *h* elemento. Certe *lyúdè*, hominum, absque spiritu effertur, et expeditius quidem, quam accentibus missis, *lyudih*.

XII. Singularis porro in producendi syllabas modo inter vtrosque diuersitas occurrit. Vtuntur quidem Russi accentibus graecis acuto et graui, sed eos ad Graecorum veterum leges non exprimunt: neque enim vtuntur circumflexo, cuius tamen locus per saepe in Russicis adest vocabulis, et acutum saepe pro graui ponunt. a) Sit pro exemplo illud Psalmi: *Upovàj na Bòga, jáko ispovjémsja jemù, spasénie liczà mojègo, i Bòg mòj*, Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, et Deus meus. Quod illi non vti heic notati sunt, exprimere consueuerunt, siquidem legunt: *Upovàj na Bòga, jáko ispovjémsja jemù, spasénie licza mojègo i Bòg mòj*. Nos diceremus: *Ufàjse u Boga, jákobo*. (alias *jurvebo*) *ispòvidimse nyemu, spasenje licza mojèga, i Bòg mòj*. Itaque, si naturam dialecti spectas, acuto in antepenultima Russi carent, quo Illyrii ad normam Graecorum saepe vtuntur, maxime infinitiuus verborum, quae penultimam praesentis grauem habent, vt *slàgati*, componere, *krenuti* mouere, *lyùbiti* amare,

a) Circumflexus non producit syllabam, sed eleuat dumtaxat, idque vno, vt dicimus, tono. Acutus producit eleuando, grauis producit deprimendo.

quo ii loco circumflexum pro acuto ponerent, sublata modicum antepenultima. Aliud est apud eos discrimen, quod penultimam in polysyllabis attollant, quam nos breuem efferimus, vt *czarèvi dshtère*, filiae regis, nostra dialecto *czarevè kcherè*. Vltimas demum, quae natura breues sunt, saepe producunt, quale est neutrum gènus adiectiuorum, vocalibus *e* et *a* finitum, maxime in pronomibus, vt *dushà mojà*, anima mea, *serdce mojè*, cor meum, quae nos *dúsha mója*, *serdce móje*, proferimus. Item *menè*, me; *tebjè*, te; *sebjè*, se; *jegò*, illum; et plurimae huiusmodi finales syllabae, quae nobis sunt expressione breues. Habent insuper vocabula complura tam Russi quam Illyrii sibi propria, maxime quod particulas concernit, quae, si diuersum quoque partes orationis construendi modum adiungas, fit, vt se se non facile intelligant, praesertim rudiores. Sunt etiam Russis complures voces, vt dicimus, radicales, quae apud Illyrios non nisi deriuatae compositaeque vsum habent. Sed et his non vna est radix, quam Russi auctam dumtaxat, quod ipsis admodum familiare est, efferunt. Neque ceteris, quae ab hac duplici matre originem sumere, dialectis sua defunt primigenia vocabula, quae vtrisque lapsu temporis excidere, magno, si quis ea colligere vellet, Slauae linguae incremento futura. Pro dialecti vtriusque coronide, quo magis perspicue videri possint, orationem dominicam, eadem vtrisque ortographia seruata, vt facilius legi valeat, heic adponere libuit, dato vtrique sono proprio.

Vo imja Otcza i Sina i svjatàgo Du- U ime Otcza i Sina i Duha svètoga-
ha. amín. amen.

Otcse nàsh, ixe jesi na nebesjèh;
svjâtisja imjà tvoje; pridet czarstvje tvo-
jè; budet volja tvojà, jakàx na nebjè
i na zemljè: hljeb nàsh nasúshtnì dàxd
nàm dnès; i ostàvi nàm dólgi nàshe,
jákaxè i mi ostavljàjem dólxnikom nà-
shim: i ne vovedì nàs vo iskushénie,
no izbàvi nàs ot lukavàgo.

Otcse nàsh, koi jesi na nebesih;
svètise ime tvoje; pridi krályestvo tvo-
je; budi volya tvoja kako na nebu ta-
ko i na zemly: kruh nash svakdanyi
daj nam danas; i odpústi nam dùge nà-
she, kako i mi odpúshtamo duxníkom
nashim: i ne uvèdi nàs u nápast, da iz-
bavi nàs oda zla. àmen.

XIII. Ostensa principe Slauae dialecti varietate, nunc propagines eius videre libeat. Cum nobis argumentum heic sit praecipuum de Thracibus, paucis absol- uemus Sarmatas. Ad horum posteros ab Russis spectare Polonos, Bohemosque, supra meminimus, et eorum loquendi ratio perspicue monstrat. Si enim paucas quasdam expressiones demas, omnis reliqua linguae structura eadem est. Poloni ab Russis in eo se in primis distinguunt, vti et Bohemi, quod literam *r* ad orien- talium

talium normam efferunt, idque admodum frequenter, *p* elemento potissimum antecedente. Hanc ii adpellant *ersh*, exprimuntque instar duarum *rs*; vt *przez*, per, *przed*, ante, *stworzyciel*, creator. Idque apud eos occurrere videas *e* aut *i* sequente fere semper. Nulla, quantum sciam, è linguis Europae est, quae hanc literam haberet, praeterquam Albana, quam alias Epiroticam, aut Arnautam dicimus. Alia Polonos inter ac Russos diuersitas in *je* syllaba, quae illis saepius, quam his, in vsu est, cum *ja* quoque Russicum in *je* commutent; vt *svjeti*, sanctus, pro *svjati*; *imje*, nomen, *inja*; *bjedje* pro *budet*, erit. Porro inflexio genitiui adiectiuorum sexus masculi et neutrius in *ago* Russorum, fit apud Polonos in *ego*; vt *svjetego* pro *svjatago*, sancti; *vjelikjegò*, magni, pro *velikàgo*. Molli- bus *gy* et *ly* carent; pro hac tamen, et frequentius quidem, *l* vsurpant, ad instar *dl* exprimentes, sic tamen, vt in vnam quasi liquecant, medio *l* durum inter et *ly* molle sono; vt *blogoslawieni*, beatus, quali *bdlogostlávjeni*; *ch* et *ny* molles occurrunt saepius, in primis *ja* et *je* sequentibus; vt *Pánie*, *nie w zépalczywoś'ci twoiej karz mie*: Domine, ne in furore tuo arguas me; quod legas: *Pánye*, *nye v zépalczywoś'chi twojej karz mje*. In reliquis, praesertim accentibus, conueniunt, nisi quod inflexiones quasdam singulares vocum habeant, vti in prima singularis verborum praesentis in *je* et *m*, pro Russico *u*; *ch* molle pro aspero *sht*, ac pro *st* quoque, vti *csešč*, honor, in vicem *csešt*; imo saepe pro *t* ante vocalem *e*, et *chexko* pro *teshko*. Habent item speciales quasdam vocabulorum acceptiones, quale *Pan* est, quod iis, vti et Bohemis, *dominum* notat; quam vocem etiam adhibeant Russi, ad *stirpem*, *truncumue* designandum, pro domino tamen *Gospod* vsurpant cum vniuersis Illyriis,

Polonos Bohemi presso sequuntur pede, si pauca demas. *Ch* molli penitus carent, vti et *ly* quoque, Russos potius in expressione hac, quam Polonos, sequentes. *Ny* adhibent saepius, *gy* ignorant. Singulare porro discrimen Bohemos inter Polonosque et Russos est, quod pro duro *g* in casibus prioris numeri constanter *h* adspirato vtuntur, quin imo, *g* literam e sua dialecto penitus eliminatam volunt. Itaque *hlava* pro *glava*, *Buh* pro *Bog*, *hrad* pro *grad*, *svateho* pro *svjetego* aut *svjatago* efferre consueuerunt. Imperfectis verborum carent vna cum Polonis, per quod se ab Russis multum distinguunt. Casus quosdam in nominibus habent singulares, et vocabula complura, quae apud alios regularia sunt ac flexilia, per omnes immutabilia casus, vti est *vmjeni*, ars. Ceterum in triplici verborum exitu, *am*, *em*, *im*, declinatione item nominum, saepe numero magis conueniunt cum Illyriis, quam, quos memorauimus, alii. Reliqua Sarmatarum sunt, accentus in primis, quem in vltima grauem vti frequentem sic familiarissimum habent. Silesii porro Morauique, et Carpatem adcolentes Slau, propago Bohemorum sunt, si quaedam pauca, quae ab vicinis acceperant, demas. Certe *h* pro *g* duro his omnibus familiare est; *ersh* tamen Bohemicum Slau Hungariae abiecerit cum vicinis Morauis; citra dubium ex consuetudine Dacorum, qui hac aspera *rz* caruere, vti et hodie carent. Sed et *ch* mollem hi crebro efferunt, qua Bohe-

Bohemi destituuntur, et complura vocabula Dacica vsurpant, quae alii e gremio Sarmatarum ignorant. Ceterum interna linguae structura, omnes hos ab eadem stirpe ortos palam ostendit. Quis enim non videat vel in hac phrasi, qua ipsi se Christiano more signare consueverant, linguae analogiam?

Russis

Vo imja Otcza, i Szina, i svjatàgo Duha.

Polonis

W imje Ojczà, i Szinà, i Duha svjetego.

Bohemis

Ve menu Otczè, i Szinà, i Duha svatehò.

Et, si cui liberet horum propria colligere vocabula, magnum quidem is pro lingua Slava operae factururus esset pretium; analogiam vero eiusdem clarius perspecturus. Nobis pro argumento, quo Sarmatas ab Getis ostenderemus diuersos, haec pauca adduxisse suffecerit. Iam ad Illyrios, siue Thracas, de quibus suscepta materies est, progredi iuuat.

XIV. Getarum veterum Dacorumque et Mysorum agros *Bulgari*, sic a nobis hodie nuncupati, colunt, gens eadem cum Illyriis linguae dialecto vtens, si quaedam partim a vetustate retenta, partim aliunde arrepta vocabula demas, et aliquam in accentu varietatem. Hanc apud eos in primis obserues, qui dextrum Danubii occupauere latus ad ostia, quae Ponti litore ad Bosporum Thracium et Propontidem, diuisamque Haemo regionem, degunt, veteri scilicet Thracia, et inferiore Mysia, quarum alteram hodie Romaniam, alteram dicimus Bulgariam. a) Hi, inquam, quod Graecis permixti sunt, corrupta horum hodie loquendi ratione sua passim efferunt. In primis familiare habent *ch* molle, quod etiam pro *cs* nostro vsurpant, vti et *sz* lene pro aspero *sh*; dicunt enim *oche* pro *otcse*, pater, *postujem* pro *poshtujem*, honoro. Id autem singulare ipsis est, quod longas penitus euitant adeo, vt omnis eorum oratio non nisi breuibus consistat enunciatis; quo fit, vt ab aliis non facile intelligantur, cum celerrime efferant syllabas, quae ceteroquin produci deberent. Loquuntur autem per meros pirrhichios, ita, vt in priorem tonus cadat. Sic

jà te dúmam, tí se bérkash.

ego te domo, tu repugnas.

Sed

a) Adde Albaniam, Macedoniam, ac Peloponnesum quoque, et Asiam minorem, ac trans Adriaticum Apuliam. De hac Dolci § XIV fin. De Asia Schreyer itinerar. Schlöcz. p. 380 ad an. 762. De Pelopon. ibid. ad an. 783, 802. Albania ad an. 758.

Sed id de vulgo dumtaxat intelligendum, eoque Haemi iuga occupante; nam ripae vicini ad boream, Seruiaeque ad occasum, nitidius loquuntur. Ceterum haec vna toni varietas diuersam in dialecto rationem haud inducit, cum vniuersa linguae structura interior eadem Bulgaris sit atque ceteris Illyriis. a) Laeuo Istri latere inde ab Tira, per Moldauiam, Valachiam, Transiluaniam, Hungariam, Bulgari sunt, Illyrica vti dialecto, quibus ad Pontum Tataři, ad montes Russi cum cognatis, ad Istrum Valachi, intus Hungari Germanique sunt intermixti, et quos ante commemorauimus. b) Bulgari heic indigenae sunt, si priscam spectas aetatem, aduenae ceteri; ni et eos aduenas dicere velis, qui ex vna Danubii ripa ad aliam, cognati utpote ad cognatos, migrare consueuerant, quod Bulgari, ferentibus ita rerum adiunctis, non vna fecerant vice. Hos videas a nonnullis, qui de istis meminere locis, in *Raczios* (perperam *Rasczianos*) et *Bulgaros* diuidi, ab diuerso fortasse, quem sectantur, ritu: sunt enim Graeci alii, Latini alii ritus. At hic non facit diuersitatem in gente. Ipli se *Bolyarios* (optimates) nuncupant, c) et passim etiam *Serblios*, in primis, qui de graeca sunt ecclesia; quo nomine a Valachis quoque, antiquis eorum inquilinis, compellari solent. Nonnumquam se *Palyechanos*, Latini praesertim ritus, nuncupant, quod a D. Paulo, gentium Apostolo fidem accepissent orthodoxam, qua denominatione Valachi quoque gloriari consueuerunt. d) Libenter Latinae ecclesiae homines *Illyriorum* se vocabulo adpellari sinunt, vti Hungariae incolae *Dalmatarum*, et *Bosnensium*, per quod natura quasi duce ostendere volunt et nominis et gentis suae originem. Id mirere, neminem e Bulgaris pati, vt seu *Russi* aut *Poloni*, *Bohemique*, seu *Slau* a quoquam vocentur. Scilicet, multa plebs in lingua moribusque tenet, quae in monumentis quibusuis quaeras in cassum. Ii, qui trans-Danubianae sunt Hungariae coloni, singulari se *Bunyevciorum* titulo ab reliquis discerni volunt, cum eadem vtantur dialecto. Habent intermixtos sibi ad ripam Pannonios, quos ii *Shokcios*, vti et ipsi se, nuncupant, a quibus in accentu nonnihil differunt. Libenter v litera pro f ad Russorum vtuntur normam, vt *vála* pro *fála*, *úvatit'* pro *ufatit'*, *vrishko* pro *frishko*. Est quoque iisdem familiare illud *je* pro *i* longo Pannoniorum, quod tamen non sic frequenter, vt Russi, adhibent, sed omnino ad Bosnensium Dalmatarumque vsum; ita *sjèno* pro *sino*, fenum; *ljèpo* pro *lipo*, pulcrum; *djète* pro *dite*, puer; *djede* pro *dide*, aue, ab auo. Occupant hi vniuersam Danubii ripam, vtroque latere, ad Vacium vsque, inde rari quidem, sed tamen sunt, adusque Iaurinum, cetera Slauis Morauisque, qui ab nostris multa accepere, tenentibus; certe quidem Slau Hungariae sic efferunt sua, vt a quouis Illyrio facile intelligi queant. Sed iam transire in aduersam Danubii ripam libeat.

XV.

a) Vid. Busbequ. de Fugacsá p. 20 seq. Verant. Itin. Hadrianop.

b) Cap. VI Dissert. n. XXV.

c) Vid. etiam Olahi Hung. Cap. XII p. 58, vbi *Boiárones* pro *Bolyarones* scriptum legas; ex quo Scholiastes non fat bene a *Boj*, pugna, dictos autumauit.

d) Reychersdorf Chorogr. Moldau. p. 239 edit. Tyrn. 1765.

XV. *Serblii* excipiunt *Bulgaros*, vniuersi dialecto *Illyrica* vsi. Ritus festantur graecum pene omnes, qui cum colonias quasdam suorum in vicinas mitterent prouincias, effecere, vt ceteri quoque eiusdem ritus homines, qui *Seruiam* viderant numquam, *Serblii* audirent. Et hi quidem hanc sibi denominationem tribuunt, qui se inde ortos existimant, ceteris *Hristjanorum*, id est *Christianorum* vocabulum vsurpantibus. Confines *Serblis* *Bosnii*, *Dalmatae*, cum aliis oram *Adriae* ad *Venetos* vsque adcolentibus, vnam cum *Serblis* linguam loquuntur. Quisque horum se a patria nuncupat, communi autem vocabulo *Illyrius* dici amat. Vulgus complures habet *Russorum* expressiones, maxime vocabulorum sine; quale est in prima praesentis indicatiui *u*, in casibus multitudinis *ieh*, in vocibus sat crebrum pro *i* longo *ie* aut *je*. a) Atque hoc est, quod linguae antiquitatem, et eandem cum *Ruffica* olim originem, ostendit, commendatque. Scripturam docti, e consuetudine *Graecorum* syllabas huiusmodi expressu difficiliore, declinare praefcis iam temporibus coeperant, et hodie dum; *Bosnenses* in primis, quin etiam *Ragufini*, declinant. Quam haec dialectus elegantiam, et ad omne metrum flexilitatem habeat, paucis enarrari nequit; et is censere poterit, qui *Raguseos*, aliosque *Dalmatas* Vates audiuit canentes. Quos si non superauit, aemulatus certe est, *Antonius Kanixlich*, cuius manibus vt optime precor, ita *Illyriorum Ouidium* (pace gentis amplissimae) nuncupare aulim. Vnum adducam ex *Rosaleide* eius carmen amoebeum, quo Poeta *Rosalam* cum somno luctantem inducit, saepius repetens. Id autem tale est: b)

Takoti sunàsheza i danka, o Zoro!

Nemòjmi ferdàsheza kinit, síni skoro.

Quod carmen seu Graece vertas siue Latine, tantum abest, vt natiuam exprimas elegantiam, vt quiddam insoliti ac ludicri prodire videas: neque enim iis *diem* aut *solem* deminutiue dicere licet, prout in *Illyrico* sonat; quin magis veritum, quam ex *menta*, vt *Cicero* quodam loco habet, c) deminutiuum facere. Et quid in hoc dicto suauitatis?

Per ego te solem et diem, o Aurora! (oro)

Ne crucia mihi cor, effulge breui.

Ira videlicet, quaeuis lingua suas habet proprietates, sed vtrum sit vlla, quae in hoc superet *Illyricam*, nescio: certe ex iis, quae mihi cognitae sunt, nulla est. Sed

a) Quidam e *Dalmatis* duras *cs* et *sh* in communi sermone vitant, et interdum etiam *ly* et *ch*; vt pro *klyàcs* dicant *klùcz*, pro *shuma suma*, pro *hochu hoczu*. Sed haec molli- ties feminarum est communis, quae nullas patitur in lingua leges, in maritimis prae- fertim, vbi sunt *Itali* frequentes.

b) Cap. II § 2 fin.

c) *Epist. Famil. Lib. IX ep. 22.*

Sed neque aut Russi eorumque cognati, aut Illyricae gentes aliae, de quibus ad occasum dicturi sumus, hanc linguae elegantiam, ipsis quoque, ne vnum me hoc dicentem arguas, fatentibus obtinent. a) Sed et nostri, qui Literas nouere, quamquam *Bosnenses* non essent, lubentes patiuntur hoc nomen sibi dari, et lubentius quidem, quam *Shokciorum*, quo se vulgus nostrum compellat vocabulo. Vt autem ipse L. B. de linguae huius natura iudicium vltro ferre possis, Poematia nostra, ad imitationem veterum, pedibus adstricta, non, quasi in iis omnem censeas linguae consistere elegantiam, sed vt specimen quoddam huius rei praesto habere possis, adeas.

XVI. Seruianis Bosniisque ad Sauum contigui sunt Sirmienses, Slaui, Croatae, his Carinthii, Carniolique, et siqui sunt praeterea. Vniuersos in tres classes dirimere placet, in *Slauios*, *Croatas*, *Carnos*. Praecipua inter hos differentia est in quarundam syllabarum expressione, et vsu accentuum. Ii, qui se *Shokcios* b) nuncupant, Drauum inter et Sauum in primis degentes, hoc singulare habent, quod *ie* Bosnenlium per *e* longum efferunt, vt *sèno* pro *sièno*, *lèp* pro *lièp*, atque id constanter omnino. Accentum in polisyllabis familiarem habent in penultima circumflexum, quem duobus eleuant tonis, quo se ab ceteris non modicum secernunt. Sic *divicza*, virgo, dicunt pro *divicza*; *nemila*, ingrata, pro *némila*. Id autem potissimum accidit iis in vocibus, quae omnes habent breues, antepenultimam vero elatam circumflexo, aut penultimam etiam, sed vnico dumtaxat tono; ita cum dicimus *debela*, pinguis, *budála*, fatuus, in eo ab Shokciis distinguimur, quod ii penultimam ad tertium, nos ad secundum, prouehamus gradum. Atque hac loquendi ratione plebs dumtaxat vtitur, literatis Bosnensem sectantibus, si vnum *ie* demas, quo hodie quidem Bosnenses raro, nostri nunquam vtuntur. Shokciis, quoad *e* vocalem pro *ie* Russico, accedunt omnes Graeci ritus

a) Popovich ap. Schlözer. Hist. septentr. P. II Cap. II p. 325, cuius verba haec sunt: „Bosnien - Landes Redart, nach dem Urtheile aller Slauiischen und Wendischen Sprachkenner, wie auch nach meiner eigenen Prüfung, die reinste, die artigste, und die zierlichste, unter allen sowol Slauiischen als Wendischen Dialekten - - ist sie unter den Slauiischen, was die Attische unter den Griechischen.“ Conf. not. E. Item Lucium Regn. Dalm. L. I C. XI p. 45. Fortis, I. D. Vol. I p. 90. Ad ogni modo, il Bosnese, che parlasi da Morlacchi fra terra, è pegli orecchi miei più armonioso, che l'Ilirico litorale.“ Quia scilicet in mediterraneis degentes, ab corruptela conuenarum sunt remoti.

b) Sint ii e Succorum, Thraciae populi, genere, aut nomine orti. Meminere Ammianus et Socrates. Hic L. III p. 303. Exinde ab oriente diuisus est occidens, et communis inter vtrosque limes fuit mons Sucorum, qui Illyrios Thracasque distinguit. „Hafio *Succi pylae*, apud Sardicam veterem, in Rumiliae et Bulgariae finibus, inter fontes Isker et Maricza, fl. Vid. supr. p. 136. Plura de his in Geogr. Moes. et Thrac.

tus Pannonii, ac pene vniuersi Illyrii, quos ciuium numero censere solemus, vti mercatores sunt, opificesque; in quorum ore, quamquam Russica vtantur in facris dialecto, numquam tamen *ie* audire licet. Sic *hélo* pro *biélo*, *vréme* pro *vriéme*, *piészak* pro *piészak* constanter enunciant; plebe Bosnensem tenente rationem, cum Illyriis Latini Ritus, Drauum inter ac Danubium, qua inferior patebat olim Pannonia, habitantibus.

Croatae ab *Shokciis* non procul absunt. Horum enim *e* pro *ie* seruant tenacissime, cum non modica productione. Sed et penultimam circumflexo notatam, ad Shokciorum normam efferunt. Singularis porro vti Shokciorum sic et Croatarum a Bosnensibus distinctio est, quod grauem in penultimis in acutum vertant perfaepe. Sic hi *czrkva*, Shokcii *cérkva* dicunt pro *czerkva*, templum; *imánye* pro *imánje*, et pleraque huiusmodi verbalia. Differunt autem cum a Shokciis tum ab aliis per *ch* et *gy* molles, quibus carent. a) Cum Russis conueniunt non vna in re, maxime in verborum praeteritis, in *l* delinentibus, quod per *o* Bosnenses efferunt; sic *vidil* pro *vidio*, *xelil* pro *xelio*. In quo et *Shokcios*, qui eis propinquiores sunt, socios habent. b) Imperfectis verborum destituuntur, quorum loco praeterita vsurpant, cum Bosnenses aoristo quoque praeter imperfectum gaudeant, quæ, in narratione praesertim, familiarissime vtuntur. Omnis, vt paucis dicam, loquendi Croatarum modus ad grauitatem ac seueritatem aptus est compositusque, nescio, an non Hungarico magis (de plebe mihi sermo est) ingenio agri, quem montosum potissimum incolunt, cum indole gentis ac linguae conueniente. Ceterum structura sermonis interior omnis Illyrica est, adeo, vt Croata se alium nec nominari patiatur, quam *Harvátum* aut *Illyrium*; *Slauus* autem quid sibi velit, penitus ignoret. Complura habent vocabula singularia, quae a maioribus accepta diligenter conseruant; quaedam ab Hungaris, data iis iam ciuitate, mutuati sunt, pro quibus alii propria vsurpant. Literas docti, ore Bosnensi loquentem et audiunt libenter, et prope eloquuntur ipsi. E vulgo ii, qui montes adcolunt, tardius, qui plana, celerius efferunt sua; ex quo fit, vt quaedam in sermone diuersitas adpareat, quod apud alias quoque euenit gentes.

Carnioli sunt Croatis in occasum contermini, magnam et ipsi plagam occupantes. Sermo eorum idem qui Croatarum. Si tamen mediterraneum eorumdem habitationis spectes, quaedam ii singularia habent. Mollibus *ch*, *gy*, *ly*, *ny*, destituuntur; e quibus tamen postremas duas Croatae vsurpant. Sic *pomocs* pro *pomoch*, *rojen* pro *rodjen*, (*rogyen*) *krájl* pro *krály*, *kojn* pro *kony*, *nyiva* pro *nyiva* dicere norunt. Mutant *a* finale ante *c*, *k*, *m*, *n*, *r*, *s*, in *e*, quod iis cum Croatis commune est. Vt *konecz* pro *konacz*, *krátek* pro *kratak*, *frécsen* pro

a) *ch* per *ch* i. e. *cs*, *gy* per *cx* efferunt.

b) in *v'* *in* pro *u* Illyr. *v'* *hisu*.

pro frechan, *dóber* pro *dobar*, *pes* pro *pas*. a) Item *u* pro *o*, praesertim sine adiectiuorum generis neutrius; dicunt enim *shilu* pro *shilo*, *kraléřtvu* pro *krályestvo*, *viřóku* pro *viřzoku*, *kúřt* pro *kóřt*. Ac vice versa *o* pro *u*; sic *klòp* pro *klùp*, *mòx* pro *mùx*. Sed hoc remotiores a Croatis faciunt, rudiores, cum alii hac in re ab Croatis nihil pene differant. Particulis vocali terminatis *r* libentes addunt; sicuti *kakor*, aut *kokar* (quasi *kakr*) pro *kako*, *potler* pro *potle*, *dokler* pro *dokle*. Quamquam utroque vtantur exprimendi modo. Magnam habent vocabulorum vim; Alpeřtes in primis, quibus ab reliqua se Illyriorum Slaunorumque gente non modicum distinguunt. Ex his pleraque a vetustate accepta, quaedam incertae originis; pauca ab Italis, plura ab Germanis adoptata, sed quorum ii pleraque propriis reddere vocibus norunt. Pauca pro exemplo adferre liceat. Vetus sunt:

<i>Carniol.</i>	<i>Illyr.</i>	<i>Latin.</i>	<i>Carniol.</i>	<i>Latin.</i>
ápnu - -	jápno, krecs -	calx	vud - -	artus
bérem - -	csatim, shtijem -	lego	řmishlavicz -	poeta
bútova - -	tovar - -	onus	řtebér - -	columna
csolnár - -	csunár, lagyar -	nauta	řvit - -	senatus
csédnořt - -	kripòřt - -	virtus	řtur - -	vlcus
govédu - -	góveda - -	pecus	brátovřhina -	tribus
búxecz - -	bógacz - -	mendicus	draginja - -	caritas
ognénik - -	kremen - -	filex	řermada - -	congeries
pobøj - -	rázboj - -	caedes	řostovánje - -	coniuium
mérha - -	mérczina - -	cadauer	řubeznívost - -	comitas
zejmén - -	tergovanye - -	mercatus	řmedéniczza - -	pollubrum

<i>Carniol.</i>	<i>Latin.</i>	<i>Carniol.</i>	<i>Latin.</i>	<i>Carniol.</i>	<i>Latin.</i>
necsářt - -	dedecus	řpipúvřřt - -	adagium	vuz - -	axis
odéja - -	tegmen	řškála - -	petra	řservojedina	caries
omóřiczza - -	vertigo	řškérb - -	cura	řdjánje - -	historia
řpriásnořt - -	fauor	řřmóřta - -	error	řkóřřilu - -	prandium

T 2

Carniol.

a) In deminutiuis tamen pro *ecř* Croatar. *icř* habent saepe; vt *móx*, *moricř*, *loncz*, *loncsicř*. Et pro *ek* Croatar. *ik*; vt *bob*, *řbobik*, *řak*, *řrakik*.

<i>Carniol.</i>	<i>Latin.</i>	<i>Carniol.</i>	<i>Latin.</i>	<i>Carniol.</i>	<i>Latin.</i>
pozablivost -	obliuio	spodóba -	imago	léjtu - -	annus
postáva -	lex	stéjna - -	paries	menénje -	opinio
posóda	vas	sváfcsina -	affinitas	opravílu -	munus
prilóxnost -	occafio	mérzlicza -	febris	zavijánje -	vlulatus
fppravlífcse -	conuentus	délam - -	facio	známinje -	fignum
				kálam - -	findo.

Haec e plurimis pauca. Incertae originis existimo sequentia :

xóga -	pila	stérdm -	mel	lájnu	stercus
fmiet -	draco	buesa -	cucumis	grem -	eo
goluf -	deceptor	karnícza -	gurges	prícza -	testis
malík -	idolum	lákota -	fames	temmá, e -	caligo.
oproda -	armiger	vejícza -	frons		
revên -	miser	osla - -	cos		
fencz, a -	tempus cap.	vérv - -	funis		
shrebél -	clauus	peza -	pondus		
shrinf -	cicatrix	kardellu -	agmen		

Ab Italis, quibus vicini sunt, haec mutuatos censeo :

<i>Ital.</i>	<i>Carniol.</i>	<i>Carniol.</i>	<i>Latin.</i>
Corbis -	kórba	duxd -	dux
corona -	króna	lotér -	luridus
lux -	lucs	módél -	modulus
materia -	materia	mojster -	magister
menfa -	míza	port -	portus
draco -	drakon	múrva -	morus
		rejs -	res

Germanica plura sunt, quaedam memorasse suffecerit.

<i>Germ. Carn.</i>	<i>Latin.</i>	<i>Carniol.</i>	<i>Latin.</i>	<i>Carniol.</i>	<i>Latine.</i>
shupá -	iufculum	grofovít -	feuerus	shidánik -	bombix
ezígar -	vector	gvant - -	vestis	shtrik - -	funis

Germ.

<i>Germ. Carn.</i>	<i>Latin.</i>	<i>Carniol.</i>	<i>Latin.</i>	<i>Carniol.</i>	<i>Latine.</i>
hérczog	- princeps	gvelb	- fornix	shtritar	- pugil
antverhár	- opifex	kreg	- rixae	tram	- laquear
arcznia	- medicamen	píntar	- viotor	vahtar	- vigil
brumen	- mitis	polshter	- puluinar	czartan	- delicatus
érbics	- haeres	pob	- puer	czól	- vestigal
far	- paroeus	purgar	- ciuis	czunter	- fomes
gerab	- tutor	pushtab	- litera	shpicza	- cuspis
gnadliv	- misericors	shenf	- finapi	czait	- tempus.

XVII. Et his quidem Germanicis ii potissimum vtuntur, qui inde duxere originem, ceteris sua vsurpantibus: pleraque enim e supradictis vocabulis suo efferre norunt idiomate. Quin, si expressionem consideras, plurima nostro penitus ore enuntiant; quod mirere sane: cum eos medii Croatae a nobis longe diuidant, iisque sint admodum vicini; vt eorum potius eloquendi rationem, quam nostram, videantur sequi debere. Sic nobiscum dicunt *lišćica*, vulpes, *czyt*, flos, *deteta*, pueri, gignendi casu; quae Croatis *lišćica*, *czyt*, *deteta*, efferuntur. Idem fit in casu multitudinis secundo et sexto, quos ii nobiscum per *ih*, Croatae per *eh*, in adiectiuis, enuntiant: quod enim his *švėteh*, sanctorum, est, iis nobisque *švėtih*; *teh dobreh* Croatis, *tih* vel *tiu dobrih* Carniolis, nec aliter omnino Bosnensibus. a) Sed et plurima sunt iis in vsu vocabula, quae si nostris ipsi efferrent accentibus, nullum penitus intercederet discrimen. At vero id Carniolis in eloquendo singulare est, quod grauem quidem non patiuntur, acutum autem adeo frequentem vsurpant, vt in eadem saepe voce bini compareant, idque sine certa quapiam lege; plerumque tamen in dissyllabis penultima notari consuevit, in verbis vltima, in polysyllabis antepenultima. Sic aiunt,

Túliku vėkshi je grėjh, kúliku vėkshi je td, kir greshi.

Tanto maius est crimen, quanto maior est, qui peccat.

Diceremus: *Tóliko vechi jest grėh, kóliko vechi jest, koi grėshi.*

Citius

a) Deminutiu complura, vt *loxicz* a *log*, *lùg*; *locsicz* a *lok*, *lùk*; *loncsicz*, *xenicza*; *télcze* a *tele*; *pércze* a *perú*. Adde praeteritum *vidiu*, *vidio*, pro *vidil*. Et hodie quidem *l* in praeteritis sere euanuit. Sic *hteo*, *razdelio*, *posvetio*, *bio*, *vúzhio*, cet. Petouienfes dicunt. Quin et imperfecto vtuntur, *ixide*, *pride*, *porodi*, quod omnino singulare est. Vt *l* Croatis modo tribuendum; qui tamen seculo priore imperfectis, more Bosnensium, non raro vtebantur. Vid. *Kronika Paul. Vitezovich, Zagr. 1696. Conf. spec. Philol. p. 112.*

Citius quoque efferunt sua, quam Croatae; unde a quibusdam nostrum libentius audiuntur, in primis quod crebro Shokciorum vocabula usurpant, ut *bokdl*, amphora; *grad*, arx; *hrášt*, quercus; *lišť*, folium; *loncsár*, figulus; *mejh*, follis; *bakla*, fax; *tikva*, cucurbita; *farba*, color; *hrushka*, pirus; *prez*, absque; *szuknya*, toga; *déblo*, stirps; *osztróga*, calcar, et huiusmodi. Saepe vulgi Bosnetis, quod mirere, linguam referunt; ut in vocabulis, *besédnik*, orator; *izyjér*, origo; *oblastnik*, magistratus; *paszťir*, pastor; *tejk* pro *tjek*, cursus; *térszt*, arundo; *val*, fluvius; *vértar*, olitor; *danicza*, lucifer; *divicza*, virgo; *vjera*, fides; *mrejxa* pro *mrjexa*, rete; *svejt* pro *szjet*, mundus; *mejstu* pro *mjesto*, locus; *zyjer*, fera; *dejte* pro *djete*, puer; *oli*, seu; *pitjé*, potus. Et quod perquam notabile est, Russica etiam, sed in nostram versa dialectum, usurpant complura; sicuti, *gospud*, dominus; *dólxén*, debitus; *rozlócsik*, discrimen; *csez*, ob; *sluxabnik*, minister; *v' cséráj*, heri; *dolgu*, longum; *obtoráj*, idcirco; *mestu*, vrbs; *otróczi*, soboles; *hvaléxnost*, gratitudo; *cslovik*, homo; *vúpanje*, spes; *kolnénje*, conuicium; *volzje* a *volk*, lupus; *perjetel*, amicus. In gradibus comparationis duplici vtuntur modo, Illyrico et Russico; ut *star*, senex; *starij* vel *starishi*, seu senior; *nar*, seu *na-starij*, aut *starishi*, maxime senex. a) Pro demonstratiuo *ovaj* adhibent cum Russis *ta*; b) vt *ta ocsa*, hic pater, pro *ovaj*, vel *ovi otacz*. Dualem quoque in verbis adhibent, sed haec variatio quaedam pluralis numeri esse videtur. Primam habent personam *jest*, quam nos per *ja* exprimimus, *jest* autem nobis *est*, illis *je* dicitur. Quaedam item anomala et irregularia possident, quae nobis ordinaria sunt. c) Ceterum vniuersa linguae structura interior Illyricam monstrat originem, et in pluribus ad nos propius quam Croatae accedunt. Pro coronide orationem dominicam audire liceat, vtrisque vsitato loquendi modo, cuius textum cum Illyrico, quem adduximus supra, contuleris.

Croatice.

Vu ime Otcza, i szína, i Duha
szvétoga.

Otecz nash, kojifzi na nebeszeh;
szvetifze ime tvóje: pridi kralyészťvo
tvóje: budi vólya tvója, kak na nébu,

tak

Carniolice.

V' Ime Ocse, nu Szina, nu Duha
szvetega. d)

Ocse nash, kíř szi v' nebeszih, po-
szvecsenu bodi tvoje ime: pridi k' nam
tvoje krajlesztvu: Izgodifze tvoja vóla,

kakòr

- a) Croatae tantum in *shi*, vt *starejsi*, *bolshi*, *lepshi*; nonnumquam *stareji*.
b) Vel *tar*, hodie Styri, circa Poetouium, *tö den*, pro *toj* vel *taj*.
c) Vt *grem*, praet. *shal*, Illyriis *idem*, *ishao*. *Cslovéki*, pro *lyudi* Russico, quod illis *re-*
gulare est. Comparatiui, vt *bólshi*, primo casu, ac ceteris feminino genere, inuariati.
d) Ita crucem formant Poetouienfes, qui particulam Carniolicam *inu*, breuius *no* vel *nu*
exprimunt. Orationem, e textu Matthaei C. VI, sumsimus e versione Japellii, La-
bac.

Croatice.

tak i na zémlye. Kruha nashéga vszak-
dényega daj nam denesfz; i odpusfzti nam
dúge náshe, kak i mi odpúscsamo dux-
nikom nashem; i ne vpelyaj nasfz vu
sfzkushávanye, neg ofzlobodi nasfz od zla.

Carniolicè.

kakòr na nebi, takú na zemlí. Daj nam
danáfz nash vszakdajni krùh; inu od-
pusfzti nam nashe dolge, kakòr tudi my
odpushamo nashim dolxnikam: Inu ne
vpeli nasfz v' sfzkushnyavo; tèmucs reshi
nasfz od hudiga.

Tenent Carnioli priscas sedes, quas sub nomine Carnorum, Noricorumque, et Vindelicorum, olim tenuerant, hodie Carnioliam, Carinthiam, Forum Iulii, Stiriam, Austriam, Bauariam; rariores tamen sunt in postremis duabus, quod agri eorum ab Germanis occupati essent, ipsique in meridiem ad cognatos protrusi. Sunt tamen et hic, et pone Danubium, etli sparsim, fere adusque fontes. a) *Vinidi* hodie quoque ab Germanis nuncupantur, aliisque, ipsi se *Krajncios*, *Bojarios*, b) aut simili patria denominatione, compellant; Literati *Slauencios* quoque ac *Illyrios*. Vt vel ex hoc originem eorum cognoscas. Atque haec sunt, quae, vt Thracum progeniem ex ipsa etiam nepotum linguae natura videremus, memoranda censebam, quod hoc argumenti genere adsumtam rem bellissime probari posse arbitrabar. Nunc ex his corollaria quaedam, ad rei propositae illustrationem, colligere, caussamque variatae Slauorum linguae ex historia, philologiaque petitam, promere iuuat.

XVIII. Quae haecenus de varia Slauice loquendi ratione in medium allata sunt, eo fine dicta, velim, accipias, vt principem Slauae linguae dialectum esse duplicem intelligeres, *Rufficam* quippe et *Illyricam*; in suos deinde ramos vtramque diuidi, priorem quidem in *Polonicam*, *Bohemicam*, *Morauicam*, alias; posteriorem

bac. 1784. Apud vulgus varietas quaedam, vt sunt loca, notatur; vt *Ocsa* pro *Ocsè*, *nebesfzah*, *danesfz*, *kokr*, *douge*, *na-upeli u sfzkushnàve*, *odresh od hudga*, circa Runam Styriae.

- a) In Austria ad vtramque Danubii ripam eos locari vide ab Ioan. Georg. Mayer, praefat. Gramm. Carniol. edit. Labac. 1715. In Franconia, quae Bauariae contigua est, iam ab seculo suo memorantur, quorum sint et hodie reliquiae, Schlözer, p. 234 H. Sept. not. N. *Bauariam*, olim *Bojariam*, ex eorum lingua, quasi *Bojàr*, *Vojàr*, bellator, idem deriuat Mayer, l. c. Vinidos autem Slauos cum Germanis, vti antea, sic IX seculo in Bojoaria fuisse, Anonymus de *Conuers. Carantanor.* nos dubitare non sinit.
- b) *Krajncii* patria lingua, *limitanei* seu limigantes. *Bojarii*, quasi *Bolyarii*, optimates; quo se Bulgari quoque, quorum pars Noricum petiit, vocabulo nuncuparant. De *Krajncis* vid. Schlözer, l. c. Conf. spec. Philol. p. 115.

riorem in Bulgaricam, Bosnensem, Groaticam, Carniolicam; ceteras vtrunque variationes minutas ad haec posse reuocari capita citra difficultatem. Caussam porro et dialecti vtriusque, et variationis earum ab antiquitate repeti oportere. Nimirum, ita maiores gentis Slauae e campo Senaar suas promouisse sedes videntur, vt pars boream, pars peterent occasum, vtrique in Europam, quae Iapheto partibus obigit, contendentes; sic tamen, vt in Asia quoque, in primis ora Euxini, sua relinquerent vestigia. Occupare primum campos, pecori scilicet vtilis, flumine praesertim irriguos, natura suadebat. Itaque cum plures vtrunque essent familiae, quaedam ex iis, quae boream petierant, circa Ponti litora subsistere; aliae vltro progressae, ripas Volgae, Tanaisque, in primis mediterranea spectantes, cum Tataris occupassent litus, tenere, promotis in septemtrionem sedibus. Aliae in Europam traicientes, Borysthenis, aliae demum Vistulae, ripas petiuere. Cumque non esset adhuc longo vsu nouae linguae ratio firmata, facile in diuersis familiis nouae quaedam expressiones oriri poterant, accedente ad hoc natura loci asperioris, aut mitioris, et commercio gentium vicinarum, diuersa vtentium lingua. Quamquam, si sermonis Slauum naturam scruteris, quiddam in ea diuini non obseruare non potes. Nam praeter vocabula plurima, matris Hebraeae originem redolentia, a) singulae etiam familiae quiddam ex hac matre vestigii in expressione quoque retinuisse videntur, non sine virtute diuina; vt vel inde viri philosophi primam illam, quam Deus ob crimen vanae gloriae adeo confunderat, b) linguam nosse valerent. Sic Russi illud α suum tam pronunciant aspere, tantoque cum spiritu, vt proximae Hebraeis accedant. Bohemi etiam pro *g* litera *h* vsurpant. Poloni cum his *r* suo non nisi Hebraeos expriment. c) Ceterum, quod omnes in dialecti harmonia conueniant, vicinia quoque id, ac necessitudo mutua efficere poterant; diuersitatem a capite remotio, et peregrinorum contubernium peperit.

Eodem pacto de parte Slauorum alia, quae occasum petiit meridiemque, arbitris. Hi mitius nacti caelum, sponte sua molles adoptauere quasdam, quae durae septemtrioni essent. Ab vicinia deinde Graecorum, quorum loquendi ratio auribus suauissima erat, in primis ex quo huc ex Aegypto artes migrarant, plura in expressione et accentu mollia sumere variaque. Ex quo factum videas, vt, qui ab Graecis remotiores essent, vti Croatae, Carniolique, plura et magis perspicua veteris linguae, vtpote simplicioris, retinuerint vestigia, quam ceteri, qui ex commercio

-
- a) Ex vna litera A, apud Calepinum, collegi 40 vocabula, quae modica cum variatione quod Hebraeis, idem Illyriis denotant. Quasdam pro exemplo radicales adferam. *Salah*, mittere; *kara*, adclamare; *pa α r*, agere; *na ζ a*, ferre; *shibar*, adfricare; *sadhe*, ager, cet.
- b) Sic enim sacer textus habet: *Venite igitur (dicebat Dominus) descendamus et confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnus quisque vocem proximi sui. Gen. XI. 7.*
- c) Adde duras *sd*, *sh*, *cs*, *cx*, Illyriis quoque vsitatas, quae orientalem sapiunt originem: certae Hebraeis non ignotae.

mercio Graecorum, simplicitate reiecta, artem sectabantur, adeo quidem, ut, quemadmodum olim florentibus apud Graecos scientiis nostri sua cum illis efferre nitidissime consueuerant, sic hodie, corrupto Graeci sermonis nitore, cum iis corrupte sua efferant, quibus in contubernio eorum vivere contigit. Ut adeo, qui medii Graecos inter et ad septemtrionem remotos habitant Illyrios, quales *Dalmatae*, *Bosnenses*, *Seruianique* sunt, nitorem linguae veteris optime seruent; simplicitatem quippe primigeniae Graeco lepore, quem olim hauserant, temperantes, corruptelam vero Graeciae hodiernae remotione sua vitantes. a) Id tamen hoc in genere obseruari velim, diuersitatem linguae huius naturamque sic esse constitutam, ut notabilem in exigua distantia varietatem non obserues, (nisi coloniae quaedam e longinquo essent) sed ad vnum fere longitudinis gradum, et amplius nonnumquam, in primis continente plana. Id ipsum propria sum edoctus experientia, progressus Belgrado Zagrabiam vsque. b) Linea haec pertransit primum *Sirmioneses*, tum *Slauonios*, denique *Croatas*. Sed caue putaueris nullam Sirmiensibus, aut ceteris, domi suae loquendi esse varietatem: nam quisque pene locus quosdam habet aut terminos, ut aiunt, aut loquendi modos familiares, qui apud vicinos ut adeo notabiles non sunt, sic in maiori distantia incrementum capiunt, dialectum linguae non modicum variantes. Ita Sirmioneses inter Slauoniosque, quorum sunt propinqui lares, nullum est obseruare discrimen, ni, ut dixi, coloniae aduenarum intercessissent; at vero inter ipsos *Sirmios* (ita se ipsi nuncupant) et Slauonios, in primis vero *Croatas*, interuallo maiori facile est varietatem deprehendere. Atque istud natura linguae secum ferre videtur. Ceterum amplitudo provinciae, mores maiorum aut vicinorum, aduenarumque, locorum item positus, et alia id genus adiuncta, saepe faciunt, ut haec naturalis linguae series perturbetur, maiorique aut minori locorum interuallo varietas obseruetur. Sed haec quidem vnus linguae varietas adeo non officit internae eiusdem structurae, ut etiam harmonicum quemdam, non sine suauitate, concentum edat; qui non minorem sane amplitudinem hodie habet, quam Strabonis tempore habuerit. Occupat enim vtramque Danubii ripam, ut olim, inde a fontibus pene ad ostia, et vltra. Carnioli per commercia ligni pinei in primis cogniti sunt. Cum *Croatis*, *Dalmatis*, *Bosnensibus*, *Seruiis*, *Bunyeuciis* vitam agimus communem. E *Bulgaris*, ripae vtiusque, *Albanis*, *Thracibus*, mercatores complures, sed et colonias quasdam,

-
- a) In insulis Dalmaticis, Croatiam respicientibus, multa sunt hodie veteris linguae indicia: Pharenenses enim praeteritis, relatiuis, genitiuis multitudinis, et compluribus aliis, Croatico prorsus modo vtuntur; in aliis Dalmatico, seu potius Pannonico, cum je vitare consueuerint, pro eo i longo vsu. Quod ipsum gentis et linguae cognationem ac originem belle ostendit.
- b) Scripsimus haec an. 1785, Eszeki Rhetoricam professi. Ab an. 1789, quo Zagrabiam pro domicilio, ad annum vsque 1795, habuimus, vltiora quoque lustrauimus. Vid. spec. Geogr.

dam, a) habemus. In Macedonia, et etiam Peloponneso Illyrios e media in primis aetate nouimus. b) In Asia minori, pene ad Armeniam vsque, Illyricam apud vulgus in vsu esse linguam, c) non modo e scriptoribus d) edocemur, sed certissimum habemus experimentum a viro quodam, qui non ita pridem a *Belgrado* soluens *Constantinopolim*, inde Bosphoro traiecto Anatoliam, ceterasque Asiae minoris prouincias, praetergressus, *Dagestan* petiit, prope *Derbentum* aditurus. Is mihi haec ex se quaerenti synopsis itineris tradidit, in qua Byzantium vsque non nisi Illyricos populos (si Turcas quosdam Graecosque demas) se deprehendisse adseuerat. In ipsa vrbe plus Illyrici, quam alterius esse idiomatis. e) In Asia ad Armeniam vsque Illyrice loqui plerosque, in primis Bashas; quod ei cum esset stupori, interrogatus, an non ipse quoque idioma hoc calleret (Gallico enim tum Italicoque utebarur) cum id se non ignorare dixisset, magnam apud barbaros inuit gratiam, adeo quidem, vt eximios potuerit accipere honores, si turcicam superstitionem ei amplecti libuisset. Sed cum hoc se conscientia prohiberi dixisset, neque ei vocabulum Illyrici idiomatis occurreret (nam et nos conscientiam, *dushenovo spoznanye* vulgo non sat bene efferimus) admonitus ab Turca *szyiesi* id Illyrice nuncupari, (ita quippe tum sunt locuti) res in familiarem abiit sermonem. Vt adeo iisdem prorsus sedibus Thraciam gentem superare videas, quibus eam collocare prisca. Iam et illa, quae haecenus dictis oggeri ab aduersa parte posse videntur, persequamur.

XIX. Cum Thraces Illyriique, de quibus adhuc sumus commentati, Slauorum idiomate vli dicantur, qui haec cum historiis conciliari queant, ex quibus certum est, omne *Slauicum* nomen haud esse quinto sextoue seculo antiquius? Quo pacto *Bulgari* et *Croatae*, *Serblique*, Thracum Illyriorumque nepotes dici possint, quos aliunde isthuc venisse Byzantini scriptores palam faciunt? Sed, non ita se omnia habent, inquam, vt homines credunt. Multa pròdidere posteriores, quae antiqui ignorarant; idque vel errore decepti, vel e suae aetatis genio, vetusta pro recentibus, aut haec pro illis adhibendi, libidine abrepti, vel gloriae sui suorumque nimio

-
- a) In prouincia Temesiensi duae sunt huiusmodi coloniae, *Vinka* et *Beshenovo*, Bulgaricis agris circa *Cyprovacz* relictis, huc adlatae. Sed et *Eszekini* horum reliquias habemus, qualis *Iunkovichiana* familia est, praeter alias. Colloquimur cum iis quotidie, vnde de Bulgarica dialecto facile arbitrari possumus.
- b) Vid. Schloez. p. 380, seq.
- c) In mediterraneis in primis; ceterum Graeci ad austrum, Tatari et Arabes, seu potius Turcae, ad Pontum.
- d) Vid. Praef. Grammat. Carniol. edit. Labac. 1715, cuius auctor videtur sua ex *Aradicis Horulis Adami Bohoriczi* Witteberg. 1584 editis, summis, cum in titulo *peruetursum exemplar* nominat, quod sit imitatus. Conf. Lamb. Comment. Bibl. Vind. P. I a p. 175. Dolci Dissert. Ling. Illyr. § IV. Schloez. p. 380, ad an. 762.
- e) Lambecius cum Bohoriczio, in ipsa aula Turcarum *Illyricae linguae* vsum communem fatentur II. cc. et praetorianos milites maiori parte ex Illyriis consistere.

nimio studio plecti. Quos ubi posteriores cum priscis non adeo diligenter contendissent, expendissentque, et se ipsi erroribus implicuere plurimis, et aliis errandi praebuere materiam. Atque hanc aduersam, si qua umquam alia, certe Slaua gens experiri debuit sortem, adeo, ut ex tot Slaucarum rerum scriptoribus neminem ante Schlözerum comperiam, qui in origines Slaucas, praesertim quod Illyrios concernit, solide inquisisset. Sed neque Schlözero se Lucina ubique familiarem praestitit, in primis dum vetustiora peteret tempora, ubi eum suam passim ignorantiam fatentem videas; quem ego tamen probi viri candorem maioris facio, quam inuectiones nonnullorum, contemptus, et iurgia, *paupertatis*, ut quidam non inepte dicebat, *a) manifesta indicia*. Croatis, sibi in patria sua antiquitatem iure deposcentibus, nuper quidam, an satis modeste nescio, *ignorantiam, inscitiamque*, et *errorem*, *b)* pro argumento obtrudere non est veritus. Qui si non dum agnouit audaciam, credo eum hac mea commentatione perfecta agniturum. Sed institutum persequamur. Plerique post renatas meliores literas, Slauos a Volga et Carpato ad Istrum et Illyricum deducunt, nullo, quod sciam, idoneo ducti argumento. Slauiorum Procopius cum Iornandé meminere primi, neuter tamen ad Volgā signauit patriam, sed *non procul ab Istro*. *c)* Sed nec posteriorum, quantum sciam ullus, seu Graecus siue Latinus scriptor *Slauos* deduxit a Volga. Hunni post Romanos primi huc ab oriente venire, neque tamen in exercitu eorum Slaui auditi sunt, antequam Tiram transissent; postea vero quam crebra Slauiorum cum Hunnis memoria! Omnem ex eo Slaui nominis vim non nisi ad ripas Danubii videas. Inde illi cum Hunnis, Gothis, Patzinacitis, aliisque barbaris, in Thraciam, Macedoniam, Illyricum, iuris utpote Romani prouincias, excurrere, has populari ac vastare, quod e Byzantinis perfacile eruas. *d)* Neque tamen omne hoc Slauiorum nomen Sarmatici generis arbitrere; maior pars Daci erant, gens Thracia, ut vel ex Theophylacto cognoscas. *e)* Quo autem modo Slauiorum denominatio, quae Sermatis propria fuit, Carpatem in primis tenentibus, in Dacos dimanarit, iam supra est memoratum. *f)* Ex hac diuersarum Slauicae originis gentium commistione eae sunt postea tenebrae exortae, ut quid Sarmatis, quidue Dacis ac Mylis tribuendum sit, nemo hactenus peruidere potuerit. *g)* Inde quoque rixae illae iurgia-

V 2

-
- a)* Cl. Katona Hist. Duc. Hung. Praef. 1
 - b)* Vid. Salag. L. II p. 180. 120. L. IV p. 353 seqq.
 - c)* Vid. supr. Cap. VI num. 23.
 - d)* In compendio vid. ap. Schloez. a p. 345.
 - e)* Supr. vid. l. c. Et ex Iornandé Rer. Get. Cap. 23. Vid. supr. Cap. VII n. 3.
 - f)* Cap. VII n. 2 seqq.
 - g)* Quod et Cl. Schloezer pluribus queritur locis, ut p. 222, 240, 253, 334. Conf. nott. Stritteri a p. 347; ubi vide virum, cum hanc rem omnium diligentissime inuestigasset, adeo fluctuantem, ut Bulgaros, Slauos, Hunnos satis discernere nequie- rit. Quamquam ii quidem discerni possent, si quis id sibi adsumeret negotii. Sed hic labor, hoc opus!

iurgiaque inter Slauicos scriptores, quibus, quidquid de Slauis ab seculo V diceretur, id Bohemi sibi vniuersum, Poloni sibi, Ruffi sibi tribuerint, cum tamen Istri ostia priores numquam, sed neque fontes viderint; hi autem vtrique ne Danubium quidem, si paucos eosque viciniores demas, qui ex cognatione potissimum linguae, socia cum Dacis in Graecos, gentis suae oppressores, arma intrinxerant. Certe vt olim pauci per Daciam, qua ripas tangebant, Sarmatae fuere, sic hodie quoque aut pauci admodum, aut nulli sunt. E priscis quoque non vnus auctor est, qui nostros, vt a Slauis distingueret, *Bulgaros* nominarit. Vocabulum hoc ante Victorem Tununensem in monumentis non compareret, a) nisi Miscellam, quam dicunt, historiam huic praeponere velis, cum Victor VI scripserit seculo. Hic ad annum 559 *Bulgaros* in Thraciam irrupisse memorat, quos Menander et Agathias *Hunnos*, et quidem Vtigueros, seu Kuturguros, Vtegueros, Kotrageros, b) nuncupant; Cedrenus non nihil clarius *Hunnos* et *Sthlabinos*, Theophanes *Hunnos* et *Sclabos*. c) Sed hi recentiores sunt. Victor *Bulgaros* vno vocabulo, seu quod Hunni eorum inquilini essent, seu quod Hunnis in exercitu plures, compellat. d) A Victore Bulgarorum nomen apud Theophylactum occurrit, idque vnica dumtaxat vice, ad an. 597, vbi mille ex Petri exercitu milites, exploratum missos, in Slauos *Bulgaros*, quos Byzantium petere fama tulit, incurrisse memorat, non procul ab Afimo, vrbe Thraciae. e) Ex quo Simocattae loco perspicuum est, *Bulgaros* Slauam fuisse gentem, cum hac in pugna nulla Hunnorum fiat mentio. Quia vero Bulgaris, maxime Daciam colentibus, Hunni iam inde a temporibus Attilae commixti erant, quibuscum socia iungentes arma Graecorum imperio grauissimi saepe fuere, inde factum, vt a posterioribus Graecis scriptoribus, veluti Nicephoro, f) Constantino, g) ac Theophane, h) *Hunni* pro Bulgaris, et vice versa, saepe dicerentur. Atque hoc est, quod rebus Slauicis maximam ab hominum memoria peperit confusionem. Huic malo accessit illud, quod, cum Theophanes ac Nicephorus *Bulgaros* (ita perperam pro Hunnis) ab Maeotide accersissent, turba Slauicorum scriptorum tempus sibi opportunum adesse rata, vti tum secula erant, a *Volga* ad Istrum deducere nihil dubitauit *Bulgaros*, in primis quod apud recentiores Geographos *magnam Bulgariam*

-
- a) Iornandes Rer. Get. C. V. *Bulgaros* locat vltra Agazziros (Agathyrsi Herodoti ad Hierasi fontes) supra mare Ponticum. Ab his, Cherfonem versus, Hunni. Vt adeo Borysthenis adcolae, aut potius Tyrae videantur. Getae veteres, non Sarmatae.
- b) Vid. Schloez. p. 357 not. 64.
- c) Id. ibid.
- d) Hodie *Bugari* Illyriis, *Bolyari* Ruffis. Illud olim *Vugari* expressum sit, quo nomine Hungaros et hodie Croatiae nuncupant, *Vugri*. Vt promiscuum nomen videas; sed gens tamen distinguenda.
- e) Schloez. p. 370 not. 37.
- f) p. 22.
- g) L. de Themat. p. 21.
- h) p. 185. Schloez. p. 358 not.

riam orientali *Volgae* fluminis ripa signatam vidissent; a) a qua tamen regione Bulgari nostri tantum semper, quantum ab Istro Volga, remoti erant. Ita videlicet vocum analogia, non sat examinata, doctissimis etiam viris imponit. b) Et vbi, quaeeso, *Volgae* nomen ad haec, de quibus agimus, tempora? *Αρχα* Graecis, *Ατελ*, *Αταλις*, Tataris *Ус Атил* dicebatur. c) Finge hinc *Bulgaros*, si potes! Miror sane doctos id non obseruasse viros.

XX. Sed, inquis, quid cum Theophane d) sumus facturi, qui *Bulgariam* ad Maeotim statuit? Aio, Theophanem, seculi IX scriptorem, e sua loqui aetate, qua Hunni cum Bulgaris iam permixti erant, e) eadem pene ratione, qua *Slauos* cum *Auaribus* male commissos supra memorauimus. f) Vetustiores, vti Procopius, Agathias, Menander, qui Hunnica tradidere, ne hita quidem de Bulgaris; g) quos ipsi tamen, si aetate sua ad Maeotim, vbi a recentioribus ponuntur, habuissent, citra dubium commemoraturi erant. Ac duo quidem priores a Maeoti *Vturguros*, et *Cuturguros* ad Istrum deducunt, sed neuter *Bulgaros* facit, quin Agathias palam *Hunnos*. h) Mihi vero potior coaeui, quam recentioris cuiuspiam ratio habenda esse videtur. Et quid est, quod nullam hodie seu ad Maeotim, siue ad *Volgam* videmus *Bulgariam*? Prope abest, vt censeam, ab Arabicis Perficisque Geographis ita *Bulgariam* fuisse ad *Volgam* positam, sicut nostrae aetatis quidam in prouincia *Posslegana* paruum ponunt *Valachiam*, a *Valachis* scilicet, qui hunc numquam videre agrum, habitam. i) Itaque, cum nec ad *Volgam*, nec Maeotim comperiamus *Bulgaros*, eos suae videamus domi. Ex Latinis ante Marcellinum Comitem Illyrici, qui sub Iustiniانو M. florebat, nemo *Bulgarorum*, quod sciam, meminit. Paullum enim Diaconum, *Bulgaros* ad an. 392 k) in Germania

memo-

a) Vid. Cl. Pray Annal. Hunn. ad an. 635, p. 253.

b) Vt Bayero p. 72, Prayo l. mox c.

c) Vid. Schloez. p. 522 seq. p. 526 vbi Nicephori *μεγάλη Βαλγαρία*.

d) Conf. Niceph. ap. Schlöz. p. 526.

e) Zonar. quamquam recentior, vtpote secul. 12, clare tamen *Bulgaros* ab *Hunnis* distinguit. Nam de Anastasio agens, idem, ait, *murum longum condidit, a magno mari ad Selybriam vsque pertingentem, ob Mysorum seu Bulgarorum, et Scytharum incurstonem*. Vid. Pray. Annal. Auar. p. 203. Vbi nota, *Mysos* dici *Bulgaros*, vti ab Theophylacto Getas *Sclauos*. de hoc vid. etiam Schlöz. p. 363, 364. Hos *Mysos* adpellat Iornandes (L. 50, qui circ. an. 552 scripsit, vid. Kercsel. prael. p. 28) *Sarmatas* et *Cemandros* ad castrum Martenam. Ab his *Sarmatis* ait Theodemirum accepisse *Singidunum*; quos sub aduentum *Auarum* *Bulgaros* adpellatos clarum est.

f) Cap. VI n. 23.

g) Vid. tamen Schlöz. p. 347 not. 7.

h) Schloez. p. 358 not.

i) Mirabar Taube *δοτοκτην* scriptorem, idem errasse, et reprehendisse adhuc *Geographos*, qui id omisissent, P. I § 1. Müllerianae pleraeque habent.

k) Kercsel. Prael. p. 29 arbitratur an. 486.

memorantem, a) vti e suo tempore locutum, sic eo quidem loco hallucinatum arbitror. Quid enim Bulgari cum Longobardis, tum ad Balticum degentibus, b) habere poterant? Apud Marcellinum occurrunt primo ad an. 490, c) quo Thracias incurfasse feruntur. Saepius deinde memoria eorum redit. d) Sed neque Marcellinus, neque Sigebertus, e) neque alius quisquam eius aetatis Latinus scriptor Bulgaros ab Volga deducit. Omnia iis ad Istrum referuntur. Vt heic nomen quoque gentis huius enatum videatur. Bulgari se et hodie *Bolyarios* nuncupant, quod *optimates* vult significare; sed et nos *melioris notae* seu ciues, seu alios quoscumque, sic nominare solemus. Eadem adpellatione prioribus quoque seculis vsi fuere Bulgari. Olaho teste, qui Bulgaros bene nouit, Valachorum etiam optimates *Bojarones* (Boljarones) f) dicebantur. Valachos autem Dacorum insedisse agros, ab iisque multa cooptasse, supra iam insinuatum est. g) Anonymus Belae regis Notarius, nobiles *Billa* et *Bocsu* ex terra *Bular* ad Toxum ducem venisse perhibet; h) quod nomen, optime conseruatum, Bulgariam designare non facile quis dubitarit. Id notandum *Bular* (Bolar, u pro o auctori familiare) absque littera *g* dici, quae cum apud alios compareat scriptores, ad emolliendum *l* seruisse tum quidem videtur; certe pro *j* nostro saepe vsurpatum *g* est, vti in *Bayıbapıta* quoque videbimus, et hodie etiam Poloni Bohemique vtuntur; sed et Germani apud nos pro *gy* molli in dictionibus domesticis, et in Latinis quoque ante *e* et *i*, vt *j* exprimunt. i) Vt adeo domi natum Bulgarorum vocabulum, non apud *Volgam*, existimes, et iam olim quidem; sed tum primo auditum, cum Dacorum Mysorumque nomen in monumentis negligi coepisset, seculi quippe quinti fine, ad gentium barbarorum migrationem. Plura, quae ab aduersariis oggeruntur, quia minoris sunt momenti, non attingimus. Illud tamen mirari subit, qui tam repente Bulgari agros adeo amplos, quibus postea deprehenfi sunt, occupare potuerint, gens antea, vt aiunt, ignota, et socia dumtaxat Hunnis Auaribusque, ac eo quidem tempore, quo Auares in primis suas extendebant ditiones. Omnes Bulgarorum motus ad ostia Danubii fuisse, prioribus seculis, nouimus; quando ergo ad Sauum delati? k) Et quare hi Bulgarorum a Volga duces *septem illas Slauorum* gene-

-
- a) Ad fluiuium *Lamam*. Vid. Seuer. Pann. Illustr. p. 298 Conf. Pray Ann. Hunn. p. 254.
 b) Seuer. l. c. Conf. Comment. p. 76 not. a.
 c) Ioanne Gibbo *Cof. solo*.
 d) Vid. Pray Annal. Hunn. p. 254 not. l.
 e) Chron. ad ann. 487, vid. Pray. l. c.
 f) Hung. L. I Cap. XII, p. 58.
 g) Cap. VII num. VI.
 h) Cap. LVII. Conf. Katon. Hist. Duc. p. 476. Salag. L. IV p. 429.
 i) Vt *Jerminus* pro Germanus, *jere* pro *gyere*, *Juro* pro *Gyuro*, cet.
 k) Ab Scoto, Cassiodoro, ad an. 504, Hermanno 502, Theodorico in Italia regnante, Sirmium tenuisse dicuntur, quo misso Pezza priuati, non pulsi. Vtique iidem fuerint,

generaciones, quas a Bulgaris Theophanes heic (in Myſia) deprehensas ad ann. 679 memorat, a) fere neglexerunt? Si ab hoc tempore Bulgarorum, dextro Istri latere, dominatio incoepit, quinam ii fuere Slaui ad Istrum ante Bulgaros? Septem harum generationum stirpis Slauae huc aduentum nemo e tota retro antiquitate meminit. Slaui in Thraciam, ac Macedoniam et Illyricum procurſiones nouimus; certam aliquam immigrationem, nuspiam. Et ita Slaui ab Graecis iam quinto illo sextoue seculo in suas incurſiſſe prouincias memorantur, vt eos meridionali ripa Danubii iam tum degiſſe intelligas, quin vllum tranſitus e ripa aduerſa ſignum obſerues. Sed quis non videat, Bulgaros Theophanem pro Hunnis dixiſſe? b) *Slauios* autem, quos Bulgari heic deprehenderant, veteres quippe indigenas, idcirco ſic ab Graecis nuncupatos, quod nutantibus imperii Graeci rebus ſe in libertatem reſtituere conati ſunt; quod et Macedoniae, et Peloponneſi, vt memorauimus, incolis factum: cum alii ex eodem Slauium genere, qui Graecis parerent, *Illyrii* ac *Romani* nuncuparentur; cuius rei plura vel apud Conſtantinum habemus indicia. Cuius porro hi Slaui originis fuerint, poſteri eorum et lingua demonſtrant. Quid demum eſt, quod ab ſeculo octauo in Sirmienſi quoque agro, et in ripa Danubii aduerſa, vniuerſa pene Iazygum veterum terra, *Bulgari* comparent? Quis eorum huc aduentum vsquam recensuit? c) Memorantur ii ſub duce *Salano*, Glado, ac *Menumorut*, vt Hungariae Tibiſcanae filii et indigenae. d) Vt qui ſe, collapſis Attilae rebus in libertatem reſtituerint; quamquam et huic vniuerſi paruiſſe non videantur. Sed ſatis iam de Slauiſ Bulgaris. Videamus Croatas, Serblosque.

XXI. Magnas heic rurſum concertationes, ac ſaepe ad rauim vsque, et Satyras, et apertum pene Martem, videas; quae tamen non niſi verborum velitationes, ex non bene diſcuſſis rerum monumentis ortae, videri poſſint. Nos vti veritatem, cum decoro atque honeſtate propoſitam, ſumme diligimus, ita Satyras, a Poeti ad Historiam peſſime traductas, vehementer odimus. Neque enim quidquam turpius in homine eſſe arbitramur, cui immortalis dii mentem dedere virtuti colendae, quam conuiciis pro laude, odio pro amore vt, atque adeo ab ipſa deſciſcere natura. Et quid inane magis et abiectum, quam haec arma eo arripere.

fuerint, qui circa Singidunum, indigenae, quos Iornandes compellauit *Sarmatas*. (Vid. pag. ſuper. Pray Annal. Auar. p. 235.) Menander *Bulgaros* et ſcriptores Franci, ceteri *Sclauos*, et Chrobotos demum, Serblosque, nuncupant.

a) Ap. Pray Annal. Auar. p. 263, not. X.

b) Stritter. ap. Schloezer. p. 358 not.

c) De Cubrati filiis fabulam ap. Pray Annal. Auar. ad ann. 667, vide. Abſque fundamento teſtimonioque veterum adfertur. Conf. Indag. Croat. patr. et ſpecim. Philol. L. I.

d) Vid. Cl. Katona Duc. Hung. ſp. 26. Salag. IV p. 401. et Anon. Cap. XXV in primis.

ripere loco, vbi, non quid ipse dicas, sed quid ii, quos e vetustate adfers, dixerint, aestimari solet. Quod si antiquae vesti decorem addis, eam tu facilius vendes; sin eam magis contaminas, verendum, ne vllum vquam, in primis rei peritum, emtorem habeas; praesertim quod vetustas per se ipsa, quanto remotior a nobis est, tanto minus placere soleat, ni eam noua eaque non ineleganti forma induas. Sed ad rem. Croatarum sedes primo videamus, postea visuri Serblorum. Ante annum 949, quo scripsit Porphyrogenitus, *Croatarum* nomen auditum non est. Hic autem narrat, a) Chrobatos, *Χροβάτους*, sub Heraclio (non exprimit quo) ex agris vltra Bagibariam, *Βαγιβαρείαν*, ac Turciam, prope Franciam, sitis, quinque fratrum, duarumque sororum contubernio in Dalmatiam venisse, vbi cum deprehendissent Abares, bellum per aliquot annos cum iis gessere, donec vicissent, sibi que partim parere iussissent, partim gladio dedissent, occupata eorum prouincia. Haec est narrationis sententia, e cuius genuina expolitione, vt doctissimus quoque Schlözerus obseruat, b) nativae Croatarum sedes dependeant. E geographia in primis hanc quaestionem dirimi debere, nemo non videt. Itaque Turciae fines prope Franciam quaerendi, et in iis *Βαγιβαρεία*. Fines Hungariae, quam Constantinus *Turciam* nuncupat, ad occasum *Francia*, seu Germania erat, nostro alias *Saxonia* quoque dicta, c) latere quidem Danubii laeua ad Marum amnem, dextro ad Moelicum Austriae inferioris oppidum; d) inde pone Erlasum ad Cetii iuga, horumque in austrum decursu ad Croatos. Pars ea Norici ripensis, quae ab Cetio ad Anasum est, *Bajyaria orientalis* Constantini aeua dicta, e) in Auarum fuit potestate, cum Croatae ad *Βαγιβαρείαν* fuisse memorantur, Heraclii scilicet aetate. f) Itaque, si e tempore Constantini loquaris, Franciae limes Turciaeque ad Danubium Erlaphus erat, fluuius *Bajoariae*, tum iam *Osterryckiae* g) (*Ostryck*) nuncupatae, communi autem vocabulo *Turciae* Graecis; reliquum ab Erlaso ad Onasum et porro *Bajoariae* nomen retinuit. Sin ex aeua Heraclii sermo institui

a) De adm. imp. Cap. XXX, seq.

b) Hist. Sept. p. 539 not. 53.

c) l. mox c. Conf. Katona Hist. Duc. p. 331.

d) V. d. Katon. l. c. p. 338 seq.

e) Comprehendebat etiam Pannoniae superioris partem, Cetio, Danubio, et Arabonis alueo clausam. Salag. IV, p. 348 seqq. *Bajoariae* nomen seculo V audiri coepit. Synop. H. Germ. L. I P. II § 9, p. 80. Tota porro *Bajoaria* postmodum *Francia orientalis* audiit. Regnum *Bajoariae* bifariam diuisum erat: *Orientali*, Noricum ripense, Auaria, Pannonia superior ad vsque Danubium in parallelo Balatonis lacus; *Occidentali*, cui dux *Carantani* praeerat (priori dux *Osterrichiae*) *Carantanum* cum occidua *Bauariae* parte, Pannonia inferior ab Arabonis parallelo cum *Sauia* adensa; (adde *Liburniam*, *Dalmatiam*, *Istria*, *Forum Iulii*, ad *Francicum* regnum, Luc. p. 53) vid. Salag. IV, p. 245 seqq.

f) Pray Annal. Hunnor. Part. II p. 264.

g) Sub an. 799 id nomen accepit. Vid. synop. H. Germ. L. I p. 106, edit. Vien. 1751¹ Conf. Topogr. Austr. p. 3.

institui debeat, fines *Hunniae* seu *Auariae* (sic enim tunc orientalis *Bajoaria* vocabatur) Franciaeque et *Bajvariae* apud Anasum erunt. a) Quamquam *Bajoaria* seu *Bauaria* in laeuam quoque *Danubii* ripam sit postmodum egressa, sed nomen prouinciae vti originem accepit, sic vsus quoque, apud remotos in primis, quales Graeci erant, in dextra fluminis ripa. b) Heic igitur et *Χροβαίτους* quaerere necessum erit. Quid enim aliud *Βαγυβαρεία* Porphyrogeniti est, quam Francorum *Bagwaria*, *Bagyaria*, c) *Bajoaria*, aut *Bagoaria*? d) Suadet aetas virorumque eadem, suadent loca, non aliud Caesaris *Βαγυβαρείαν* esse quam *Bagwariam*, seu, vt hodie dicimus *Bauariam*; suadet ipsa vox graeca, quae secundum nostram exprimendi rationem *Bagyariam* sonat, *iotta* elemento *gamma* subiunctum non otiose, sed ad hoc emolliendum, vt consonae *j* fere vim obtineret, qua seculis prioribus utebantur, *Bajoariam*, e) *Bojoariam*, *Bajwariam* scribentes. Huic ab austro contigua fuit *Quarantanorum* seu *Carantanorum* prouincia, ab *Sclauis Carantanis* hoc adpellata vocabulo, quam et *Sclouoniam* et *Sclauiniam* eius aetatis scriptores nuncupauere. f) Comprehendebat ea *Styriam*, *Carinthiam*, *Carnioliam*, partemque bonam *Tyrolis*, g) et *Bauariae* cis *Danubianae*, vt has hodie nuncupamus ditiones. Aetate *Constantini Sclauonia* haec ad solis ortum *Pannoniam* habuit *Dalmatiam*que, (huic enim accessit *Liburnia*) a meridie *Istriam*, ab occasu *Italiam*, a borea *Bajuariam*, *Francis* proximam. Si iam haec *Sclauonia*, Porphyrogeniti *Crobatia* non erit? Certe quidem ultra *Turciam* est *Bagyariam*que et prope *Franciam*. Faciliusque et commodius heic statui, mea quidem sententia, poterit, quam ultra *Carpatos montes*, quos nomine *Babja gora* (sic enim *Βαγυβαρείαν* exponunt) omnis retro ante *Lucium* h) antiquitas ignorauit. Sed et το ὄρος oportebat scriptorem expresse ponere, si montem is per *Βαγυβαρείαν* significare voluisset, in primis quod vna dumtaxat vice in textu occurrit. Et, vbi, quaeso, trans *Carpatem Croatiae* nomen? Nemo, quantum equidem sciam, seu ante, seu post *Constantini* tempora, *Croatas in Sarmatia* posuit. Scriptores *Franci*, quibus *Croatae*, vtpote vicini, notiores esse debebant, quam *Graecis*, *Behemos*, *Behemantos*, *Marahenses*, *Wilczos*, *Siuslos*, *Polonos*, ceteros, i) memorant,

a) Idem *Diatr.* p. 49, seqq.

b) Coepit enim quinto seculo, inter *Licum*, *alpes*, et *Anisum*; promotis postea in orientem sedibus, vel nomine potius. Vid. *Synops. Hist. Germ.* p. 80, 106.

c) Vid. Auctor. de *Conuers.* *Bajoarior.* ap. *Salag. E. P. L. IV* fin.

d) *Epist. Gregor. Pap. ad Viuulum seu Addam*, ad ann. 737. ap. *Salag. L. IV C. II*, p. 205.

e) Iam ad an. 740, *Bajoaria*, *epist. Greg.* ap. *Salag. IV* p. 204.

f) Idem *Anonym.* l. c.

g) *Carol. Granell. Topog. Austr. Styr. Carint. Carniol. Tyrol. Praeff. et passim.* *Salag. I* p. 127.

h) *Regn. Dalm. et Croat. L. I Cap. XI.*

i) Vid. *Pubits. Chron. Slauo-Bohem.* p. 236, quem virum, vt ab *Carpate Croatas* in *Illyricum* deducat, mire se torquentem videas; neque tamen vel hilum proficit, cum.

rant, nulla in his locis *Croatarum* mentione facta. Secus vero australi Danubii latere factum, vbi *Carantanorum* nomen saepiculae occurrit; qui, cum a nostris *Korotani*, *Korusci*, et *Krajnci* hodie quoque dicantur, prisca *Croatarum* seu *Chrobatorum* vocabuli vestigium, non modo patriam, retinere videntur. a)

XXII. Atque hanc ego πολλήν χώραν, *multam* existimo *terram*, quam Βελοχρωβάτοι Constantini, id est, vt interpretatur ipse, ἄσπεροι χρωβάτοι, *albi Chrobati*, tum Francis subiecti, tenere, vnde quinque illi fratres in Dalmatiam concesserint. Nam si ea, vt Caesar inquit, *multa*, seu *ampla* erat, et *vna* dumtaxat *familia* patrias reliquit sedes, has indigenae ceteri cum gentis vocabulo tenuerint, et ad posteros transmiserint. Quis autem sic in patriae rebus peregrinus est, vt iuga *Cetii*, Hungariae proxima, et *Caruanae* adcolentes, *Harvatos* appellari nesciat? Quidquid Pannonia olim superior inde a Danubii ripa ad montes vsque Albios complectebatur, occupant posteri Pannoniorum, se se *Horvatos*, *Harvatos*, *Haryatos* compellantes, b) ab Germanis, borealia in primis tenentes, hodie quoque *Wasser Krobaten* vocati. Plus dicam. Laeuo Draui latere, inde a Mura ad Istrum vsque, gens Illyrica, in oppidis praesertim, quamquam Bosnenli vtriusque dialecto, se tamen *Horvatos* nuncupat. Sed huc eos immigrasse posteriori tempore, dices, in primis e Bosnia nobis vicina, quod et vocabulum germanicum *Bosner Kroat* (sic enim *Wasser-Kroat* inflectunt) probare videatur. At, quidquid de *Bosner-Kroat*, quam Germani vocem *Wasser-Kroat*, efferunt, fieri velis, ni hanc e monumentis probas huc immigrationem, non modo de vniuersa gente, sed et de *colonia* tibi negaui. Et quam dabis causam, cur ipsi se non *Bosnenses* potius, quam *Horvatos* nuncupent, si Bosnenlium coloni dici debeant? Sunt in dynastia Valponensi pagi quidam, vt *Ladimirovci*, *Radikovci*, *Golinci*, qui et ab se, et ab aliis *Boshnyaci* hodie vsque vocantur, quales et loquendi ratio esse arguit. Ecce trans Drauum nemo id vocabuli vsurpat? Sed aliam equidem huius rei causam video, quam postea depromam. Croatas persequamur. Mihi Constantini de Croatis verba consideranti, eaque cum scriptoribus synchronis conferenti, id in mentem venit, vt *magnam* eius *Croatiam* non aliam esse putem, nisi Latinorum *Sclauoniam*; non tamen hanc vniuersam, sed *Caruanae* montis (a quo *Haryati* fortasse) c) *Cetii*que iuga spectantem, atque adeo eam Norici mediterranei, Pannoniaeque superioris partem, quae ab Anasi fontium parallelo

cum nullum praeter coniecturas adferat argumentum. Nescio autem, qui p. 859 sui pene oblitus, *Pannoniae Sclauos* e Constantino *albos Croatas*, dixerit.

- a) Non adferimus: poterant enim a *Caruana* etiam *Haryati* dici; et fortasse *Karantani* quoque inde vocati.
- b) *Croatas* in Comitibus Hung. *Moshoniensi*, *Shoproniensi*, *Castri ferrei*, *Szuladiensi*, *Shimigiensi* poni praeter alios, vid. ap. Schlöz. p. 249. Conf. Bel. Comp. Geogr.
- c) Erat et *Carauantius*, Gentii Illyriorum regis filius. Liu. XLIV C. 30. Conf. supr. p. 131.

rallēō ad Albios vsque montes, a) Dalmatiam a Pannonia hac sēcernentes, pro-
tenditur, partemque Styriae, Carinthiae, Carnioliae, ex altera parte Hungariae,
Croatiā vero totā comprehendit. Quod si ostendo: aequum adeo mihi lecto-
rem fore existimō, vti *Ἰστρογενίτης* Porphyrōgeniti natiuis adhuc extare sedibus,
neque Sarmatiam vīquam vidisse, censeat. Sic autem id efficio. Franci, quibus
Croatas vicinos ac subiectos etiam ipse Constantinus facit, quāquam cum Sclauis
multa habuerint, Croatarum tamen ne semel quidem meminere. Quis autem id
circo hos iis ignotos putauerit? Sane, *multa ea terra*, quam proximi Francis Croa-
tae possederant, non potuit scriptoribus illorum non esse cognita. Sed alio videli-
cet nomine. Videamus itaque, cum *Ἰστρογενίτης* Caesaris gens fuerit *Sclauica*, qui-
nam *Slavi* Francis ad *Βαγισβασιάν* Turcisque contermini existerint; et vtrum ante
Heraclii tempora (nam et hoc ad quaestionem pertinet) heic illorum comperiat
nomen. Constantini aeuo, vt non ita pridem memorauimus, eius regionis, quam
hodie Styriam, Carinthiam, Carnioliam dicimus, incolas *Carantanos*, *Carentanos*
Quarantanos, et ad nostrum propius sonum, *Carinthinos*, b) *Sclauos* fuisse nun-
cupatos, nullum iis, qui Francicos legere scriptores, dubium esse potest. c) *Scla-*
uoniae quoque nomen iam ante vsurpatum erat, complexum non dictas modo pro-
uincias, sed Pannoniam insuper ad Danubium fere. Vnum liceat prae ceteris, co-
aeuum et adcuratum scriptorem, Anonymum, qui circiter tertium ac septuagesi-
mum seculi noni annum, d) insignem de *conuersione Bajoariorum et Carantanorum*
scripsit libellum, hunc, inquam, liceat proferre in medium. Is igitur addu-
ctis, quae circa ann. 803 contigerant, de Arnone episcopo Iuuauensi acturus,
Arn episcopus, ait, e) *successor Virgilii, sedis Iuuauensis deinceps curam gessit*
pastoralem, vndique ordinans presbyteros, et mittens in Sclauoniam, in partes
videlicet Quarantanas, atque inferioris Pannoniae, illis ducibus atque comitibus,
sicut pridem Virgilius fecit. Pannonia inferior, tempore Anonymi, comprehen-
debat Valeriam, et Sauiam vniuersam, id est, quidquid Sauum inter ac Drauam
Rhabanque fluuios esset, (quod in compendio apud Cl. Salagium videas, f) e
X 2 . Fran-

- a) Pannoniae quoque partem *Carantani* vocabulo, ex Reginone, comprehendit Salag. L. II p. 74 seqq.
- b) Ita vocat Anon. Belae reg. notarius Duc. Hung. Cap. 44, 50.
- c) Vid. etiam Salag. E. P. L. IV p. 358 seq. L. I p. 127. vbi aperte Croatas Carantanis accenseri videas et lingua et gubernio. Conf. L. II passim.
- d) Eius auctoritatem insigni cum laude lege ap. Salag. IV p. 356. Conf. Obseruat. in eumd. fin.
- e) Num. XIV.
- f) Eccl. Pann. L. IV. Cap. VI num. 2 seq. Conf. Cap. II n. 34. Sed non sat clare hos limites proposuisse videtur: non enim intelligis, vtrum ab ostio Rhabae, an a decursu, Pannonia inferior sumat initium. Existimo itaque decursum Rhabae maxime australem spectari debere, lineamque hinc ad Danubium per Balaton lacum duci, quae nouam Pannoniae diuisionem faciat, borealis quippe, australisque, quarum priorem Franci *superiorem*, hanc vero *inferiorem* dixere.

Francis scriptoribus probatum) a) ducta a fontibus Onasi seu Anisi per Balaton lacum Hungariae ad ripam Danubii linea. Quod hinc in boream spectabat ad Cesium Danubiumque, *superior Pannonia audit*. Hoc itaque terrae spatium initio seculi noni *Sclauonia*, citra dubium ab Sclauorum gente, quae hanc inhabitabat, nuncupabatur. Quamquam enim heic de sola *inferiore Pannonia* scribat Anonymus, non tamen ab Sclauoniae vocabulo excludit *superiorem*, quam Lauriacenses tum procurarant, cum ipse de Salisburgensium seu Iuuauenium dumtaxat iurisdictione, quae per *inferiorem* patebat, verba facere instituerit. b) Profecto eandem prouinciam idem incoluerit populus. Cum porro circa Danubium consistamus, antequam ad reliquam progrediamur Sclauoniam, haud inutile fore putamus, si, quinam altera Danubii parte tum coluerint, paucis indicauerimus.

XXIII. A flumine Albi ad Vistulam in mediterraneis adusque Danubii ripam, et pone hanc ab saltu Hercinio ex aduerso Norici ripensis Pannoniaeque superioris, tum iam *Osferrichiae*, ad Marum (*Maroa*, c) hodie *Morauia*) amnem, *Bohemanni*, alias *Boëmani*, d) Boëmi, e) hodie Bohemi. A Maro Tibiscum versus, pone Danubii ripam ad Vacium fere, *Marahani*, *Morauenses*, *Margenses*, *Maraci*, quorum patria *Marauia*, *Marayna*, f) montis Carpati in primis iuga tenuisse videntur. Inde a Danubii in meridiem flexu, quidquid ad ostium Tibisci camporum est, *Bulgari* habuere; g) sed et vltiora ad Savi ostium: h) inde vero vtramque Danubii ripam, dum hic per septem alueos in Pontum deuehatur. i) Mediterranea Seruiae hodiernae, in quibus Dardaniam posuimus, et Bosnam ad Verbas fluuium, *Serbli* alias *Serbuli*, k) *Seruii*, l) Graecis; *Romani*, *Sorabi*, *matae*,

-
- a) Ultra Savi australem ripam extendit Salagius. Supra Vnnam concesserim; infra ad ostium Savi vsque, nescio: Serbli enim, Graecis obnoxii; heic fuere. Vid. Luc. p. 52.
- b) Vid. num. VIII, et passim. Conf. Obseru. in eumd.
- c) Sic adpellat Anon. Belae not. Duc. Hung. Cap. LVII.
- d) Eginhard. ad ann. 791, 805. *Behemantos* vocat. Idem in vita Caroli M. *Boëmanos*. Regno ad an. 890 *Behemenses*, (Conf. Salag. E. P. IV, p. 406 seqq.) et *Bohemos*.
- e) Anon. Belae regis l. c. et a C. 35 passim.
- f) *Marahani*, *Marahenses* ap. Franc. Annal. vti Fuld. ad an. 871, vbi ad an. 846 *Margenses*. *Morauenses* epist. 107 Ioann. VIII. ad Sfontopulchr. *Maraci* epist. Episcopp. Bojoar. ad Ioann. IX. *Maraua* epist. 89 Ioann. VIII ad Twentarum. *Morauia magna*, Porphy. adm. Imp. Cap. 13. hanc is Turcis *ad meridiem* ponit, pro borea. Vid. Katon. Duc. p. 333. E Pannonia excludit Salag. E. P. IV C. VII p. 401 seqq.
- g) De ripa laeua Anon. Belae nos dubitare non finit a Cap. XII. Conf. Katon. Duc. ad an. 893. Dextram olim tenuere, vid. supr. n. XX. Ab ostio Savi Salag. IV p. 386. Katon. Duc. ad an. 894.
- h) Vid. Anon. Belae a C. 28. 38. Conf. Katon. Salag. II. cc.
- i) Praeter alios Anon. mox citatum vid. passim.
- k) Porphy. Imp. adm. C. 31.
- l) Cinnam. L. III ap. Luc. IV C. 3.

Latinis, a) nuncupati colebant. Dalmatiam a Drino ad Cettinam *Romani*, *Dalmatae*, (quod in fide Graecorum, qui tunc Romani vocabantur, vnde et *Romania*, perstitissent) inde ad Sauum Drauumque et Istriam *Chroboti Χρωβάτοι*, b) seu *Chrouati*, *Χρωβάται*, *Κραβάτοι* c) *Χορβάτοι* d) Graecis; *Sclau*, *Sclauini*, Latinis. *Carantanos* horum in Graecis reperire non est; quos tamen *Βελοχρωβάτους* Constantini arbitrati sumus: certe vicini Croatis Dalmatiae erant ad austrum, vti *Bagjbariae* ad Boream. Quis iam ex hac periphrasi non vidat, *Chrouatos* Graecis eos hac fuisse aetate, quos Latini adpellabant *Sclauos*? e) Quamquam in Graecis dentur, qui *Sclauinos* compellarint, vt postea videbimus. Hoc insuper heic notatum velim, praeca prouinciarum cum nouis occurrere vocabula, vti Pannoniae, Daciae, Myliae, Dalmatiae, Liburniae, Istriae, Norici; sed quarum rü situm ac diuisionem caue e Romana traxeris aetate. Vniuersa enim haec, maxime quod limites adinet, hac aetate perturbata videas. Vt non sine caussa nemo sit adhuc repertus, qui Geographiam *aeui*, vt aiunt *medii*, plenam nobis dare potuerit, vti Cellarius *veteris* dedit. Quem virum, si nobis fata non inuidissent, forsitan et huius effectorem laboris (coeperat enim) habuissimus. Conabimur tamen nos *Illyricum* aeui quoque *medii*, quantum in nobis erit, e tenebris eruere. Iam, vt Sclauos persequamur, Francorum aetate, seculo quippe nono, non in Carantanis modo, quos Franci *Sclauos* ad meridiem primum cognorant, sed in Pannoniis quoque, et Liburnia, et Dalmatia, tamquam *natiuis sedibus* comperimus. Certe quidem Franci eos huc adduxisse non leguntur. Et quos Carolus M. in prouinciis Pannoniae vtriusque, Daciae, Liburniae, Histriae, Dalmatiae, deuictis, *tributarios fecit*, vt Eginhardus memorat, f) nisi incolas? At nos fuisse Sclauos vidimus. Quid? Vbi Auares erunt, Hungarique? Hos, inquam, vti Hunnos olim, Gothos, Gepidas, Longobardos, his in prouinciis aduenas nouimus; g) res heic nobis de indigenis est. Quousque Caroli aetate *Sclauoniae* patuerit nomen, ex haecenus dictis colligere licet. Ante Carolum tenuere Pannoniam (in occasu) partemque Norici Auares, inde ab anno pene 600 ad 791, quo Carolus eos partem subigere, partem exterminare coepit. Hoc temporis interuallo Sclau in sedibus haecenus memoratis comperiuntur. De tractu Cettii Caruancaeque loquar. Anonymus scriptor de conuersione Carantanorum, supra laudatus, id prae ceteris probare videtur, dum populum, qui de Hunnis et Sclauis manserat, Arnoni episcopo Pipinum Caroli filium commendasse scribit. Locum

a) Eginh. ad an. 816, 822, seq.

b) Constan. l. c.

c) Zonar. p. 228.

d) Cedren. p. 717, ap. Schlüz. p. 538. et p. 388 *Χρωβάτοι* ex Nicep. Brienn. L. III.

e) Quod cum Cl. quoque Salagius Eccl. Pann. L. IV C. VI n. 4. agnouisset, mirens virum doctum vitro in sua de Croatis sententia perstituisse, idque pertinacissime.

f) In vit. Carol. M. Tom. II script. Franc. p. 99. ap. Salag. IV p. 348.

g) Vid. supr. Cap. VI fin.

cum adferre libet integrum. „ Igitur anno (796) *inquit*, misit Carolus Pipinum filium suum in Hunia cum exercitu multo, qui perueniens vsque celebrem eorum locum, qui dicitur Rinch, *a*) vbi iterum omnes eorum principes se reddiderunt Pipino, qui inde reuertens partem Pannoniae circa lacum Pelissa inferioris, *b*) ultra fluuium, qui dicitur Rha, *c*) et sic vsque ad Drauum fluuium, et eo vsque Drauus fuit in Danubium, prout potestatem habuit, praenominauit cum doctrina et ecclesiastico officio procurare populum, qui remansit de Hunis et Sclauis, in illis partibus, Arnoni Iuuauensium episcopo.“ *d*) Quid nomine *Hunniae* (quae et Auaria) et *Pannoniae inferioris* sit Anonymi aetate acceptum, paullo memorauimus ante. His itaque prouinciis cum Hunnis (Auaribus) Sclaui habebant, vt quise cum illis Francico subiecerint dominatui. Et facile quidem Sclaui Pannoniae Carolo morem gessere, partim quod Christo iam olim nomen dedissent, partim quod intolerabili Auarum iugo pene oppressi forent. Paulo post memorat Anonymus, *e*) ab Arnone presbyteros in *Sclauoniam* missos, vt retulimus ante, *sicut olim Virgilius fecit*. Atque adeo *Sclauorum* in Carantanis Pannonisque nomen iam sub Virgilio, qui ab anno 767 Salisburgensem ecclesiam moderari coepit, audiebatur, Hunnis tum maxime heic (in Pannonia) dominatum exercentibus. Vbi obserues, velim, non ad Hunnos Virgilium, sed ad Sclauos misisse Presbyteros, quod hi iam ante Christiani fuissent, Hunni vero ethnici. Id quoque hinc elici videas, non bene quosdam ex iis Anonymi verbis: *f*) *Sclaui post Hunnos inde* (ex Auaria) *expulsos coeperunt istis partibus Danubii diuersas regiones habitare*, non bene, inquam, opinari quosdam, *g*) tum primo Sclauos, cum Auares armis Caroli profigaretur, his coepisse habitare locis, cum alibi eadem vsus phrasi, *coeperunt*, *h*) ait, *populi suae Sclaui, vel Bagvarii inhabitare terram, vnde illi expulsi sunt Hunni, et multiplicari*. Bajvarios autem in Gepidis (Germani quippe erant vtrique) hac sub Hunnis quoque perstitisse regione, ipse alio commemorat loco, *i*) dum *inquit*: „ Post annos natiuitatis Domini 377 et amplius Hunni ex sedibus suis in aquilonali parte Danubii in desertis locis habitantes, transfretantes Danubium, expulerunt Romanos, et Gothos, atque Gepidos; de Gepidis autem quidam adhuc ibi resident.“ Et quo Virgilius pacto ad Pannoniae Sclauos mittere presbyteros poterat, si hi sub Arnone primum colonias huc deduxere? Illud itaque *coeperunt habitare* non aliud significare putem, quam, qui ante graui Auarum iugo preme-

a) Ring, quod cuiusmodi fuerit munimentum, vid. Pray Annal. Auar. p. 280.

b) Platen-See, i. e. Balaton. Vid. Salag. IV p. 380.

c) Rhaba, Arrabo.

d) Num. XIII.

e) Num. XIV. Vid. supr. num. XXII huius Cap.

f) Num. XII fin.

g) Pray Annal. Auar. p. 280. Salag. Eccl. Pann. I, IV p. 452.

h) Num. XVII.

i) Num. XII fin. Conf. num. VIII.

premebantur, hoc excusso, *liberi sub ducibus propriis*, Regibus Francorum obnoxii, *terram sibi patriam habitare coeperunt.* a) Sed ante Virgilium quoque his se continuere Sclawi sedibus.

XXIV. De Roundberto (Ruperto) Sclauicarum his partibus gentium Apostolo, Wormatiensi antea Episcopo, ab Ottone Duce in Bagwariam vocato, b) sic laudatus scriptor Anonymus: „ Praefatus itaque dux sancto viro concessit licentiam, locum aptum eligendi sibi et suis, vbiicumque ei placeret in hac prouincia Ecclesias Dei construere, et cetera ad opus Ecclesiasticum habitaculum perficere. Tunc supraddictus vir Domini, accepta licentia, per alueum Danubii vsque ad fines Pannoniae inferioris spargendo semina vitae, nauigando iter arripuit, sicque tandem reuertens ad Lauriacensem peruenit ciuitatem.“ c) In Pannonia tum (quamquam haud vniuersa) dominabantur Hunni, *Auares* nuncupati, quibus, cum ethnici essent, Roundbertum praedicasse Euangelium credibile non est; vt qui et Sirmiensem et paullo post Laureacensem desolarint ecclesiam. d) Itaque Sclavis, sub immani barbarae gentis iugo gementibus, pastoreque suo viduatis, vitae semina sparserit in Pannonia Roundbertus. e) Sed qui hic, fortasse quaeres, alueo Danubii, populo Abarum infessi, tam securum iter habere potuit? Aio, id pluribus fieri potuisse modis. Cum enim indigenae numero aduenas superarent, facile pastorem euangelicum clam per prouinciae fines deducere poterant. Nihilominus, cum hoc iam tempore gentis feritas non nihil imminuta videatur, inde ab Samonis, gloriosi Carantanorum ducis, aetate, palam quoque id a Roundberto factum opinari possis. Haec Annales Boici ad initium seculi VII referunt, f) Anonymus noster ad finem. g) Medium inter vtrumque tempus celebre illud *migrationis Croatarum* a Carpate, si diis placet, ad proxima Adriae loca, occurrit. Sed velit haec innumera gens (quinque scilicet fratres, duaeque sorores) suis se continere iugis, dum ei in Dalmatia locum paremus. Prosequamur interea sermonem coeptum, paullo post ad hanc redituri aetatem. Anonymus noster, de conuersione Carantanorum acturus, narrat Samonem quemdam Sclauum, in Quarantanis ducem, ob caesos Dagoberti Francorum regis negotiatores, pecuniaque regia spoliatos, bello a rege

ge

a) Quod ex eodem Anon. facile colligas, in primis num. XVII, quo duces harum partium, *Prinwilauunga*, *Cemicas*, *Ztoimar*, *Etgar*, Comitibus ab Carolo institutis obnoxii, enumerantur.

b) An. circiter 616.

c) Num. II, III.

d) Illam anno 580, quo Sirmium ceperant (Salag. IV p. 167) hanc an. 737, quo Lauriacum euerterant. (Salag. IV, p. 211) Itaque ante hunc annum possedisse Lauriacum non videntur. Sed Pannonia pridem iam sub Auaris fuit.

e) Adelzreit. *Annal. Boic. P. I L. VI ap. Pubits.* p. 266, ex Pannonia in Stiros et Carantanos profectum, Sclauicis populis fidem praedicasse, adserit. Aliter Pray ad ann. 696.

f) Venisse aiunt an. 616, mortuum an. 623. *Pubits. l. mox cit.*

g) *Ann. 693. Vid. num. VI.*

ge petrum victumue, et iure fiduciario subiectum. a) Aimoinus, scriptor seculi septimi circiter medium, b) atque adeo tempori huic proximus, rem eandem ampliori refert oratione, c) *Samonem genere Francum, Sclauorum, qui et Winidi, antea Hunnis Auaribus subiecti*, principem nuncupans. d) Sed nihil de subiectione Francis exhibita, quam noster memorauit Anonymus; quin victores eo quidem bello euasisse Sclauos, Francorum terras in Thuringiam vsque depopulantes, clare perhibet Aimoinus. Haec, cum anno 630 accidisse dicantur, praecessere Croatarum ab Carpate migrationem. Ante hos septem annos, Slaui Winidi Samone duce iugum Auarum, cui dudum subiecti erant, e) excussere; liberique per integros sex ac triginta annos, nullique subiecti, dum Samo viueret, patriam coluere. Hoc temporis interuallo, ab anno quippe 623 ad 659, cum prouincia Winidorum tuta sub duce foret, nulla horum migrationis causa subesse videbatur, quemadmodum nullius quoque meminere Franci. Sane, si qua id genus Slauium hac aetate, qua scripsit Aimoinus, haec accidisset migratio, eam ipse haud quaquam neglecturus erat. Sed hi Sclaui non fuere *Carantani*. Non fuere? Qui ergo? Germaniae Oderam inter et Albim ad mare Balthicum incolae. Quo auctore? Assemano et Prayo. f) Sed potior esse nobis Aimoini et Anonymi auctoritas, quam horum, habenda videtur. Sic autem suam de Samone orationem incipit Aimoinus: g) „Anno XL principatus Clotarii homo quidam nomine Samo, natione Francus, de pago Senonago, multos negotiatorum, mercandi causa, in Slauium patriam (qui etiam Vinidi dicuntur) secum deduxit. Slaui iam dudum Hunis (qui et Auares dicuntur) subiecti, dominationis eorum iugum detrectare tentabant.“ In primis, vt postea inquit, *quod quasi hiematuri (Huni) eorum aduentus domicilia, vxores ipsorum suis adsumebant socias stratis*. Ad Oderam igitur Vinidi? Vallabant Oderanos Behemanni, Bajwarii, Franci, non mediocri terrae spatio. Per hos ergo Hunnis qualibet hieme *ad Balthicum impune transire licuit?* Si machinas ii aerostaticas, quae hoc primum tempore a Gallis Anglisque cum successu fieri coepere, habuissent, dubitare quidem aut etiam opinari quis posset, adseuerare autem minime gentium; in primis, quod oram Balthici Auares numquam tenuere. Et quis Francorum, aetate hac, *Vinidos* apud Balthicum nouit? h) Australi Danubii

-
- a) Num. IX. Dagobertus regnauit ab an. 621 ad 643. plane Croatarum aeuo.
 b) Monachus Floriacensis, scripsit an. 654 Hist. Franc. libros IV. quintus, qui eius nomine fertur, ad seculum VIII et IX pertinet. Vid. Synop. Hist. Germ. L. I fin.
 c) Hist. Franc. L. IV Cap. 23. ap. Pubits. ad ann. 630, p. 218.
 d) Integrum vide locum ap. auctorem Chron. Slauo-Bohem. ad ann. 623 et 630.
 e) Ab anno circiter 600, aut paullo post. Vid. Seuerin. P. I. L. VIII Cap. IV seq.
 f) Vid. Pray Annal. Auar. ad ann. 623. Conf. ann. 630, 662, 690. Refutat eum Pubits. p. 213-219 seqq. p. 200 seq.
 g) L. IV Hist. Franc. C. 9. ap. Pubits. ad ann. 623.
 h) Eckardus *Venedos Slauios*, alias *Sorabos* dictos, cum Hunnis in Thuringiam procurrisse ad an. 563 memorat, ac inter Salam et Albim sedes posuisse. (vid. Pub. p. 146.)

Danubii ripa natum hoc vocabulum est, a) non in Pomerania. Scimus Iornandem populosam Vinidarum nationem a Vistula ad Pontum diduxisse; sed et hoc scimus, vocabulum istud vniuerso Sclauorum generi tum fuisse commune, vt ex ipso scriptore intellexeris, dum Vinidas in Sclauos Antasque diuidit, b) de quibus ad Istrum adurus erat. Neque is, eam Vinidarum plagam mēmorans, Sclauos alibi degentes excludere voluit a denominatione hac, aut intelligendum dare, non alibi tum habuisse Sclauos; quod vel ex haecenus dictis elicias. Sed, quid opus multis, cum Anonymus noster, veteribus Francorum annalibus vsus, vt ipse profitetur, c) Samonem in Quarantanis ducem clare prodat. Vbi id quoque obserues, velim, quos Franci aetate Aimoini Sclauos Vinidos adpellabant, eos circiter Caroli aeuum Sclauos Carantanos audire coepisse. Citra dubium, vt iam supra memoratum est, d) Vinidi seu Vindi a Vindelicis, Carantani ab Carnis veteribus, nuncupati fuerint.

XXV. Cum porro Samonem in Carantanis dominatum ipse Cl. Salagijs adserere nihil dubitasset, e) mirum, qui scribere potuerit: *Carantanos existimo equidem a Croatis illis propagatos, qui seculo septimo, Constantino Porphyrogenito referente, a Croatis Dalmaticis secesserunt, f) ac Pannoniam et Illyricum, vti ait, g) occuparunt.* Et paullo ante: „Sclauos Carantanos, qui nunc Carinthe, Carnioli et Vindi appellantur, non esse genere diuersos a Croatis, gentis vtriusque lin-

146.) Sed Eckardus multo recentior est, quam vt eo heic vti possimus, et Venedi a Winidis distinguendi sunt. Sed et Venedos Eckardi nec Prayus nec Pubitska factis explanarunt, nec explanare poterant, adhibita voce *Sorabi*, quae illa aetate non existit.

- a) Vid. supr. Cap. VI num. 24. Cap. VII n. X, XVII. Pray Annal. Auar. p. 251 ex Callesio idem adserens, relato Fredegarii de *Marchia Winidorum* loco, cum videret suae de Samone opinioni contrarium, nisi forte, inquit, *Samo in Carantaniam, cuius pars Winidorum Marchia videtur fuisse, Sclauos Winidos ex auitis sedibus cum imperio traduxisset.* Non igitur ante Samonem in Carantania Sclaui? Hoc enim adserere videris. Sed ipse contrarium docuisti p. 239, 226, 218, 212, vbi a Murae fontibus ad Istriam Sclauos, Auarum tempore, coluisse adserebas. Si de nomine solo *Winidorum* in Samone pugnas (quamquam ne id quidem spectatis rerum adiunctis concessero) isthic meo adferro nihil officit; vt qui Sclauos heic ante Chrobatorum epocham, quocumque demum ii cognomine vocentur, habuisse contendam.
- b) Vid. supr. Cap. VI num. 23. Conf. infr. n. 32.
- c) Num. XVII init. Conf. Salag. IV, p. 356.
- d) Cap. VI Dissert. hui. num. 24. Cap. VII n. 10, 17. Id cum Pray etiam ex Callesio admittat An. Auar. p. 251, 239, mirus in Crobatibus est.
- e) Eccl. Pann. L. IV Cap. VI num. 8.
- f) Pray Annal. Auar. P. II refert Croatarum e Dalmatia in Pannoniam secessum ad ann. 779. Conf. Pubits. p. 260. qui tamen p. 292 ad ann. 797 refert.
- g) *Noricum* ponit noster pro *Illyrico*, inuito Caesare.

lingua arguit, non multum ab inuicem diffonans, a ceteris autem linguis Sclauicis satis abludens.“ a) Denique: *Sauientes hi, et Norici Croatae*, inquit, *proprium habebant, auctore Constantino, supremum principem; sed videntur non multo post ab Hunis Auaribus, Pannoniam tunc tenentibus, subiugati, et excusso eorum iugo iterum libertatem, constituto sibi Samone principe, adsecuti.* Nam si Croatae hi ex Dalmatia in Sauiam circiter annum 779, vt nostri censent Chronologi, adpulere, quo illi modo Samonem principem sibi constituere poterant, qui ante centum ac viginti annos viuere desiit? Sed tamen hic Salagii locus non sine omni commodo cenferi debet; id enim ex eo nacti sumus, vt Carantanorum seu Vinidorum nomen in Croatas Pannoniae securi proferamus, tam reipublicae quam sermonis respectu. Quidquid de priore sit, de quo nunc non agimus, sermonis certe ratio singularis heic est habenda. Ex his porro hunc in modum liceat ratiocinari nobis: Samo praefectus Carantanis seu Vinidis est ante Croatarum in Illyrico epocham; quod si igitur eadem Carantanis quae Croatis fuit loquendi ratio, haec ante medium septimi seculi heic exstiterit, necessum est, existente et nomine gentis, *Slavae* nimirum, et patriae, eodem plane, quod sub aduentum Chrobatorum apud scriptores Latinos in vsu erat. Sed Anonymi oratione seductum video Cl. virum, vt qui paullo post Samonem putarit Boruthum in Caranthanis regnasse; atque adeo Samonem quoque longe recentiorem, quam vt epocham Chrobatorum antecedere potuerit. Hoc tamen crimine Anonymum cenferem absoluedum, cui *Samo temporibus Dagoberti regis Francorum dux in Quarantanis* clare dicitur; quae aetas quantum a Pipino, cui Boruthum Anonymus admouet, b) remota sit, nemo non videt. Si igitur Sclaui Samonis Vinidi siue Carantani erant, et hi cum Chrobatis eiusdem generis, qua ratione quoue fundamento omne Sclauorum nomen ante annum 640 his e prouinciis exterminatur? Et quid, si ostendo, Samonis quoque aetate ipsis, de quibus agimus, locis nomen Sclauicum superasse? Paullus Diaconus, qui gesta Longobardorum, sui videlicet populi, singulari descripsit calamo, de Gisulfi, Foroiulensium ducis successoribus agens, *Mortuo*, inquit, *Gisulfo Foroiulensi duce, Tasò et Cacco filii eius eundem ducatum regendum susceperunt. Hi suo tempore Sclauorum regionem, quae Zellia* (Cil-

-
- a) Testimonium hoc lubentes accipimus, eo magis, quod ipse Romam iter agens has perlustrarit partes. Nos linguae naturam dedimus nuper.
- b) Ait enim, Chetimarum, filium fratris Boruthi, ab obitu Cacatii, Boruthi filii, ducem a Pipino Carantanis datum, quarto a Boruthi morte anno. Itaque Boruth Anonymi vitam ad Pipini aetatem produxerit. (Pub. p. 253) Pipinus, Caroli M. pater, Childerico successit an. 752; Samo viuere desiit circ. an. 659, Chlodouei II an. 16. Interuallum 93 annorum est; quod non videtur Cl. Salag. L. II C. III n. III. et L. IV C. VI n. 8 respexisse, cum Boruthi aetatem ad Dagobertum, et Samonis ad Pipinum retulit, inuito vtique Anonymo.
- c) L. IV Gest. Longob. Cap. 40.

(Cilley) adpellatur, vsque ad locum, qui Medaria (Merania) a) dicitur, possederunt. Vnde vsque ad tempora Ratchis ducis, b) iidem Slavi pensionem Foroiiulianis ducibus persoluerunt. Gisulfus Grasulfo patri successit an. 590; et anno 611, quo rex Auarorum, quem sua lingua Cacanum adpellant, cum innumerabili multitudine veniens, Venetiarum fines ingressus est, c) vt idem Diaconus refert, d) caesus filii haereditatem reliquit. Ex quo Warnefridi loco quisque intellexerit facile, Slauos circa Foroiiulium initio iam seculi septimi habuisse. e) Sed in Venetis quoque eodem tempore Sclauos videas; de quibus Ionas in S. Columbani Abbatis vita, Cogitatio ei, inquit, in mentem ruit, vt Venetiorum, qui et Slavi dicuntur, terminos adiret, caecaeque mentes Euangelica luce illustraret, ac ab origine aberrantibus viam panderet f) Iisdem pene locis, Noricum inter et Rhaetiam, ad Aguntum oppidum Slavi ab Diacono memorantur, dum, His temporibus, g) ait, mortuo Thassilone duce Boioariorum, filius eius Garibaldus in Agunto a Slauis deuictus est, et Boioariorum termini depraedantur. Resumptis tamen Boioarii viribus, et praedas ab hostibus excutiunt, et hostes de suis finibus pepulerunt. h) Sub Thassilone hoc crebra fit Slauium mentio, quibuscum ei res fuerit. Sic enim de illo Sigebertus: i) Thassilo, inquit, a Childeberto ordinatur rex Boioariorum, deuictis Sclauis obtinuit triumphum. Cui Paullus Warnefridi consonat: k) Thassilo a Childberto, rege Francorum apud Boioariam rex ordinatus est; qui

Y 2

MOX

a) Pubits. p. 201 Meraniam opinatur, quae ad Oenum et Athesin porrigebatur, partemque hodiernae Tyrolis occupabat. Vid. Top. Tyrol. p. 237.

b) Luitprandi regis Longobardorum, qui an. 744 obiit. Pubits. ibid.

c) Pray Ann. Auar. refert ad an. 610.

d) Gest. L. IV Cap. 38. Pubits. p. 200. Conf. Cap. 39, quo Diaconus Lupicin proauum suum, ab Auaribus in Forum Iulii an. 611 procurrentibus captum, et abductum, euasisse narrat, ingressumque Slauium terram, refectum cibariis (desecerat enim) a quadam Slauina, et in iter pronisus, post aliquot dies Italiam ingressus, domum, vnde ortus fuerat (Foroiiulium) peruenit. Pub. p. 172.

e) Idem Diaconus de Carniola, ad an. 735. Topogr. Carniol. p. 156. „Ratchis denique apud Forum Iulii dux, vt dixeramus, effectus in Carniolam, Slauium patriam, cum suis ingressus, magnam multitudinem Slauium interficiens, eorum omnia deuastauit. Vbi cum Slavi subito irruissent, et ipse adhuc lanceam suam ab Armigero non abstulisset, eum, qui primus ei occurrit, claua, quam manu gestabat, percutiens, eius vitam exstinxit.“ Carniolenses et Carantanos distinguit ad ann. 819, p. seq.

f) Ad XXI Nouem. an. 610. Pubits. l. c.

g) Ann. 599 victus Garibaldus, priore Thassilo mortuus. Pub. ad an. cit.

h) L. IV Hist. Long. Cap. 41.

i) Ad ann. 595.

k) Ap. Pubits. p. 170, ex L. XVII Hist. Diac.

mox cum exercitu in Sclauinorum prouinciam introiens, patrata victoria ad solum proprium cum maxima praeda remeauit.“ Hos porro Sclauos vti Boioariae vicinos, ita Chagano Auarorum hac aetate obnoxios, alius Paulli locus nos dubitare non finit, dum *Boioarii*, ait, a) *vsque ad duo millia virorum super Sclauos irruunt, superueniente Cacano, omnes interficiuntur.* Si hi non sunt *Carantani*? b) Id autem heic obserues, velim, aetate hac *Sclauos* absque omni adiuncto nuncupatos passim in Graecis Latinisque monumentis. c) Huc quoque illum D. Gregorii de Sclauis Italiae imminentibus pertinere censeas locum, quo ad Episcopos Istriae d) scribens, *Equidem*, ait, e) *de Sclauorum gente, quae nobis f) valde imminet, et affligor vehementer, et conturbor. Affligor in his, quae iam in vobis patior; conturbor, quia per Istriae aditum, g) iam Italiam intrare coeperunt.* Longobardi hoc aeuo Italiam tenere cum ditionibus Carnicis; e quibus tamen non modicam ad boream partem Boioarii, ad ortum Auares, occuparant. His tum obnoxii Sclaui in Boioarios, a quibus iam olim Vindelicia sunt spoliati, incursiones fecerint. Atque ex hoc iam coeperint Auares ad Sclauos in hiberna ire, feminisque eorum misceri, ex quibus procreati Hunno-Sclaui, parentum Auarum sub Samone excussere iugum, matrum pudori vim illatam, legitimorumque patrum iniuriam indigne ferentes.

XXVI. Postrema Sclauorum his in partibus memoria ab sexti seculi medio reperitur, quo Longobardi Pannoniae Noricique agris cessere. Id Paullus Warnefridi anno 568 contigisse memorat, hunc in modum: h) *Alboin sedes proprias,*
hoc

a) L. IV Cap. 11. Pub. p. 173. ad ann. cit. Pray ad an. 596.

b) Hos et Prayus cenfet, ad ann. 595. p. 226.

c) Quamquam Graeci quidem *Sclauos* ab *Auaris* non satis distinguant; et distinguere profecto difficile est, quod socia arma plerumque, hoc in primis tempore tractarint. Sed tamen, quemadmodum e testimoniis heic adlatis solos pene Sclauos facile quis intelligat, sic nullam Auarum sine Sclauis expeditionem fuisse, multa me, vt adferam, inducunt. Quale in primis est *Σκλάβοι οἱ καὶ Ἀβαροί.*

d) Sed commodius ad an. 600, vt ex Lucio infra, n. 27.

e) L. VIII ep. 36. Seuerin. P. I. p. 330 monet, epistolam ad Maximum, Salonitanum episcopum scriptam, Pubits. p. 172 ad episcopos Istriae. Conf. Luci. p. 40.

f) Cl. Seuerini legit *vobis*. P. I. l. c.

g) Pubits. l. c. ex *Pannonia* putat; sed malim ex *Carnis* aut *Norico*, vbi cum Thassilone pugnarant: inde enim eos in Italiam prociunctum mouisse autumat.

h) L. II Cap. 26. Ex Procopio, qui Longobardos in Pannoniam venisse ait anno 14 belli Gothici, i. e. vt Salag. L. I p. 124 cenfet, an. Chr. 548, cum Paul. Diac. heic eos 42 annis perstitisse memoret, confici possset, Longobardos e Pannonia an. 590 abcessisse. At calculus Diaconi cum adiunctis congruit melius.

hoc est, Pannoniam, amicis suis Hunnis contribuit, eo scilicet ordine, ut, si quo tempore Longobardis necesse esset, sua rursus arua repeterent. Ut vero non amplius rediere Longobardi, sic ab eorum discessu non illico Hunni Pannoniarum potiti sunt. Dum enim cunctantur, sit ne potius e re futurum, Pannoniae ingredi rura, an sua se continere Dacia, a) Graeci occasionem nacti, Sirmium cum adiacenti agro, quem non ita pridem tenuere Gepidae, recipiunt, ceteris Pannoniorum se in libertatem adferentibus. b) Quid enim, si Chaganus Pannoniae dominus fuisset, Sirmium astu capere, Sclavos Pannoniae in societatem vocare, agros eorum populari, necesse habebat? Atqui hoc illum fecisse, testis coaeuus Menander est, qui gesta Auarum, Sclavorumque aetatis huius diligenti recenset calamo. Rem, quoniam Sclauici nominis circa Sauiam originem continere, neque satis a quoquam pro dignitate sui illustrata esse videtur, cura maiori conatuque expendendam censemus. Itaque abscedentibus e Pannonia Longobardis, cum Auares anno sequenti (569) partem vi prouinciam ingredi vellent, et a Romanis prohiberentur, bello his illato victi, pacem exorant, effusis crinibus, ut Fl. Crescentius Corippus ad Iustinum Imp. meminit. Eius haec est phrasis: c)

Illa colubrimodis Auarum gens dura capillis,
 Horribilis visu, crudisque asperrima bellis,
 Imperio subiecta tuo, seruire parata,
 In media supplex defusis crinibus aula
 Exorat pacem; nec fidere millibus audet
 Tot numerosa suis Romana laceffere signa:
 Quae toties victis numeret per praelia Francos,
 Edomitosque Getas, captos, stratosque tyrannos.

Repressi hac ratione Auares, sua se continuere Dacia, nihil Romanis molestiarum inferre ausi, ad annum vsque 574. Hoc autem, vbi Iustinum insigni a Persis clade affectum intellexissent, rati opportunum sibi ad Pannonias quaerendum adesse tempus, ad res conuertuntur nouas. Targitium mittunt legatum, qui peteret Auaribus Sirmium oppidum tradi, tamquam quod esset sua priuata et domestica possessio; et quia ab ipsis Gepidarum, quorum in ditioe olim Sirmium fuisset,

a) Tentarunt quidem, ut ex Chron. Biclariensi et Corippo (ap. Seuer. Pann. III. p. 321) conligas, anno Longobardorum abscessum subsequente, Pannonias occupare, sed victi, pacem defusis crinibus exorauerunt. Ut adeo Dacia se continere sint coacti.

b) Fidei tamen Romanorum, quibus et olim paruere, commissi. Vid. Seuer. l. c.

c) Ap. Seuerin. Pann. Illustr. L. VIII C. II p. 321. Conf. Pray. An. Auar. p. 209.

fuiſſet, res eſſent euerſae: a) neque quidquam praeteritis annis ex pecuniis, quas Iuſtinianus Hunnis quotannis pendebat, acceperint, omnes ſimul perſolui, et ita in poſterum earum annuas collationes valere, et eas Romanos praefſtare flagitaret. Sed, cum legatus ab Iuſtino non optime eſſet exceptus, Baianus ea re commotus, iuſſit dena millia Cutrigurorum, qui dicebantur Hunni, traicere fluuium Sauum, b) et vaſtare Dalmatiam; ipſe vero cum omni ſuo exercitu tranſmiſſo Iſtro, in ſinibus Gepedarum ſubſtitit. Hac incurſione permotus Iuſtinus, per Vitalianum Illyrici praefectum numos aureos 800 Baiano tradi iubet. Quibus cum non adqueuiſſent Auares, quin, quod frangi Romanos experti eſſent, nouas ad Iuſtinum petitiones deferri iuſſiſſent, indignantibus Romanis ad arma ventum, victusque, qui miſſus contra Auares fuit, Tiberius; tandem foedus Romanos inter et Auares factum. c) Excruſum hunc Cuturgurorum e Dacia, traiecto primum Iſtro, eum Sauo in Dalmatiam, Viri docti, d) ad Sauiam pertinuiſſe arbitrantur. Id ſane itineris ratio expoſcere videtur. Traiici enim ad Gepedas Iſter tum non alibi poterat, quam in ſuperiori Myſia, quam eorum tenebant reliquiae. Singidunum, Sirmiumque cum regione circumpoſita occupabant Romani, in omnem barbarorum motum intenti, per quos difficile Cuturguris iter futurum erat; ſed neque Sirmium tum quidem ab his viſum putes. Accedit, Dalmatiae eo tum vocabulo Sauiam quoque cum vniuerſo Sauum inter ac Drauum agro fuiſſe acceptam, vt videbimus alias. e) Quo autem modo Hunni ab Dalmatis excepti ſint, neque Menander, neque alius quiſquam retulit. Ex quo conicias, nihil eos heic memorabile tum quidem patraſſe; certe, vt paullo poſt dicturi ſumus, amicitiam horum quaefuere Hunni; rati ſe hac ampliſſima fortiſſimaque gente in ſocietate peſſecta, Pannoniam e Romanorum manu facile excuſſuros. At iſtud iis tum quidem minus, quam ſperabant, ad vota ſucceſſit. Cum enim legatos ad Laurentium (graece Λαυρέτων, Λαυρίτας, illyrice *Lovreta*) f) Sclauinorum ducem miſiſſent,

qui

a) Ann. 567. Vid. Pray, Pubits. ad hunc an.

b) Pubits. p. 154 *Sauum* addit; ſed e Menandro nihil hoc loco de Dalmatia exponit Prayus p. 209, quem Pubitska citat. Et obſcurus hic Menandri locus eſt, niſi e Sirmiensi regione Auares irrupiſſe dicamus. Si tamen Menandri hic locus bene habet. Vid. nott. Certe ſcriptor hic, qui paullo poſt Procopium vixit, Dalmatiam cis Sauum ponere non potuit. v. infr. n. 29.

c) Vid. Chron. Slauo-Bohem. ad an. 574.

d) Farlat. Tom. I p. 100 ap. Pray An. Auar. p. 230 ſeq. Pubits. ad an. 576.

e) Conſule interea Pray et Pubits. loc. mox cit. Gentis habita ratione, id factum, quae *Crobati* poſtea.

f) Stritter ap. Schloez. Hiſt. ſept. p. 361 not. 81 ad *ὁς αὐτὸν Λαυρέτων*, difficile creditu ait, *Laurentii* nomen tum apud Sclauos in uſu fuiſſe, bene vero *Λαυρίτα*, non obſeruans, idem eſſe. Cur autem *Laurentii* vocabulum apud gentem, quae iam

ab

qui eum in societatem Chagani pellicerent, annumque tributum, a libera gente, flagitarent, Sclau postorius hoc indigne ferentes, licentiam Hunnis oggerere, aufumque exprobrare; quibus cum pari audacia retorquerent Hunni, tum Sclau in furorem adii, legatos obruncant. Baianus intellecta fuorum caede, *in vltiorem Sauu ripam a*) (e Myfia) transgressus, vicos et pagos Sclauinorum igni, ferroque vastat, et cum nemo barbarorum auderet cum illo manus conferere, *in siluas enim et cauernas aufugerant, omnia, quae potuit, rapuit*. Haec altera Hunnorum in Sclauinos Pannoniae fuerit expeditio, qua hi rerum quidem suarum non minimam senserint accisionem, sedibus tamen suis vltro persistere, iussa Auarum neutiquam facientes. Vnde factum, vt eos Chaganus eousque laceffere non destiterit, donec suo demum iuri penitus subiecisset; quod tamen haud ita praecoci factum putaris.

XXVII. Quae haftenus de Sauo traiecto, petitisque ab Chagano Sclauis Pannoniae, diximus, firmantur gestis annorum sequentium. Biennio ab clade priori vix euoluto, cum non posset Sirmium, principem Pannoniae urbem, tanto iam tempore quaesitam, secus obtinere, simulat professionem in Sclauos, ab se biennio ante petitos. Quam vt rem feliciter exequeretur, magistris ab Iustino petit, ponti construendo idoneos. Quod cum impetrasset, traiecto e Myfia Sauo, Sirmium dolo capit. *b*) Pax inde confecta, et vtrunque a populatione cessatum. Quidquamne praeter Sirmium in Pannonia possederint Auares, nemo e scriptoribus meminit. Quod si paullo posteriora spectamus tempora, non modo in Sauia vltiore Hunnos comperire non licet, sed neque ad Murliam, quin ne in Sirmio quidem; vt adeo non longe post, urbem quam cepissent, homines nomadam instar viuere adfueti, magisque auri fame, quam urbium cupidine adii, relicto Sirmio in suam se Daciam retulisse videantur. Certe omnis eorum sequentibus annis in ditiones Romanas irruptio e Dacia, non e Pannonia erat. *c*) Thraces interea patie-

ab Apostolis fidem acceperat, vsurpari non potuerit, equidem non video. Sed Stritterus Laurentium ducem supposuit Sclauorum Pontum adcolentium, gesta diuersi temporis in vnum confundens, cum p. seq. 362 Chaganus ipse Laurentium innuat ducem ad Sauum.

a) Cl. Stritter ap. Schloez. p. 361 hanc Auarum in Sclauos professionem confundit cum ea, quae ad an. 581 in Sclauos Ponti adcolas suscepta refertur. Causam rei dat Pubits. p. 165 ex Valesio, quod fragmenta Menandri, quae ad nos peruenere, non nihil confusa ac perturbata essent, e duplici vtpote MS. collecta. Conf. Pray An. Auar. p. 214 not. 1. Sed p. 362 Schloez. clare mentem Chagani e Menandro exponit de Sclauis Sauiae.

b) Vid. haec, et quae dicturi sumus, neruose adferta ap. Cl. Seuerin. Pann. Illustr. L. VIII. Conf. responsum ad argum. Pray in praef. noua Consp. Hung. Item Dissert. de mod. iuuen. sit. Pann. oppid. fin. Conf. Schloez. p. 362 ad an. 583, vbi explicat clare.

c) Pray Annal. Auar. ad ann. 589 seqq.

patiebantur, Sclavis nostris pace fruentibus, ad octauum vsque ac nonagesimum sexti seculi annum. Hoc temporis interuallo, relictis Auares copijs, cum in orientem nihil haberent amplius quaerendum, occasum petere decreuerunt. Et in Francos quidem ann. 595, aut, e Pray sententia, sequenti, procinctu e *Pannonia*, vti Diaconus inquit, a) facto, pugnaque in Thuringia commissa, quo exitu, scriptores non memorant; accepto tamen a Brunichilde vidua Childeberti auro, quod vnum quaerebant, cum redirent, bis mille Boioariorum super Slauos irruentium, caedunt, quod paullo ante memorauimus, camposque Daciae repetunt. b) Sitne porro in hoc Warnefridi loco ipsa Pannonia, vti apud Romanos erat, intelligenda, an potius aduarsa Danubii ripa, non facile quis determinarit: in primis quod nulla adhuc inde ab excessu Longobardorum e Pannonia irruptio Auarum legitur, et ipsi facta cum Francis pugna in Daciam rediere, inde post triennium Sirmjensem adgressi regionem. Quidquid autem de superiori Pannonia dicas, cui vicini Sclavi Winidi, quos petebant Boioarii, partem aliquam subiecti, aut socii potius, iam fuisse videntur, certum est inferiorem cum Sauia Hunnis, quos Auares dicimus, ad annum vsque 598 nequaquam paruisse. Quid enim opus erat, vt Seuerinii verbis vtar, c) anno 591 Sclavis (Daciae) insignem numerum aduariorum parandorum indicere, et horum ope Istro rursus traiecto, Singidonem occupare, ac inde primum ad Sirmium, mox vltius profectioe indita, ad Murfiam et Bononiam demum castra collocare, veluti in hostico; quid, inquam, his opus erat, si Chaganus hanc Pannoniae partem possedisset? Sed ab hoc etiam procurfu, in Daciam rediere, cum Prisco et Petro, exercitus Romani ducibus, circa Istrum belligerantes. Cum autem quaedam ipsis iniuriae a Prisco Dalmatisque illatae fuissent, Chaganus renunciata palam cum Romanis pace, copias in sinum Ionium, *prope Dalmatiam*, vt Prayus inquit, populatum ducit, vbi vastatione facta, sit ad hiberna vtrisque discessum. Quid porro *ad sinum Ionium, haud procul Dalmatia*, profectio sibi velit, non facile interpretatu est. Nam, si Dalmatia tunc, vt Prayus vult, d) Istriam quoque comprehendebat, in Venetos, Istriae proximos, Auares incurrisse oportebat. Sed tum Venetiam tenuere Longobardi, Hunnis olim iam foedere coniuncti. Sin Istriam Venetiae nomine, vt idem Prayus alio loco innuit, e) accipere velis, eadem de causa Hunni hanc depopulari non poterant. Ab Istria incipiebat Dalmatia,

a) Hist. L. IV, Cap. XI.

b) Hunc enim rerum ordinem puto, etsi Pray e Diacono Sclauos ad an. 595 referat, Francos ad sequentem: nihil enim, ex quo Longobardi abiire, heic cum Auaris factum legitur, ante expeditionem in Francos, et in supputatione annorum, vt vnus anni res distrahentur, error, vti apud Menandrum e contrario, obrepere facile potuit. Certius Pannoniae sunt ab Hunnis occupatae.

c) Pann. Illustr. L. VIII Cap. III.

d) Annal. Auar. p. 231 fin.

e) Part. I Annal. ad an. 482 p. 162 fin.

matia, in ortum ad Dyrrachium vsque protenta, vt Constantinus auctor est; a) vbi ergo sinus ille Ionius prope Dalmatiam, b) cui Auares an. 597 vastitatem intulere? Certe Simocatta, ex quo id sumtum videtur, non amplius, quam; *Chaganus missis ad Priscum nunciis foedus palam renunciat, ac luce decima coactō exercitu suo in sinum Ionium ducit.* c) Nihil heic de Dalmatia, nihil de vastatione. Censeo itaque, propositum ab Chagano factum, sequenti primum anno impletum; de quo Theophanes, *hoc anno (598) inquit, Chaganus collectis omnibus copiis, in Dalmatiam expeditionem suscepit; Balben et circumpositas metropoles omnes vastauit.* Cedrenus: *contractis suis Chaganus in Dalmatiam profectus, Balbam, et vicinas circum XL vrbes, d) occupat ac diripit.* Auctor Miscellae (quem Paul. Diaconum vulgo putant) apud Lucium: e) *septimodecimo Imp. Mauricii anno, coaceruatis virtutibus, Chaganus in Dalmatiam properat, et cum venisset Belicham (Prayus Blachinam legit) quadraginta ciuitates, f) quae circa eam sunt, omnes depopulatus est.* Haec illa profectio ad Ionium fuerit. At ex his ne prope quidem Ionium Auares tum penetrasse videas; quandoquidem nulla ciuitas maritima heic nominatur, et Balbe procul ab Ionio exstitit. Certe *Sauia*, cui hanc potissimum cladem illatam Prayus, Farlatum imitatus, censet, g) mari nusquam propinqua erat. Si *Belicham* Diaconi oppidum Croatiae infra Sisciam, haud procul a Sauo, *regiam Velicam* (kralyeva Velika) interpretari liceat, *Banges-h)* autem *Banya-lukam*, oppidum Bosniae, ad flumen Verbaz, habebimus Dalmatiam Graecorum huius aevi scriptorum, in *Sauia Romana*, Albiis montibus a veteri Dalmatia seiuncta, positam. Neque obstat nomen Dalmatiae: id enim aetate hac Danubium vsque, vt fidem Porphyrogenitus facit, penetrarat; et Procopius, temporis huius scriptor, *Sirmium in Dacia* locat, i) vti postea videbimus. Stabilesne

a) Adm. Imp. Cap. 30.

b) *Sinus Ionius* (Adriaticus, alias Dalmaticus. Vid. Luc. L. I C. VI.) aetate hac fuisse videtur, qui Procopii tempore, ab Dyrrachio in Epiro quaerendus. Vid. Schlöz. p. 348. Deferic. Tom. IV p. 30 not. r. e Lexico Caroli Stephani: *Sinus Ionius supra fauces Adriatici maris circa Cretam.*

c) L. VII Cap. 11. Ap. Pray Ann. Auar. p. 229 not. c.

d) Simocatta L. VII C. 12, *Banges urbem cum 40 castellis vastatam, ait.*

e) Regn. Dalm. L. I Cap. 8, p. 40, col. 2.

f) Simocatta nominat *castella.*

g) Annal. Auar. p. 231. Situm tamen loci non interpretatur, dixisse contentus, *Balbam seu Blachinam passim in Pannonia Sauia a recentioribus Geographis locari.* Sed quid haec re obscurius? Nomen *Sauiae* tunc iam non exstabat.

h) Sic nuncupat Simocatta L. VII Cap. 12. Pray l. c. Conf. Seuer. P. I. p. 326. Lucii. l. c.

i) Ille de Adm. Imp. Cap. 30. Hic de bell. Goth. L. I, III.

bilesne hac procurfione fedes ad Sauum fixerint Hunni, dubitare poffis; in primis, quod auctor Miscellae verbis, paullo fupra citatis, continuo fubiungat: *quibus Prifcus agnitis (Dalmatiae cum 40 caftellis depopulatione) Gudonem ad exploratio-nem rerum direxit, qui in valle occultabatur pufilla, et in diluculo in dorfia eo-rum aduectus, illos cunctos peremit (bis mille, qui praedam portarant) et acce-ptam praedam alduxit ad Prifcum. Porro Chaianus infortunio comperto, in re-gionem fua (Daciam) regreffus eft, et Prifcus ad propria. In Daciam rediiffe Chaganum, fequentium annorum acta docent; e quibus in Maefia ad Singidu-num, et Viminacium, in Dacia ad Tibifcum, anno praefertim 600, Auares ab Romanis non leuiter adffictos intelligas. Nihil autem ex hoc ab Auaris ad haec loca factum ad feculi vsque feptimi annum decimum, apud fcriptores comperias. Vt adeo minime videam, qui Auares ad haec tempora *vniuerfae iam Dalmatiae*, quod plerique haftenus putarant, dici poffeffores queant. Nullum certe flxi ab Auaris ad Sauum pedis veftigium apud fynchronos vsque huc videre licuit. Sen-tentiam Porphyrogeniti explorabimus deinde. Ceterum ad eundem 598, quo in Dalmatiam hanc nouam excurrerant Hunni, ab Diacono in Iftriam excurriffe di-cuntur: *Inter haec Longobardi cum Abaribus et Sclauis, Hiftrorum fines ingreffi, vniuerfa ignibus et rapinis vaftauerunt. a) Si Diaconus a Menandro (quem au-ctor Miscellae fecutus videtur) in chronologia non diffentit, putes, e Dalmatia, (quae paullo poft Croatia) Iftriae contigua, Hunnos in huius quoque fines incur-fionem feciffe. b) Quamquam id mihi cum Lucio c) videatur biennio poft acci-diffe, cum Agilulfus, Longobardorum rex, Exarcho Rauennati, ob filiam et ge-nerum captos, graui bello Romanis indifto, aduocatis in focietatem Hunnis, vici-nisque Sclauis, multas ciuitates Romanis eripuit, et irarum plenus euertit, teftes Lucio, ducibusque Tridenti, et Foroiulii ad officium reductis, Iftriam popu-latus eft.**

XXVIII. Pax inde Longobardos inter et Auares innouata, Franci quoque ad eam vocati, Sclaui iam accessiffe videntur, quamquam non omnes. Celeianos enim, vt fupra diximus, tenebant Foroiulienses; Dalmatia d) cum Illyrico, et plaga Sirmienfi parebat Graecis; Vindorum pars occidua ceflit Boioariis, media fuiiffe

a) L. IV. Cap. 5. Pray Annal. Auar. l. c.

b) Potius, quam cum Prayo Iftriam Dalmatiae nomine complegi. Certe Constantini adhuc aeuo Dalmatia in occafum pro limite Iftriam habuit. Sexto feculo Procopius etiam *Li-burniam* interponit.

c) Regn. Dalm. L. I Cap. VIII p. 40. Cum Iftriam Longobardi tenuiffe non legantur, videtur ea fe iam ante libertati adferuiiffe: ni Iftriam Foroiulii aut Venetiarum nomi-ne complegi velis. Certe omne Graecorum Germanorumque his in prouinciis imperium eo tum admodum nutabat.

d) Si maritima oppida demas, dubium. Vid. infr. n. 31 feq.

fuisse libera videtur. Itaque Pannonii, Iapodes, Carni, circa Albium, Caruancam et Cetium vicini, non tam victi, quam, Longobardis praesertim suadentibus, in societatem pellecti, fidei se Hunnorum tradiderint. Certe arma focia ex hoc tempore, maxime in Dalmatiam, late protulere. Atque hoc est, quod Cl. Prayo, et ex eo auctori Chronici Slauo-Bohemici, adserentibus, Sclauos aetate hac ad Muram et Istriam exstisse, Hunnorum iussa facientes, omnino adsentior. Quid autem illud sibi velit, a professione illa simulata, dum Sirmium peterent Auares, in Sclauos ad haec loca, concessa, ab Sauia et Istria quoque in censum Dalmatiae positus, *negare, vltos in Dalmatia Sclauos ante medium septimi seculi*, epocham scilicet Croatarum, *exstitisse*; quid, inquam, hoc sibi velit, penitus non capio. a) Vtique, si vnum audias Constantinum, id quadam ratione existimare possis; verum is, cum trecentis omnino ab aetate, de qua agimus, annis remotus sit, coaeuis scriptoribus fraudi esse nequit: sed neque id eum velle deprehendes, siquidem bene consulueris. Porro, quo mihi probas argumento, Sclauos hos, qui postea Winidi et Carantani didi sunt, a fontibus dumtaxat Murae ad Istriam pertinuisse, non item ad Aemonam, Metulum, Poetouinem, Sisciam, quae Carnis vicina erant loca, et pars hodie quoque Carantanis paret? Fines certe huic Sclauorum genti oporteret e priscis antea monumentis ponere, quam eos e Pannonia, Iapidia, Istria, Liburnia excludas. Atqui nos Caroli M. aeuo Sclauos in memoratis prouinciis deprehendimus; factoque per secula gradu ad hanc vsque aetatem, exactos e patria, aut aliunde huc immigrantes nusquam vidimus. Quid ergo dicere verat, Sclauos ibidem sexto iam exstitisse aeuo, vbi sunt posterioribus deprehensi seculis? Quod nisi adseris, fidem tibi polliceor, te e Labyrintho, in quem se plures incaute sane coniecere, b) numquam eluctaturum. Cedo enim, quos ais Pannoniae, abscedentibus Longobardis, colonos? Cum Auares non illico Pannoniam suo reddiderint iuri, vt vidimus, vacuam hominibus prouinciam dices? Et quinam Sclaui illi, quos se, transmissis e Dacia Istro, tum Sauo, petiturum Chaganus ferebat? Certe quidem vltra Carpatem sitos non putarim, ni Sauum quoque eo, et Balben, et Dalmatiam transferre velis. Si Sauiae incolas fuisse concedis,

-
- a) Hoc adserit Pray Annal. Auar. ad an. 583 p. 218, refellens Timonem: „Nec scio, rectene an secus scribat (*Timon*) dum Sclauos id temporis in Illyrico Romanis vicinos trans Istrum (*nobis cis*) coluisse putat. - - - Nam ad eam aetatem praeter Bulgarios non crediderim vltos Sclauos ad Illyricum, illique finitimas plagas, quae quidem Romanis aditae essent, habitasse. Certe Dalmatia cum Illyrico non antea Sclauinis culta videtur, quam Chrobati ex magna Chrobatia (*trans Carpatem*) emigrant,“ (an. 640) Pubitska passim, sed non sine contradictione, vti ad an. 574 seq. Cl. Salagium prudens hos Sclauos praeteriit.
- b) Praeter Farlatum, Prayum, Pubitskam, Salagium, est etiam Lucius, quamquam haefitans (vid. L. I Cap. 11 p. 45) Kercselich, alii. Primus Pannoniae veteris res vidit *Timon*, post eum, qui et illustrauit insigniter, *Scuerinius*, nactus idcirco acres aduersarios.

cedis, quae inconstantia animi est, vt *Sclauos* heic ante an. 640 fuisse neges? Cl. Salagius non mediocri aestu in Croatas, Sclauum genus in patria sua ante seculi septimi medium collocantes inuehitur; quod mirum cuiquam videri possit, cum apud Menandrum, Paullum Diaconum, Francicos scriptores, de *Sclauis*, heic ante epocham Chrobatorum existentibus, dum sua concinnaret, legere omnino debuerit. Sed prudens ac volens loca ea scriptorum praeteriit vniuersa, excepto Samone, quem, inuitis omnibus diis, infra epocham illam detruisit. Id quoque in viro hoc admiratione dignum, quod cum in omni suo opere de Chrobatis, eorumque aetate plura adferat, nullum tamen aut septimi, aut octaui, aut etiam noni seculi scriptoris locum adfert, in quo *Chrobati* vocabulum occurreret. a) Nam si omne genus et nomen *Sclauorum*, vt ipse vult, e Dacia et Illyrico excludi ante Iornandem et Procopium debeat, quod hi id primi prodidissent; qui me arguet, si ego *Chrobatos* Porphyrogeniti, cum nomine, ante annum 949 isthuc admitti non patiar? Siquidem notum eruditis est, neminem *Chrobatorum* ante Porphyrogenitam meminisse. Quodli *Sclauorum* sub nomine *Chrobatos* ante medium seculi decimi delituisse velit; ostendat aduentus eorum e synchronis auctoribus tempus, eosque inter et *Sclauos*, qui ante iam hic exstiterent, distinguat. Si id ostendere nequit, quae audacia est, Croatas, de sua vetustate iure gloriantes, tam acerbe traducere? Sed coeptum prosequamur iter. Haec dicta intelligere volenti sufficere deberent, ad videndos in patria Croatarum Sclauos ante septimi seculi medium. Et, si quidem linguae ratio, quam supra exposuimus, habeatur, distincti ab Sarmatis Croatae nullo pene labore videri possent. Sed vt ne secare nodum, cum soluere possimus, videamur, ex rerum actis Croatarum gentem vltra inuestigare libet. Auarum aetatem superauimus. Ex quo enim Longobardi Pannoniam ex pacto Auaris cefferant, hique eas non illico obtinuerant, indigenae Sclauum se se in libertatem adseruere, partim in societatem ab Auaris pellecti. Ex quo pronum censere est, Sclauos, qui ab Longobardis heic remanserant, sub eorum quoque dominatione iisdem exstiterent locis: nemo quippe illorum eo temporis interuallo huc immigrationem signauit. b) Et hoc est illud

a) Scriptoris, inquam: nam in diplom. Tirpimiri an. 838 iam occurrit. Luc. p. 60. Pothea Ioan. VIII ap. Salag. L. II p. 130, qui praefuit ab an. 872 ad 882.

b) Sub *Gothis indigenas barbaros* memorat in *Suauia* Procopius ad inñ. an. 536, secundi Gothici. „ *Afinarium et Vligifalum* magno cum exercitu in Dalmatiam expedit (*Vitiges*) vt illam ad ditionem Gothicam reuocent, iubetque, cum ex *Suauia barbarorum indigenarum copias adscuerint, recta Dalmatiam ac Salonas petere.* — Dum apud *Suauiam Afinarius barbarorum exercitum* conscribit, solus *Vligifalus* Gothos in *Liburniam* ducit.“ Bell. Goth. L. I Cap. 16, Ex quo Procopii loco clarum est, *Suauos barbaros* heic *indigenas*, ab *Gothis* distinctos fuisse, contra quam Salag. I p. 104 fin. adseruit. Neque enim indigenae erant in *Suauia* Gothi, verum (siqui tamen heic tum fixere domicilia) aduena; et Gothos *Vligifalus*, *Suauos barbaros indigenas Afinarius*, ductabant. Et quid est, quod sine eiusdem anni, *Sauia imperio Iustiniani adserta*, nulli emigrasse Gothi leguntur, nisi quia nulli praeter praesidia erant?

lud aeuum, quo *Slauicum* nomen audiri coepit. Causa erat libertas, occasio Hunni, Sclauis multum ac diu coniuuente, quibus iuncti orientem aequae atque occidentem adflixere plurimum. Sub Longobardis, vti et antea sub Gothis, prisca gentis et patriae nomina fuere, Dalmatarum, Carnorum, Venetorum, Pannoniorum. Videamus Diaconum, Longobardos in Italiam profectos comitantem. Scribit is, *Alboinum multos secum ex diuersis, quas vel alii reges, vel ipse ceperat, gentibus, ad Italiam adduxisse; vnde vsque hodie, inquit, eorum, in quibus habitant, vicos, Gepidos, Bulgares, Sarmatas, Pannonios, Suauos, Noricos, siue aliis huiusce nominibus, adpellamus.* a) Accidit haec profectio anno, vt memorauimus, b) 568. Sexennio post Sclauis iis memorantur locis, vnde illi Pannonii, Norici, Suauis cum Longobardis discessere. Nouum nomen veteri substitutum, gens in patria eadem: neque enim vlla hoc interuallo gentis cuiuspiam huc immigratio reperitur, et Pannoniam viro fortem, ab illa iam profectioe Italica, ipsi saepe sunt experti Auares. Et quae illa, sodes, rerum vis esse poterat, quae tam vastos Carnorum agros, quae Venetorum, Istriorum, Dalmatarum, Pannoniorum, vbi non ita longo post tempore *Sclauis* comperti sunt, excisis penitus indigenis, nouo repente populo compleuerit? Quantis annis, quanto sanguine constitit Hungaros haec patria, et tamen quid eorum numerus est ad Sclauos? Ad ripas Danubii, maxime infra Budam, Hungaros facile numeraris. In Sclauonia nisi tres coloniae apud Eszekum, c) nulli sunt. Styria, Carniolia, Carintia, Croatia, Venetae, Istri, Dalmatae, Bosnia, Seruia, Bulgaria, Thraces, Epirotae, Macedones, ex Historiis dumtaxat, quid *Hungarus* sit, nouere. Vt adeo, quoties haec in mentem veniunt, mirari subeat, scriptores Hungaros adeo in suam gentem parcos esse, vt dum suae gentis tot seculorum aerumnas, labores, et pericula, quae pro his subiere prouinciis, recensent, longe strictioribus eam coarctent finibus, quam Sclauos, quibus paucos intra annos vniuersam Daciam, Pannoniam, Noricum, Carnos, Istrios, Iapidas, Liburniam, Dalmatiam, Mysiam, liberali admodum calculo largiuntur. Quapropter Sclauis iis non modicum obligati esse debeant; quid enim gloriosius, quam tot prouincias tam exigui spatio temporis, et pene citra difficultatem occupasse? Atque pro his quidem laudibus Hungaris grati omnino erimus Sclauis, si, quos ii, eorumque maiores Hunni, Auaresque, his comperere prouinciis indigenas, *Sclauos* fuisse concesserint. Sed et ipsis maiori cesserit gloriae, in Sclauos toties exercuisse imperium; qua laude haecenus semet ipsos priuarant maiori ex parte, quod Sarmatae, ex qua septimo primum seculo Sclauos Illyrici prodiisse ferebant, neque Hunni, neque Auares vumquam ius dixere; Daciam autem, Mysiam, Pannoniam, Dalmatiam, recedentibus inde Gothis, Gepidis, Longobardis, vacuas, occupare quid negotii erat?

XXIX.

a) L. II Hist. Longob. Cap. 16.

b) Cap. VI num. 22.

c) Rétfalu, Saent László, Haraszt.

XXIX. Itaque priusquam Longobardi Pannonia Noricoque relictis Italiam peterent, vetusta prouinciarum nomina, quamquam limitibus mutatis in usu fuere; post discessum omnia Sclauorum plena. Et haec quidem hactenus pertractauimus; illa videamus. Quandoquidem heic nobis de Croatis potissimum sermo est, quos in Dalmatiam sub Heraclio venisse Porphyrogenitus scripsit, Dalmatiae fines hac aetate dispicere oportet, vt Croatas facilius deprehendere valeamus. Ante Gothorum isthuc aduentum, veteres adhuc Dalmatia limites habuisse videtur. Sic enim Iornandes, qui Getarum (ita Gothos vocat) historiam singulari diligentia illustrauit, de Pannonia, quam a Romanis acceperunt Gothi, locutus, *quae in longa porrecta planitie, inquit, a) habet ab oriente Moesiam superiorem, a meridie Dalmatiam, ab occasu Noricum, a septentrione Danubium.* Iisdem terminis definiuit Pannoniam Ptolemaeus, ad montes Bebios Dalmatiam, ad Albios Liburniam ei vicinam statuens. *b)* Ea Pannoniae portio, quam perluebat Sauus, iam ante Gothos adpellabatur *Sauia*. In solis exortum vicina Dalmatiae Dardania, vicina Praeualis, quae cum Mysia tunc singulari nomine *Illyrici* veniebant. *c)* Gothi, exciso Hunnorum in Pannonia regno, quod sub Attila constitutum erat, hanc permissu Marciani occupant. Inde Singiduno, posteaque Naifo, Vlpiano, aliisque oppidis suo iuri adsertis, per Illyricum ditionem proferunt, Mediana quoque Petinaque *d)* acceptis, ad Thessaliam sedes promouent, captis Heraclea et Larissa, huius prouinciae vrbibus. Haec sub Theodemiro; quo regnante si Dalmatia in Gothorum potestatem non venit, certe sub Theodorico eius filio: *e)* sub neutro tamen limites prouinciarum ante statuti perturbationem accepisse videntur. Theodoricus, suadente Zenone, Italiam, victis Herulis, occupat, Romanorum Italiaeque regis titulo adsumto, Norici, Pannoniae, Dalmatiae prouinciis Italiae adiunctis. Hoc regnante, Pannonia, quae ab Drauo in austrum tenditur, duplex accipit nomen: ea, quae Sirmio vicina est, *Sirmiensis*, antea *Inferior*; reliqua occasum

-
- a) *Rer. Get. Cap. 50. Conf. Cap. XXIX, vbi Epiri, Dalmatiae, Liburniae, Histriae, mentio.*
- b) *Geogr. L. II Cap. 16.*
- c) *Id ex Procopio facile condiscas. Perperam Pubitska ad ann. 548 ex Assemano Illyricum aetatis huius in Dalmatiam et Liburniam extendit; cum id Procopius quoque clare distinguat. Sed et clare e scriptoribus Graecis Lucius Lib. I Cap. VI p. 36, ostendit, aetate hac Illyricum pro Illyrico Orientali (non toto, sed Maesia vtraque, Dacia vtraque, ac Praeuali) acceptum.*
- d) *Sic adpellat Salag. I p. 95. Katon. ad an. 475 Pautaliam vocat. Vid. Iornand. Cap. 56 fin.*
- e) *Incertum: nemo enim docuit tempus. Quaesisse, Italiae acceptae nomine Dalmatiam scimus, barbaris ex Suavia collectis (an subditis, incertum) bellum pro Dalmatia gessisse: ex quo videas, Dalmatiam quidem ab Gothis, saltem totam, non fuisse possessam.*

sum versus *Suauia*, adiecta consonante V priori *Sauiae* vocabulo. Huic titulo *Comitis* sub Theodorico *Fridibadus*, illi *Colossaeus* praefuere. Athalaricus, Theodorici nepos, ab auo haeres constitutus, sub matris Amalasuendae, Theodorici filiae, tutela regnum decennis auspiciatus, (an. 526) spatio annorum octo, quibus rempublicam gubernabat, nihil in pristino circa prouincias statuto mutauit, praeter quod *Sauiam* dederit Dalmatiae Comiti regendam, vt ex eius epistola ad Osuinum Comitem colligere licet; in qua praeter alia, *Illustrem magnitudinem tuam*, inquit, a) *Deo iuuante, ad Dalmatiarum atque Suauiae prouincias iterum credidimus destinandam, vt quidquid pro vtilitatibus nostris esse cognoscas, aequabili ordinatione disponas, populumque nobis deuotum per tuam iustitiam facias esse gratissimum.* Haec princeps fuerit caussa, cur *Sauia* Dalmatiae a non nullis postea accensa esset. b) Neque tamen eam hoc in censu ante bellum Gothicum reperio. Procopius enim, qui his temporibus conuixerat, fines Gothorum, quos ante hoc bellum habuerant, descripturus, a Praeuali, c) „*Sequitur*, inquit, *cui Dalmatiae* nomen, et quae cum ipsa occidentalis imperii finibus comprehenduntur, proxima Liburnia, hinc Istria, deinde regio Venetorum ad Rauennam urbem porrecta. Atque hi sunt maris adcolae; supra quos Siscii, et *Suauis* (*Σουάβοι*) non illi, qui Francis parent, sed ab iis diuersi, interiores terrae tractus obtinent. Ultra hos Carnii siti sunt, Noricique; ad quorum dextram Daciae et Pannonii habitant, suisque in urbibus Singidonum et Sirmium numerant, ad Istrum fluuium euadentes. d) Locus profecto singularis: in quo Liburniam quoque memorari videas, eamque a Dalmatia distingui, vti et Siscios *Suauosque* ab Dacis et Pannoniis, Carnos autem et Noricos ab vtrisque. Qui si bene habet locus, iam tum *Sauiam* ab reliquo Pannoniae corpore distinctam videas; memorari tamen, vt prouinciam et a Liburnia et a Dalmatia diuersam. Atque haec circiter annum 535, qui primus belli Gothici erat, non tam Geographi quam historici officio vsus, meminit Procopius. Nam viuente adhuc Iustiniano, quo Graecus iste scripserat, Illyrici prouinciae vniuersae ea habebant nomina, quae in Imperii vtriusque notitia, quam eruditi ad Theodosii iunioris aetatem referunt, comparent, quod e Nouellis Iustiniani facile intelligas. e) Atqui vero Singidonum heic in Moesia secunda (prima esse deberet) Sirmium cum *Bassiana* in Pannonia inferiore, comparent, prorsus vt in Imperii Notitia. Vt adeo caracter Byzantinorum ab Latinorum caractere videat-

a) Ap. Cassiod. L. VIII ep. 8.

b) Vt etiam Cl. Salag. L. I C. III p. 101 obseruat, citans Lucium et Parlatum.

c) Vid. Kercsel. Praelim. p. 49. vbi ex L. I Proc. C. 13. *Epirotae dicti, primum locum obtinent, ad urbem vsque maritimam Epidamnium. Hinc se aperit Prebalis regio: sequitur cui Dalmatiae nom:n. &c.*

d) L. I Bell. Goth. Cap. 15.

e) Vid. Salag. Eccl. Pann. L. I Cap. III. L. IV C. I n. 4 seqq. L. V Cap. IV in primis a p. 202.

videatur diuersus. Nos, cum primus Croatarum meminerit Constantinus, scriptor Graecus, systemati insistemus Graecorum. Procopius itaque, vt memorauimus, Sirmium in Pannonia, ante bellum Gothicum, statuit, Pannonios autem ab Sauia et Siscii distinctos facit. Paulo post, recepto a Gothis Sirmio cum Sauia, (an. 536) urbem hanc in Pannonia principem idem Procopius cum adiacenti agro Dalmatiae ad censuit, vt quidam volunt: *Gepides Sirmium urbem, inquit, et alias Dalmatiae ciuitates, maiorem in partem occupantes tenebant, quas Imperator proxime a Gothis receperat.* Et in oratione Gepidum de Longobardis ad Iustinianum: *praedones isti (Longobardi) Sirmium oppidum, et cetera Dalmatiae loca, belli vobis causam fore praetendunt.* a) Ita quidem Prayus ex Farlato, b) Farlatus ex Lucio, c) fontibus inconsultis. Sed nemo, quod sciam, alius, neque ipse Procopius, Sirmii saepe mentionem faciens, vsquam id in Dalmatia reposuit. d) Et in Graeco textu non Dalmatia eo ponitur loco, verum Dacia. Do integrum priorem e Salagio locum. e) „Gothis et Torila bello superioribus (in Italia aduersum Romanos) Franci maximam agri Veneti partem occuparunt, nullo negotio; cum nec Romani illos arce- re, nec Gothi vtrisque arma inferre possent. Gepaedes, qui olim urbem Sirmium Daciamque omnem obtinuerunt, vt primum Iustinianus Augustus ditioni Gothicae regionem illam eripuit, agentes ibi Romanos abduxerunt in seruitutem, et continenter progressi vim, vastitatemque imperio Romano adtulerunt.“ Sed et altero loco non Dalmatia verum Dacia occurrit: *Causam ex Sirmio, inquit Gepidae, aliisque nonnullis Daciae f) locis in nos conflatam fures hi (Longobardi) proferunt.* Vt adeo aetate Procopii Sirmium in Dalmatia neque e Graecis scriptori- bus ponere ausim. De Sauia nullum adhuc se indicium prodidit: Procopius enim Liburnia interiecta clare Dalmatiam ab Sauia distinxit. Et quamquam primo iam belli Gothici anno, Dalmatia omnisque Liburnia a Gothis ereptae orientali Impe- rio adsertae erant, cui anno sequenti exeunte Sirmiensis cum Sauia accessit; tamen tantum abest, vt hae in Dalmatiae nomen concesserint, vt Liburnia quoque ab Dalmatia,

a) Pray Annal. Auar. p. 231.

b) Farlat. Illyr. Sacr. Tom. I p. 101.

c) Luci. L. I Cap. VI p. 36.

d) Neque videas, qui scriptor doctissimus, Sirmium, quod paullo ante Pannoniae dedit, hoc loco, immemor sui, Dalmatiae tribuere potuerit, aut voluerit. Scilicet Lucius bona fide Procopii interprete vsus, Graeco textu inconsulto, deceptus est, adeo quidem, vt non Sauiam modo, sed vniuersam quoque Pannoniam Dalmatico nomini ad- censere sit ausus. Cuius errorem Farlatus ambabus vlnis amplexus, non vt emendasset, sed amplificauit. Prayus satis hoc in genere putabat descripsisse Farlatum. Cui bono, hau- riri turbidam, si fons limpidus praesto est?

e) Eccl. Pann. L. I p. 112. Conf. Kercksel. Prael. p. 49.

f) Dacia haec in Mysia intelligitur. Vid. Seuer. P. I. p. 305 not. a. Conf. Salag. L. V C. IV n. 34 p. 225, vbi Mysia quoque prima Daciae nomine includitur.

Dalmatia, non hoc modo tempore, sed vsque dum Iustinianus clauum tenebat, distingueretur. a)

XXX. Antequam porro ea, quae ab Iustiniani obitu erant, persequamur tempora, iuuat quaedam, quae eo imperante circa haec loca contingere, memorasse, in primis quod Illyrici prouinciae Augusto hoc viuento non minimum recepere florem, qui barbaris postea, Sclauis vel maxime, partim incurrentibus, partim se libertati restituentibus, deperisse maiori ex parte videatur. Iustiniano itaque summa tenente, crebram Sclauorum memoriam fieri, ignotum iis, qui Procopium ac Iornandem legerunt, esse non potest. Dacicos, vbi maxima vis hac aetate Sclauici nominis, heic missos facimus, Pannonicos Dalmaticosque visuri. Narrat Procopius, Ildiscum, Riliulphi, qui nepos Vacis Longobardorum regis fuit, filium, a patris apud Varnos caede, iussu Vacis patrata, ad Sclauenos primum; dein his ac Longobardis non paruo numero conscriptis ad Gepedas Daciae; inde vero, cum ab Auduino repeteretur, ad Sclauenos Pannoniae, tum vt Totilae se Gothicque iungeret, ad agrum vsque Venetum processisse; denique occurrente sibi exercitu Romano in fugam acto, ad Sclauenos trans Istrum rediisse. Iuuat ipsummet audire Procopium. „ Haud multo post, *inquit*, b) morbo obiit Vaces, ac Longobardorum principatus Valdalo obuinit, Vacis filio: cui admodum puero tutor adhibitus Auduinus, regnum administrabat. c) Hinc multa auctus potentia, breui ipse regnum obtinuit, cum puerum Valdalum repente morbus oppressisset. Protinus Ildiscus cum Longobardis, qui se ipsi adiunxerunt, ac numerosa Sclauenorum manu, ad Gepaedas se contulit. Ac sperabant Gepaedes fore, vt illum in regnum inducerent. Iam vero facta cum Longobardis, Iustiniano admittente, pace, d) ex templo Auduinus a Gepaedibus tamquam amicis, Ildiscum repetiit. Hi tradere nolentes hominem, hortati sunt, vt inde, quocumque vellet euaderet. Nulla is inter-

a) Tenebat autem ab an. 527 ad 565.

b) Ap. Pubits. Chron. Slauo-Bohem. ad an. 527.

c) Hic ille Auduinus est, quo duce Longobardi Pannoniam superiorem cum Norico, obtinere, Iustiniano, qui has prouincias numquam tenuit, ingratis cedente, cum magna pecuniae summa. Quod circa Ildisci tempora euenisse videtur, an. 548. quo et Illyricum percurrauere. Plurium vero annorum facta haec sunt, quae heic Procopius adfert, vt praeter alios Cl. Pubitska obseruat.

d) An. 527, I Iustiniani, pacti sunt Pannoniam vniuersam; sed quia Imperator eam non habuit, vt donare potuisset, Gothi adhuc Gepidaeque, praeter indigenas, in ea resistere. Posterius tamen id contigerit, cum Gothi, bello Italico disenti, resistere his nequirent, circ. an. 548. Vid. Salag. I p. 114. Katon. ad an. cit. in Iustiniano. Pubitska et Seuerini Procopium presse videntur secuti.

interposita mora cum suis, ac non nullis Gepaëdibus voluntariis ad Sclauenos se se retulit. Hinc profectus, Totilam, a) Gothosque adire instituit, armatorum non minus sex millia secum habens. Agrum ingressus Venetum, cum obuia Romanorum manu, quam Lazarus ducebat, conflixit, b) eaque in fugam acta, multos occidit; sed iterum transito Istro flumine, ad Sclauenos concessit. Hactenus Procopii oratio. Ex qua, Sclauenos, ad quos cum Gepedibus concessit Ildiscus, et inde ad Venetum agros, Sauiae incolas putaueris, seu quod Gepedes tum ab Sauio ostio adusque Drauum coluere, persuasuri indigenas, ut gentilibus viam aperire vellent; seu quod iter ad Venetos ab Istro secus haberi nequirit, si per infensas gentes, quales tum Longobardi erant, transeundum fuisset: transire autem per Sauiam omnino debebant, cuius orientalem dumtaxat partem habebant Gepidae, ceterum indigenis occupantibus, Iustiniano subiectis, ab Gothorum inde excessu. Quod autem Ildiscus in reditu, *transito iterum Istro ad Sclauenos concessisse* dicitur, id nostrae non obstat positioni, qui trans Istrum quoque Sclauos coluisse adserimus, et Ildiscus cum populo flumen transisse non dicitur. Haec circiter annum 549. c) Biennio post euoluto, validam Sclauorum manum traiecto Istro Naisum aduenisse, narrat Procopius, d) Thessalonicam, ut e captiuis intellexerant Graeci, occupaturam; sed cum percepissent Sclaui, Germanum Sardicae in Illyrico morari, memores cladis ab eo acceptae ante 20 circiter annos, viam in occasum flectunt, superatisque Illyrici montibus in Dalmatiam concedunt. Diuisi deinde trifariam, Graecorum prouincias a faucibus Ionii maris (sinum Ionium dixerere aliqui) ad vsque Byzantium, plurimis adfligunt malis. *Neque cursim praedas agebant, sed velut in hibernis constituti, tam erant securi, ac si domi suae forent, nihil hostile reformidantes, εκ εξ επιδρομής ληζόμενοι τὰ ἐκείνη χώρα, ἀλλ' ὡσπερ ἐν χώρᾳ δικαία διαχειμάζοντες, ἐδὲν τε δεδοίτες πολέμιον.* Quomodo hi poterant hibernare in Dalmatia et Illyrico, tamquam in patriis sedibus, nisi fautores habuerint incolas? Vniuersa enim Gothorum vis cum Totila tunc in Italia, teste

a) An. 549. Regnavit Totilas ab an. 541 ad 552.

b) Numerosum certe habere debebat exercitum, ut heic configere potuerit.

c) Huc fortasse respexit Bollandus in act. SS. ad 6 Febr. ap. Pub. p. 112, ad an. 547, hoc et sequentibus annis Sclauos, transito Danubio, inter alias prouincias, Carinthiam obtinuisse, scribens, diuque fuisse sine rege, elegisse demum Samonem Francum ad an. 623. Sed praecox Carinthiae nomen est, et narratio nullo nixa fundamento. Balbinus cum Pubitska Bollandum ex Procopio interpretantes, toto, ut aiunt, caelo aberrarunt: procul enim tum Carni ab Illyrico, et huius nomine Dalmatia Liburniaque perperam includuntur. Distinguendae sunt nimirum aetates. In eumd. censum refer auctorem Topogr. Carinth. p. 118. Carniol. p. 155, abusum loco Procopii, in quo Illyricum ad Epidamnum Sclaui vastasse dicuntur; quae loca procul ab Carnis.

d) De bell. Goth. L. III Cap. 40. Vid. Schlöz. p. 354. Pubits. p. 134, seq. qui tamen fluctuat, uti solet.

teste Procopio, erat, paucis heic ab an. 536 residuis: et, cum pauci ea irruptione Sclau in Dalmatiam venisse videantur (timebant enim cum Germano congre-
 di) qui tres exercitus subito efficere, et absque omni metu hibernare in alieno
 poterant, ni secum indigenas traxerint? Quamquam hae quidem coniecturae cui-
 quam videri possint; iunctae tamen ceteris non sine momento futurae. Id saltem
 ex his elicias, Graecorum in Sauia (nam trans Drauum nihil vquam habuere)
 et Dalmatia imperium nutare admodum coepisse, cum adeo impune eas peregrinae
 gentes peruagarentur, si tamen hae omnes peregrinae erant. Quaero enim,
 quinam illi *Satagae*, quos Gothi, vt Iornandes habet, a) Hunnis postremam belli
 tentantibus aleam, apud Bassianam, Sirmien-
 sis prouinciae ciuitatem, oppugnauere in *Pannonia interiori*? Quinam illi supra Liburnos ac Istrios *Siscii* et *Suauii*
barbari, vt Procopius inquit, b) seu ii, qui *Francis partere*, seu qui *interiores*
Sauiae tractus coluere? Quos antequam peregrinos ostendas, non licebit dicere
 indigenas? Hos autem fuisse Romanos negat Procopius, cum in *Suauia barbaros*
indigenas commemorat, c) ab Romanis Gothicisque clare distinguens. Ecce Suauii
 barbari, ecce *Satagae* negliguntur? Si Hunni, Gothi, Gepidae, Longobardi,
 peregrinae scilicet gentes, singularem in actis locum obtinent, quam obrem patriae
 filii, qui hos excepere hospitio, eundem non obtineant? Sed Procopius has
 prouincias, circiter an. 552, quo scribere desinit, *mortalibus destitutas* memorat:
 „Ante bellum Italicum, *scribens*, Gothorum imperium ex Gallorum agris adus-
 que Daciae fines, vbi ciuitas Sirmium est, protendebatur. Ceterum quum Roma-
 norum copiae in Italia erant, Gallicani et Venetici agri magnam partem Germa-
 ni occupabant, d) Sirmium vero, vicinamque regionem, e) Gepaedes habebant.
 Totus hic terrarum tractus prorsus est mortalibus destitutus, partim bello deletis,
 partim lue, morbisue, quae consequi bella solent. Illyricum Thraciamque totam,
 Graeciam, Chersonesum, et omnes, quae a faucibus Ionii maris ad Byzantium
 vsque suburbana, interiectae regiones, populique sunt, ex quo tempore rerum po-
 situs est Iustinianus, Hunni, Sclaueni, Antae, pene quotannis incursionibus cru-
 delissime depopulati sunt. Crederem Romanorum supra 200,000 singulis irruptioni-
 bus qua fusa, qua in seruitutem abacta, vt in his prouinciis pene Scythicas so-
 litudi-

A a 2

litudi-

a) Vid. locum integrum ap. Seuerin. P. I. L. VI Cap. X. Conf. Pray Anual. Hunnor. p. 182, vbi haec adigit an. 469, Seuerini ex Hist. Vniu. an. 465.

b) L. I bell. Goth. C. 15. Vid. supr. num.

c) Ibid. Cap. 16 vid. supr. *Satagae* in Sirmien-
 sis prouinciae vicinia fuisse, e textu Iornandis collig-
 gas. Conf. Seuerin. P. I. p. 274 fin. Quos deinde victos seu ab Gothicis, seu Gepidis, seu
 Longobardis fuisse, nemo prodidit.

d) Franci erant. Vid. supr. p. 184. Conf. Salag. I p. 112, vbi Procop. B. G. E. III C. 33.

e) Adusque Drauum, cuius vtramque ripam ab ostio ad Murfam habuisse videntur. Vid.
 Menandr. Excerpt. Legat. ap. Salag. I p. 120.

litudines videre sit.“ a) Magnam quidem his barbarorum incurfibus memoratas prouincias defolationem paffas, non negarim; fed quae ad Graecos potiffimum fpectarit Romanosque, qui indigenas, libertatem fpectantes, fub iugum nequicquam reuocare conabantur, et quae obftare nequuerit, quo minus paullo poft feu Suauī, feu Pannoniī, feu Norici, fuis, Diacono teſte, comperirentur fedibus. Certe ad Auarum aduentum plena heic vidimus omnia. Sed venia Procopio tribuenda, tam longe agenti, et qui res harum partium fama dumtaxat perceperit. Ceterum non videri, qui vacuas dicere potuerit prouincias, cum ipſe Gothos in iis Gepidasque, et Longobardos, faepicula memoret, qui tum in primis, cum ipſe ſcriberet, heic fuas dilatabant fedes, Gepidae praefertim et Longobardi, qui indigenas perditum iuiſſe non legantur.

XXXI. Perſequamur iam coepta. Diſſentis bello Gothico in Italia Graecis, cum Iuſtinianus eo vniuerſum militis robur conuerteret, Gepidae hac vſi opportunitate, circiter an. 543, Pannoniam Sirmiensem, quam tenuere olim, recipere, cum parte Valeriae; Longobardi ſuperiorem cum parte illinc Norici ripenſis, inde Valeriae aduſque Gepidas. De vtriſque Procopii verba adſerre iuuat. „ Iam Gothiſ, ait, b) ac Totila bello ſuperioribus, Franci maximam agri Veneti partem occuparunt, nullo negotio: cum nec Romani illos arcere, nec Gothi vtriſque arma inferre poſſent. Gepaedes, qui olim urbem Sirmium, Daciamque omnem obtinuerant, vt primum Iuſtinianus Auguſtus ditioni Gothicae regionem illam eripuit, agentes ibi Romanos abduxerunt in ſeruitutem, et continenter progreſſi, vim vaſtitatemque imperio Romano attulerunt.“ Et permanserant his Gepidae locis ad annum pene 553, quo ab Longobardis ad internecionem caeſi ſunt. De Longobardis porro talis eſt Procopii locus: „ Cum autem urbem Noricum, c) et Pannoniae munitiones, aliaque loca, et pecuniam inſuper maximam, Iuſtinianus Auguſtus Longobardis donafſet, eam illi ob cauſſam patriis ſedibus d) relictis, in aduerſa

a) Aſſem. Tom. I Orig. Slau. Eccl. P. II C. 3. ap. Pub. p. 127. Eſt locus Procopii Hiſt. arc. Cap. 18. vid. Salag. I p. 113.

b) Vid. ſupra n. 30.

c) Salag. E. P. I p. 113 interſerit: forte Carnuntum, ſuperioris Pannoniae oppidum. Non video, qui Noricum heic in Carnuntum abire queat; cum id per Noreiam Caefaris, nonnullis Noricam dictam (vid. Cellar.) aut Naucleri Norin (Top. Auſt. p. 75) exponi valeat. Niſi prouinciam heic reſpexit ſcriptor, vt ſit Νωρικῶν τε πόλεις, Norici urbibus, pro Νωρικῶν τε πόλεις, quae nulla fuit.

d) Addit Pubits. p. 100. patriis ſedibus, hoc eſt, patentibus campis, per partem non ſolum Moraviae hodiernae, vt Lazius et Iordanus volunt, ſed probabiliter etiam per aliquam partem hodiernae Auſtriae trans-Danubianae, ad Marcham fluiuium late extenſis. Cui haec dubitatio fini, ſi Longobardos in aduerſa Norici et Pannoniae ripa Procopius clare conſediſſe ſcribit?

aduersa Istri fluminis ripa confederant, haud procul a Gepaedibus. At ipsi quoque Dalmatiam et Illyricum ad limitem vsque Epidamni peruagando, praedas abigebant et captiuos: quorum nonnullis fuga elapsis, ac reuersis domum, Romanum hi barbari imperium obibant, tamquam Romanis coniuncti foedere, ibique si quos eorum, qui euaserant, agnoscerent, perinde ac sua mancipia fugitiua recipiebant, atque abstractos e parentum sinu, domum reducebant, nemine repugnante. a) Hunc Procopii locum postquam auctor chronici Slauo-Bohemici retulisset, *quae postrema*, inquit, *b) adiungere placuit, ut vel hinc liqueret, falsum esse, Slauos Chrobatos in Dalmatia hoc iam tempore confedisse.* Si heic vir doctissimus Chrobatorum nomen intelligit, ei contradicere nec volumus, neque etiam possumus; quod hoc uocabulum tria post secula primo enatum scimus. Sin de gente Slaua, quae postea Chrobatorum accepit cognomen, quidpiam innuere uoluit, profecto minime uideo, qui hanc e Dalmatia et Illyrico vi huius Procopianae phraeos exturbare queat: nullus enim heic de Sclauis sermo. Satius fecisset uir bonus, si, quinam illi per Dalmatiam et Illyricum fuerint, quos Longobardi ut mancipia fugitiua requirebant, exposuisset. Indigenas uix crediderim, quod in Sauia Dalmatiae ad Bebiu uicina, nihil hostile fecisse leguntur, cum eadem utrobique gens incoleret. Graecos ante Latinosque, qui adhuc sparsi per oppida erant, putarim. Certe Longobardis uti antea cum Sclauis, ita nunc cum Pannoniis Noricisque bene conuenisse, notum uel e Diacono est.

Cum porro ex haecenus dictis id colligere sit, ut imperante Iustiniano, Pannoniam superiorem cum parte inferioris, Noricique pone ripam Longobardos occupasse, partem a Pelsodio (Balaton) ad influxum Sauis Gepedas tenuisse existimemus, mediterranea Pannoniarum ab indigenis possessa facile quis arbitrari queat; quod Graeci Gothique, bello Italico, ut Procopius ait, distenti id impedire non possent, Gepidae uero Longobardique pauciores numero forent, quam ut tantae multitudini sufficere se sperarent posse, mallentque hospitibus in bello sociis uti, quam armis, non citra discrimen suum fortasse, eos laceffere. Certe nihil deinceps in Sauia, et ea Pannoniae parte, quae Drauum inter, Pelsonem, et Cetium est, hostile factum legimus, ad Auarorum usque aduentum. Omnis enim litigatio Gepidarum cum Longobardis ad ripas Danubii erat, qua id demum effectum est, ut Gepidae circa annum 553 ad incitas pene redigerentur, maxime in Pannoniis. Sed cum se postea non nihil collegissent, an. 567 per Longobardorum gladios, aduocatis in societatem Auaribus, una cum rege Chunimundo periire. c) Tenuisse eos

a) Bell. Goth. L. III Cap. 33.

b) Ad an. 527, p. 101.

c) Vid. Pubits. ad an. 567, Locum integrum Pauli Diac. ap. Sever. P. I. p. 307. Conf. Sa-lag. I p. 120.

eos Pannoniam Sirmiensem cum adiacenti agro ad hunc vsque annum, ex eo videas, quod Chunimundus Iustino, si auxilium sibi aduersum hostes daret, eam sit pactus prouinciam. a) Et Iustinus quidem, si Euagrius audimus, b) exciso Gepidarum imperio, Sirmium occupat; quousque in Pannoniam dominatione prolata, incertum. Quodsi orationem consideras Menandri, de Sirmio postea ab Graecis, vt Chagano traderetur, petito, exiguum praeterea agri, et vix ad vsque Drauum, habuerint. Anno sequenti 568 Longobardi Pannonia quoque, vt cum Dacia nuper fecerant, Auaribus ex pacto relicta, c) in Italiam proficiscuntur, singulare ibi regnum fundaturi. Interea indigenae se libertati pristinae (quamquam hac vniuersim spoliati numquam fuerint) d) restituunt, cum Auaribus multum ac diu concertaturi, vti est haecenus memoratum. Hoc iam e dictis videas, Iustiniano clauum tenente, prisca Dalmatiae, Liburniae, Istriae, Sauiiae, Pannoniae, Norici, vocabula in defuetudinem haud abiisse, quamquam ab Hunnis, Gothis, Gepidis; Longobardis tenerentur. Videas item Sclauos trans Danubianos Illyrici prouincias, vtpote Graeco imperio subiectas, non vna percurfasse vice, ac etiam vastasse, fixum vero pedem posuisse nuspiam. Dalmatiam, quae mox ab discessu Gothorum se iugo subducere, saltem in mediterraneis, coepit, semel *tamquam sedes patrias* ingressos, rediisse tamen. Liburniam, Istriam, Venetos, Carnos, Pannoniam, Noricum, ne salutasse quidem: quos enim sub Auaris haec comperimus Sclauos, ii ex trans Istranis regionibus isthuc venisse nuspiam leguntur; certe Procopius, Agathias, Menander, quantum equidem sciam, huc eos non induxere:

a) Paul. Diac. Hist. Long. L. I C. 27. Quem locum vbi Cl. Salag. E. P. L. I p. 121 recitasset, his ita peractis, addit, secundum pacta conuenta, Sirmium ac tota Gepidarum regio, quae vsque ad Drauum porrigebatur, Auaribus cessit. An recte, nescio. Certe neque Diaconus neque Menander quidquam de cessione hac memorant; quorum tamen loca ipse Cl. scriptor adducit, vbi in pactis Longobardorum nulla Sirmii memoria, bene vero in Gepidarum cum Iustino. Vid. Seuer. P. I. p. 306.

b) L. I C. 12. Cl. Salag. l. c. Euagrius Scholasticus, inquit, urbem Sirmiensem a Gepidis Iustino Imperatori traditam scribit, nec nisi tunc, cum Romani bello Persico distinerentur, ab Auaribus captam; sed recte corrigitur a Valesio: (in not. ad loc. cit. Euagr.) Auares enim tunc, cum Gepidarum regnum euerterunt, cum reliquis opibus Gepidarum, eam quoque urbem suae ditioni adseruerunt. Cum haec e rerum actis nihil Euagrii sententiae contrarium adferri videam, plus huic, vtpote scriptori coaetuo, quam vtrisque illis credidero. Vidimus supra Sirmium ab Auaris multo posteriori, et dolo quidem, occupatum.

c) Vid. supr. C. VI n. 5. VII. 26.

d) Ostendit vir doctissimus Andr. Blaskov. Diss. II p. 67. Respubl. Andautoniensium, Iasiorum, etiam florentibus Romanis rebus, in Pannonia existisse, quas ego ante S. Ladislai Hung. Reg. aetatem cuiusquam iugum tulisse non reperio: deuastationes Hunnorum, Auarum, Hungarorum passas non negarim; feruisse his ante memoratum tempus non admiserim: quamquam et inde sub proprio Bano, vti et hodie constituti erant.

duxere: sed neque Iornandes, nec, etsi recentior, Paullus Varnefridi Diaconus. Omnes illae Sclauorum trans Istrum colentium in Graecas prouincias procurfiones, Thraciam, Graeciam, Illyricum spectabant; a quibus diuersae tum erant Dalmatia, Liburnia, Pannonia, vti a Procopio edocti sumus. Quae cum non satis expenderint Sclauicarum rerum scriptores, rati *Illyrici* hac aetate vocabulo idem venisse, quod primo, alii quod secundo, non nulli amplius quod tertio quartoue seculo erat vsitatum, nihil mirum, si in auia quaeque abiere. Et hoc est, quod mihi saepe expendenti dolebat, viros etiam insigni eruditione praeditos, qui multa pro gente nostra facturi videbantur, cum Geographiae temporis, de quo scribebant, minorem haberent rationem, toto interdum caelo aberrasse. Itaque si e nullo veterum monumento, Sclauorum, quos Menander in Sauriae agris, Franci per Noricum, Carnos, Istrios, Iornandes cum Diacono in Veneris, circa finem sexti et initium septimi seculi, longe ante *Chrobatorum* nomen, memorant, immigratio monstrari potest, non licebit dicere indigenas? Certe quidem, si Chrobati, vt hactenus creditum erat, in Dalmatia et Pannonia primi e Sclauico genere, relictis vltra Carpatem (sic enim Βαρυβαρῆται interpretantur) sedibus, seculo primum septimo, eoque iam adulto, comparuere, non alii Sclaui heic ante habere poterant: quod si autem habuere, vti visum est, non poterant Croatae esse primi. Sed video, litem heic potissimum de nomine esse. Quamuis porro ex eo, quod Chrobati non sunt ante medium septimi aevi isthic auditi, non bene argui putem, neque genus ante existisse; cum hac ratione et Hunnos et Auares, et Pannonios et Dalmatas, et Alemannos, et quoscumque antiquarum gentium posteros, non haberemus amplius, cum haec nomina dudum cessarint; ac vice versa, genus Magyarorum seu Hungarorum, Soraborum, Csehorum, Polonorum seu Lechorum, Rufforum, Moldanorum, Valachorum, et quae sunt hodie in vsu nomina, primis illis Aerae Christianae seculis non dum in rerum natura fuisse, sed tum primum, cum haec nomina audiri coepere, et genus et linguam ex illa rerum omnium farragine, quod chaos dicimus, in lucem prodiisse: tamen, vt celebris huius Chrobatorum, epochae patronis meam magis sententiam probasse videar, et opinionem, quae altas iam in mentibus eorum fixit radices, non impetu quodam et vi repentina, sed sensim et per quosdam veluti gradus euellere valeam, absque laesione animi, progrediar eousque, dum nomen *Chrobatorum* deprehendam. Sed *Suauium* adhuc, quos ego Croatarum maiores esse censeo, e Procopio adhuc et Iornande, qui sua sub Iustiano commentati sunt, verbo sit meminisse licitum; eo in primis, quod haec aetas Sclauorum protulit nomen, et Croatae maiorem hodie partem ea obtinent loca, quae Suauum tenuere olim.

XXXII. Dicebat Procopius, vt supra vidimus, a) duplices fuisse circiter annum 553, quo scribere desit, *Suauios*, alios quidem *Siscios* vicinos, alios autem
Fran-

a) Cap. huius n. 29.

Francis parentes. a) Francorum id temporis sedes ita describit Iornandes: b) *Regio Sueuorum ab oriente Boiobaros habet, ab occidente Francos, a meridie Burgundiones, a septentrione Thuringos.* Sed eo quidem loco Theodemiri tempora (cir. an. 454) Iornandes respexerit, cum eius procinctum in Sueuos memorat. Paullo post Franci ditiones suas dilatauere, in austrum praesertim, vt Gothis sub Totila Graecisque bello (cir. an. 548) distentis, *magnam agri Veneti partem occuparent.* Venetos idem Procopius ab Istris ad Rauennam produxit, c) litore Adriatici; in mediterraneis ad Pannoniam vsque pertinentes. Cumque bellum in Italia esset, occiduos Venetum agros, queis Norici Carniue habuere, Franci tum occupasse videntur, cum eo fortasse angulo Pannoniae, qui circa Hemonam fuit, et ad Carniolae censum hodieque spectat. His certe cum Boioariis postea Francisque negotium erat. Atqui vero *Sclauorum patriam* heic paullo post memorat Warnefridi, Diaconus Aquileiae, cui regio cum populis adprime fuerit nota. Idem Franci scriptores vno perhibent ore, vt iam pluribus exposuimus. Heic Sclauos ante Samonem doctissimus quoque Prayus deprehendit, a Mura ad Istriam; d) cuius sententiae auctor chronici Slauo-Bohemici, vir aequae insigni eruditione praeditus, adpressit pollicem. e) Ipsi quoque *Veneti*, per Carnos hac aetate ad Pannoniam protensi, alias *Sclau*i dicebantur. f) Quin Slaua eos origine fatos, clare tam Iornandes quam Paullus innuunt, quibus Veneti melius aetate hac, quam vlli alteri, noti esse debebant; cum is Episcopus Rauennae, hic Aquileiae Diaconus foret. Sic autem prior, de Ermanarico, rege Gothorum, agens, g) postquam Venetos memorasset, *hi (Veneti) inquit, h) vt initio expositionis, vel catalogo gentis, dicere coepimus, i) ab vna stirpe exorti, tria nunc nomina reddidere, id est, Veneti, Antes, Sclau*i, qui quamuis nunc ita facientibus peccatis nostris, vbiq; defaetiunt, tamen tunc omnes Ermanarici imperiis seruibant. Duo hic sunt praecipue consideranda. Vnum, quod iam sub Ermanarico *Sclau*i memorantur,

a) L. I bell. Goth. Cap. 15.

b) *Res. Get.* Cap. 55, ap. *Seuer.* P. I. p. 282.

c) L. I bell. Goth. Cap. 15.

d) *Annal. Auar.* p. 212, 218, 226, 239.

e) *Ad an.* 576, 595, 599, 610 seq. 623 et 630, vbi de Samone refellit Prayum.

f) *In vit. S. Columbani Abbat.*

g) *Res. Get.* Cap. XXIII. edit. Mediol. 1723. Oper. Murator. Tom. I.

h) Hungarici scriptores, vbi de Sclauis occurrit sermo, hunc locum passim praeteriungere; sed et Pubitska horum exemplo: persuasi ante Constantini Chrobatos in Dalmatis Pannoiisque Sclauum genus exstitisse nullum; cum tamen ad Muram, Pannoniae flumen, et Istriam, Dalmatiae proximam, admitterent.

i) *Res. Get.* L. I Cap. 5. Vid. *supr.* C. VI, n. 6.

rantur, quem in Dacia veteri, maxime qua in Bessarabiam hodiernam pertinebat, regnasse, ibique an. 376 obiisse constat. a) Si igitur *Sclau* hi non sunt Daci veteres? Certe *Daci* sub Hermanarico adpellabantur. Alterum, quod Venetos (quo nomine tunc Adriae dumtaxat vicini veniebant) Sclauorum classi ad censet, ab eadem prognatos stirpe, et Antas Sclausque, Istri Pontique adcolas, quos communi *Vinidarum* vocabulo alias complectitur, et qui Adriaticum adcolerent, *Venetos* clare perhibens. Et sane: quos enim Graeci Ἐνετοί, Latini adiecta V consona *Venetos* dixere, Illyrii domestica nuncupatione *Slauos* adpellauere. Id ipse Iornandes alio loco innuisse velle videtur, b) dum Raucennae situm delineans, *quae vrbs*, inquit, *inter paludes et pelagus, interque Padi fluuenta vni tantum patet accessui, cuius dudum, vt tradunt maiores, possessores Eneti, id est laudabiles, dicebantur.* Cui Paullus Diaconus, Latinum quoque exponens vocabulum, concinit, *Eneti*, scribens, c) *licet apud Latinos vna litera addatur, Graece laudabiles dicuntur.* Nobis laudabiles seu gloriosi audiunt lingua patria *Slavni*, ἀπό τῆς *slava*, gloria, laus. Si igitur Ἐνετοί sunt *Veneti*, hi autem, auctore Iornande, *Slauis*; ante Chrobatorum nomen *Slauum* genus apud Adriam reperisse non licebit? Porro si Procopii *Suauos*, qui Francis paruiffe dicuntur, *Venetos* esse velimus (alii enim vix fuerint) et *interiores terrae tractus obtinentes Suauis* sint circa Sisciam, vtpote qui Sauiam incoluerint, vt nostri censent scriptores; d) *Suauos* hos cum Venetis *Slauici* generis populum esse oportebit. Et quid aliud est, quod Pannonios, Venetosque iis vicinos, sub Gothis *Suauos* dicere volebant, vbi paullo post *Slauis* comperti sunt, nisi, vt barbaram *Slauus* vocem emollirent, suoque aptarent sono, pro *Slauis Suauos* nuncupantes, quali Latio dicas ore *suaues*, Illyrico

a) Vid. Pray Annal. Hunnor. p. 68.

b) Rer. Get. Cap. XXIX. §

c) L. II de gest. Longob. Cap. XIV, ap. Murator. Tom. I rer. Italic. edit. cit. Disputat hic ex Cluerio Muratorius, vtrum *Aivetoí* potius quam *Enetoí* apud Graecos legendi, quod ab *aivos* gloria, laus, ortum id nomen videretur. Adducit in hanc rem Seruium in Aeneid. L. I v. 247, qui inde (ex Illyrico finu) inquit, *venit quidam Henetus rex, qui Venetiam tenuit, a cuius nomine Henetiam dictam posteri Venetiam nominauerunt*; dubitatque, vtrum *Aenetus* apud Seruium an *Henetus* legendum, cum is in Cluerio *Aenetus* et *Aenetiam* legisset. Sed bene obseruat relato Cluerio loco, diphthongos cum simplicibus saepe permutari, apud Graecos in primis. Et apud Homerum carmen quoque fecerit, vt pro longa *ai* sumeret breuem *e*, *Enetoí* pro *Aivetoí*. Quem dein secuti sunt eius posteri. Et Seruius in edit. Venet. 1574, quamquam fabulam ibi de rege adfert, *Henetum* vocat. Ceterum ante *Venetiae* nomen, Veneti coluere Adriam. Vid. supr. C. V, n. 15, 17.

d) Vid. Salag. L. I Eccl. Pann. Cap. III n. 7. L. IV, Cap. I n. VI, XIX. Conf. Seuer. P. I. L. I C. 7.

lyrico *slatki*; in primis quod nostri se hoc suavi vocabulo *slatki* et hodie nominare solent. Profecto non aliam video rationem, cur e *Sauia* sit *Suauia*, et ex hac *Slauonia* facta, ni, vt dicimus, factum credas. Solitum quippe erat Graecis Latinisque scriptoribus, barbaras voces aut in suum vertere idioma, vt *Ευελοί*, aut *Αινελοί* pro *Slau* aut *Slavni*; aut eas suo adcommo-
dare ori, atque adeo corrumpere, vt in vocabulis *Χρωβάτων* et *Σκλάβων* aut *Σκλαβήνων* factum.

Suauiae, Dalmatis Pannoniisque vicinae, Iornandes quoque meminit. Scribens enim de Hunnimundi Sueuorum regis per Noricum in Dalmatias impressione, quae sub Theodemire in Pannonia regnante accidit, (circ. ann. 454) *quiescente*, ait, a) *Hunnorum gente, dux* (Hunnimundus) *dum ad praedandas Dalmatias transit, armenta Gothorum in campis* (Norici) *errantia depraedauit; quia Dalmatis Sueuia* (Suauia) *vicina erat, nec a Pannoniis multum distabat, praesertim vbi tunc Gothi residebant.* Sueuos hic non posse accipi vocabulo Suauiae e contextu patet: procul enim hi a Pannonia Dalmatiaque tum trans Danubium coluere, vt ex eodem scriptore vidimus. Postrema *Suauorum* mentio ad an. 568 occurrit, quo Longobardi ab Diacono listis Pannoniae agris Italiam petisse memorantur. Inde noua nomina, noui limites, quin antiqua potius prouinciarum facies, cum se nostri per familias pristinae libertati restituere coeperunt.

XXXIII. Apud Graecos scriptores in his, de quibus agitur, Procopium excipit Menander. b) Ex huius legationum excerptis, quae pauca ad nos peruenerunt, de Auaris quae circa haec loca legantur, supra memorauimus. c) Praecipua sunt, quae de Sclauis, eorumque duce Laurentio, quem in suam pellicere societatem Auares conabantur, iisdem a nobis e Menandro supra sunt relata locis. Dicebat historicus, Chaganum, quo facilius Sirmium occupare posset, in Sclauos professionem simulasse; quod ii vtrisque communis essent hostes, speraretque se non exiguum apud eos reperiturum thesaurum. Sclaui hi, quos transmissio Sauro Chaganus erat petiturus, cum communes Graecorum Auarumque hostes dicantur, vt qui nec tributum soluere vellent, et Chagani legatos neci dederint, liberi fuisse videntur; vti ex Laurentii quoque responso colligas. *Quis enim est, aiebat,*

a) *Rer. Get. Cap. 53.* Nescio, an recte hunc Iornandis locum Cl. Seuer. P. I. L. VI. Cap. 11 de Sueuis Alemannis interpretetur. Certe cum iis, quae ipse eod. loc. de finibus Sueuorum ex Iornande refert, haec conciliari nequeunt: vt qui longe, vltra Burgundiones tum habuerint, ne prope quidem ad Istrum. Vid. supr. *Conf. Top. Carn.* p. 178.

b) Hic Agathiam, qui in an. 32 Iustiniani, id est, 559 desinit, continuaturus, non vltra Sirmii receptum, i. e. an. 583 progressus est. Cuius excerpta pauca habemus. Vid. *Schlüz.* p. 360.

c) *Num. hui. Dissert. XXIV, XXVIII.*

bat, qui solis radiis tepescit, qui nostram prouinciam sibi possit subigere, et domare? Aliorum enim regionis dominatum acquirere solemus, non alii nostrae; qui dominatus nos certo manet, donec erunt bella et enses. Iusto enim plura petebant legati, vt sic iis respondere necessum videretur. a) Et, nisi me omnia fallunt, Sclau, quorum heic Menander facit mentionem, ii fuerint ipsi, quos a Procopio, Cassiodoro, Iornande *Suauos* nuncupari vidimus. Certe ante iam, Sauo traiecto, *Dalmatiam vastasse* dicuntur, ab Hunnis missi Cutriguri, b) cum Sirmium a Iustino petatum non obtinuissent; quae incurfio, si Menandri locus apud Cl. Prayum bene habet, c) non potuit ad *Suauiam* quoque non pertinere, aut saltem ad eius viciniam: in primis, si auctorem Miscellae isthuc referre velimus, Simocattam item, Theophanem, ac Cedrenum, qui Chaganum memorant, d) expeditione in *Dalmatiam* facta, *Balben* seu *Banges* ciuitatem cum pluribus circumuicinis castellis, diripiuisse. Ni Simocattae *Banges* sit *Banja-luka*, oppidum Bosnae ad Verbas fluium, e) certe *Blachina* Miscellae (sic enim adpellat haec) erit *Valjova* Seruiae, finibus Bosnae propinqua, in chartis vetustioribus *Bolochoya* nuncupata. f) Quidquid hac de re sit, id tamen e verbis Menandri, qui hac aetate scripsit, eruas, *Dalmatiae* nomen ad Sauum vsque iam fuisse protensum. Is certe eius locus de hoc nos dubitare non finit, quo de Chagano Sirmium obfidente scribens, *per tres dies*, inquit, g) *in expectatione decertandi fuerunt, sed cum Romanorum copiae longe imbecilliores essent, neque vllae adparerent, quae pontem, qua itur in Dalmatiam, h) tametsi parum munitus esset, oppugnarent;*

B b 2

Abfi-

-
- a) Legatio haec a Pub. refertur ad an. 576. Professio simulata in Sclauos a Schlöz. ad an. 583. Quamquam autem Cl. Stritterus ap. Schlöz. p. 361 seq. Laurentium videatur Ponti adcolis tribuere, qui dudum focii Auarum fuere, idque factum ad an. 582 refert, de Sirmio autem ad 583; tamen, cum hoc posteriori anno, cum ad Sauum professio suscepta est, iniuriae ob legatos caesos mentio fiat, vniuersa haec Menandri oratio ad Sclauos nostros pertinere videtur.
- b) Ann. 574. Vid. supr. n. 26. Pubits. ad hunc an. Si tamen hic locus apud Prayum, et ex eo ap. Pubits. bene habet: obscurus enim admodum est.
- c) Ad an. cit. p. 209. Seruiae loca interpretatur in Geogr. Moesiae.
- d) Ibid. ad an. 598 p. 229.
- e) Simocattae verba sunt: *Prope hosce locos (Singidonem) posita est Dalmatiae regio. Multis igitur castris Barbarus Banges, vt dicuntur, venit, oppidoque operibus admotis in potestatem accepto, quadraginta insuper castella vastauit.* L. VII Cap. 12. Vid. Salag. L. II p. 124.
- f) Vid. Bonfin. ap. Deseric. Tom. IV p. 68 not. e. de Bissenis seu Bosnensibus interpretantem, sed loco alio, vbi in Sclauos proinctum ibant Auares.
- g) Pray ad an. 579 p. 212.
- h) Etsi Dacia non esset hic, tamen iter in Dalmatiam ab Sauo esse poterat, quin Dalmatia in agrum Sirmiensem promoueri debeat. Sed Dacia heic, vti apud Procopium,

Abfichus, et qui cum eo erant Abari, qui illic prius ad pontis custodiam confederant, tam parui facere Romanos demonstrarunt, vt ad alium pontem se conferrent, per quem alias copias copiis Baiani adicerent. Pons quidem hic Sauiripam iunxit vtramque, vt idcirco ambigua esse videatur locutio; sed cum dextram fluminis ripam aduersum Graecos tuerentur Hunni, qua in Dalmatiam iter patebat, ad hanc solam Dalmatiae nomen retulerit Menander. Certe Sirmium in Dalmatia Menander nuspam posuit. Quamquam si id quoque factum concederemus, nihil a verosimili dicturi alienum videremur; sed neque penitus cum Lucio et Farlato sensuri: qui ex eo, quod Banges laeua Sauiripa se comperisse putabant, vniuersam veterem Pannoniam Dalmatico nomini ad censere nihil pene dubitarunt. Etsi enim prouincias Dalmatiae, Liburniae, Sauriae parte quadam, Myliaeque ad Singidunum, ac etiam Pannoniae Sirmiensis, quae olim occidentali suberant imperio, postquam orientales accepissent, in censum Dalmatiae, quod haec praecipua inter ceteras videretur, ab Graecis hac aetate scriptoribus relatae videantur; non tamen Pannonia reliqua, quae orientalibus numquam paruit, in Dalmatiae nomen abire debuit. Sed neque abiit, vt vel e Constantino cognoscas; dum, *antiquitus, ait, a) Dalmatia incipiebat a confiniis Dyrrachii, siue ab Antibari, et ad Ifiriae montes vsque pertingebat; in latitudine vero, (a mari) ad Danubium flumen se extendebat: eratque omnis ille finitimus tractus sub Graecorum potestate, b) et praestantissimum thema omnium occidentalium.* In hac descriptione, Dalmatiae vocabulo contineri videas partem Praeualis, Dalmatiam proprie dictam, Liburniam, partem Sauriae a Colapi, partemque non modicam Myliae superioris; c) seu, vt nostris vtamur nominibus, Dalmatiam cum Albaniae parte, Croatiam trans Sauanam, Bosnam, Seruiamque. Et hae quidem prouinciae Dalmatia comprehensae fuerint iam aetate Menandri, vt qui Abares nunc Istro nunc Sauo traiecto Dalmatiam incurfasse memoret. His addere valeas eum Pannoniae inferioris tractum, in quo Sirmium et Bassiana ciuitates erant, quas diutius postea quoque Graeci tenuere. Quod si facimus, vniuersa Menandri loca, quae eruditos, circa Singidunum in primis, non parum haecenus torsero, d) habebimus explicatu

pium, sit accipienda, quamquam Dalmatia haec et Bosnam comprehendisse videtur.

a) De adm. Imp. Cap. XXX.

b) In Graeco *Romanorum Ρωμαίων* est, quo se vocabulo Graeci tum compellabant, vt Cl. quoque Stritterus ap. Schlöz. p. 373 vertit.

c) Ab hac aetate nomina haec prouinciarum vetusta desisse videas (de Graecis loquor) in vnum *Dalmatiae* compacta vocabulum: neque enim amplius aut Praeualis, aut Liburnia, Sauria, Mylia prima, Daciaque ripensis aut mediterranea occurrunt.

d) Vid. Salag. L. IV Eccl. Pann. Cap. I n. 25-32-34. Katon. Hist. R. H. Append. Seuer. Dissert. de mod. inu. opp. Pann. § 16-19.

plicatu faciliōra. In hac porro Graecorum Dalmatia cum e Pannonia veteri nihil praeter Sirmiensem, Sauiaequē vltra hoc flumen partem, includi obserues, qui vniuersam veterem Pannoniam cum Lucio, Farlatoque Dalmatiae vocabulo comprehendēs? Quamquam si id de gente ii dicere voluissent, non aegre quis admitterit; sed ii tum quidem huc non respexere. Itaque ceteri Pannoniorum, ante quam Abaris parere iussi sunt, Menandri aetate fuere liberi; etli Dalmatia quoque, in primis Pannoniae vicina, non multum Graecos audisse videatur. Cum porro ab ea Abarum ad Balben in Dalmatiam profectio, quae tamen amissa omni praeda non adeo bene iis accidit, nulla ab Graecis memoretur peregrinae cuiuspiam gentis in Dalmatiam irruptio, ad Heraclii vsque aetatem; videntur hi se, vicinorum exemplo, senlim libertati restituisse, in primis qui mediterranea montesque coluere. His cum Abares, gens vaga, raptoque viuere adsueta, accessissent, excurrere adusque litus maris, praesidia Graecorum, oppidaque, alibi quod bello essent distenti, milite pene vacua expilare, et, vt furor gentis barbarae facit, diruere ac vastare. Atque haec vt ad Gregorii M. aetatem, id est, initium septimi seculi, referamus, suadent ea, quae supra memorauimus. a) Huc item eam Porphyrogeniti orationem, qua Dalmatiam a *Sclauis*, quos etiam *Abares* vocat, occupatam perhibet, referri censeo. b) Ex hoc Abares cum Dalmatis, tamquam socia gente, simul habitare, et connubia quoque iungere, dum beneuolentia indigenarum abusi, partim exacti, partim parere iussi fuissent; quod accidisse Samonis tempore arbitror. c) Neque enim magis accommodum tempus reperies, cui eam Constantini phrasim attribuere possis, qua Auares ab Chrobatis victos, suaeque potestati subiectos, adserit; quamquam Chrobatorum hae quidem aetate

a) Cap. hui. n. XXV, XXVII.

b) Ex calculo Porphyr. in an. 449 occupatio Dalmatiae a Sclauis incidit; qui si recte habet, Sclauos iam seculi quinti medio in Dalmatia haberemus. Sed lapsus esse in chronologia Constantinum, vti alias passim, ita et heic, cum Lucius p. 42 col. 2, tum Stritter ap. Schlöz. l. mox cit. not. 56 obseruarunt. Quorsum enim ad id aeuum Abares?

c) Ab clade hac nulla Abarum apud Adriam mentio, sed Sclauorum; qui Croatiae, plerumque gentiles, fuerint, Graecos, litoralia oppida tenentes, identidem pellere adnisi: prout circa an. 640, quo Ioan. IV Papa Sanctorum corpora ex Istria et Dalmatia colligi, captiuosque redimi iussit. Vid. Luc. p. 42-46. Vbi cum nulla Abarum occurrat mentio, eos tum a Sclauis e Dalmatia pulsos inferri nequit. Ceterum plerumque post Lucium Reg. Dalm. C. VIII seqq. abiisse video, vt auctoritate Constantini ad Heraclii tempora, et quidem postrema (an. 640) pulsos ab Chrobatis e Dalmatia Abares, non iam putarent, sed etiam adfererent. Verum, vt Lucius in hoc summe fluctuat, et rem non nisi opinanter proponit; ita ceteri nullo coeui scriptoris fundamento nixi, Porphyrogeniti phrasim non vt illustrarent, sed spissioribus condidere tenebris. Si heic Latinos consulas (Graeci enim hac de re nihil) Abares a Sclauis deuictos tempore Samonis clare videbis.

aetate nulla in monumentis seu Graecis siue Latinis occurrit mentio, sed vniuersa de *Sclauis*; et Constantinum e sua aetate plura dixisse putes, resque circa haec loca septimo seculo gestas Latinis magis quam Graecis fuisse notas: cum de Dalmatarum Venetorumque et Pannoniorum confinibus, cum ii plura, Graeci nec bitta ad Heracliorum vsque tempora, quin et vltcrius, meminerint. a)

XXXIV. Ioannes Lucius, vir insigni doctrina, et in pertexenda patriae historia, plus quam opinere, diligentissimus, cum omnes antiquitatis latebras inspexisset, vt phrasim Porphyrogeniti de occupata ab Croatis Dalmatia Heraclii adcommodaret aeuo, nusquam autem certi quid stabilisque comperisset, in Thoma demum, Archidiacono Spalatensi, aliquid probabile vidisse sibi videbatur. Hic autem locus scriptoris est: „ Eodem tempore, *inquit (circ. an. 640)* Ioannes summus Pontifex (*huius nominis IV*) Apostolicae sedis, cum esset Dalmatinus natione, audiens suae gentis miserabilem casum, valde condoluit; misitque abbatem quemdam, Martinum nomine, cum multa pecuniae quantitate pro redimendis captiuis; qui veniens ad partem Dalmatiae, multos redemit captiuos a Slauis, eosque ad parentes suos remisit. Iste Martinus ex Apostolica iussione multorum Sanctorum reliquias accepit in partibus Dalmatiae et Istriae, et detulit eas Romam ad praeditum Papam Ioannem, qui venerabilis Pontifex eas reuerenter suscipiens, recondidit apud ecclesiam B. Iohannis Lateranensis, vbi est fons baptisterii.“ b) Quibus relatis Lucius, *quae cum ad verbum fere, ait, cum relatis ab Anastasio Bibliothecario (Baron. ad an. 640) in vita Ioan. Papae IV conueniant, circa ea tempora occupationem Dalmatiae, ciuitatumque destructionem secutam, scilicet prope finem Heraclii, dicendum videtur.* Si tempus ab Constantino praefixum spectemus, aliquid e phrasi eius cum hac Thomae narratione conuenire non abnuerim; sed cum is Sclauos *Abares* quoque adpellet, quorum in Archidiacono nulla fit mentio, et ex eo tempore *Dalmatiam vniuersam ab iis tentam* scribat, neque in chronologia cum Spalatensi conueniat, c) vtrum oratio eius recte Archidiaconi verbis congruat, dicere non ausim. Certe ex his, *Dalmatiam vniuersam*, vti Porphyrogenita vult, ab Slauis seu Abaris tum occupatam, non elicies. De Salona modo *capta destructaque* Thomas agit, Lucio referente, nihil de Dalmatia reliqua tale; si tamen locus Archidiaconi bene habet: nam tribus pene seculis recentior ipso Porphyrogenita est, et nemo e synchronis scriptoribus celebris huius *Dalmatiae vniuersae* occupationis meminit. Censeo itaque, Slauorum hanc in Dal-

a) Vid. compendio, quidquid de *Sclauis* Byzantini habent, ab Strittero ap. Schlöz. p. 347 - 390 relatum; vbi de Sclauis Dalmatiae ab aetate Auarum ad Constantini tempora nemo e Graecis quidquam habet.

b) Hist. Salon. C. VIII ap. Luc. L. I Cap. IX.

c) Refert enim occupationem Dalmatiae in Attilae tempora, an. videlicet 449, vbi nulla Auarum memoria.

Dalmatiam Istriamque excursionem, cuius memoriam Thomas adfert, non ad quospiam longe remotos, sed Vinidos, qui postea Carantani, eorumque vicinos, pertinuisse: in primis, quod Samonis regnum, quod victis peperit Hunnis, tum vel maxime floreret; Dalmatae vero Graecum pertaesi imperium, gentem peregrinam ex auitis sedibus exterminare vellent. Iunctis ergo viribus, cum iam ante mediterranea tenerent, praesidia maritima, insulasque recuperare tentabant; pulsas partim Graecis Italisque, partim in captiuitatem redactis. Atque huc Porphyrogenitae orationem et Archidiaconi, si eam hac ratione interpretari voles, non aegre retuleris; sic tamen, vt hanc occupationem intra annum 35 et 40 septimi seculi accidisse putes. Certe ex hoc temporis interuallo omnem Caesaris de Chrobatorum origine declamationem pendere video. Hanc, vbi adhuc e Lucio quaedam, diligentissimo rerum huiusmodi inuestigatore, produxero, in medium cum animaduersione feram. Scribit e Menandro Lucius, a) iam tempore belli, quod cum Persis Tiberius gessit, adeo Graecorum copias in Europa accisas fuisse, vt non modo ad resistendum Abaris non sufficerent, sed nullae fere essent, in Asiam vt-pote transgressae. *Vastata, inquit Menander, a Sclauis Graecia, cum vndique alia ex aliis pericula imminerent, et exorirentur, neque Tiberius satis copiarum haberet, quibus cum vna parte hostium, nedum cum toto hostili agmine manus confereret, neque in eius potestate esset hostibus obuiam ire propterea, quod Romanorum* (Graecos ita nuncupat) *vires ad orientis bellum conuersae erant, legatum misit ad Baianum Abarorum ducem.* b) His continuo addit Lucius: „ Quod si tunc propter Persicum bellum, nondum rebus eorum adflatis, scriptores virium europearum imbecillitatem fatentur, quanto magis tempore Heraclii ex diuturnitate belli Asiatici, tot locis amissis, imbecilliores euaserint, Illyricumque militibus destitutum fuerit, cenferi potest; tunc ergo Dalmatiam occupatam, et ciuitates maritimas propriis ciuibus (qua in Italia distractis) destitutas, facile in potestatem Auarorum vel Slauorum venire potuisse persuaderi potest.“ Si Auarum demas vocabulum, cetera verosimili non carent. Reliqua, quae in Porphyrogenito Lucius non improbabilis coniectura adsecutus est, cum epocham Chrobatorum subsecuta sint, postea adtingemus. Nunc celebrem illam Chrobatorum a Βαγβαρεια migrationem spectare libet. Longiuscula quidem illa, sed eo iucundior futura.

XXXV. „ Antiquitus Dalmatia, inquit ipse, c) incipiebat a confiniis Dyrrachii, siue ab Antibari, et ad Istriae montes vsque pertingebat, in latitudine vero ad Danubium flumen se extendebat: eratque omnis ille finitimus tractus sub Romanorum potestate, et praestantissimum thema omnium occidentalium habebatur.

Cete-

a) Cap. IX. L. I Regn. Dalm. et Croat. p. 42.

b) Tiberius II regnavit ab an. 578 ad 582.

c) De adm. Imp. Cap. 30 ap. Pubits. ad an. 598.

Ceterum a Sclavis occupata fuit hoc modo. Prope Aspalatum vrbs Salona est, a Diocletiano Imperatore condita, quemadmodum et Aspalatus, vbi palatium item eius erat. Salonam vero magnates incolebant, et magna populi multitudo. Atque haec vrbs Dalmatiae totius caput erat. Congregabantur itaque quotannis ex reliquis Dalmatiae vrbibus equites, et mittebantur Salona vsque ad mille ad flumen Danubium, vt ibi excubias contra Abares agerent. Ad illam enim Danubii partem Abares tum commorabantur, vbi hodie Turcae degunt, a) nomadum instar viuentes. Venientes autem quotannis Dalmatae, quum saepe illic iumenta, hominesque viderent, traicere illis aliquando visum fuit, et inuestigare, quinam ibi degerent. b) Quum itaque traiecissent, Abarum feminas et pueros solos inuenerunt, viris et iuuenibus ad expeditionem bellicam profectis. Vnde subito ingruentes, omnes ceperunt, nulloque accepto damno reuerfi sunt, praeda hac Salonam abducta. Abares autem ex bellica expeditione reuerfi, re cognita, consternati quidem erant; at vnde vulnus hoc ipsis inflictum esset, ignorabant. Quamobrem obseruandum sibi tempus statuunt, et ab eo omnia discenda. Postquam igitur pro more rursus missi sunt Salona praesidiarii, et alii essent a primis, idem consilium et ipsi ceperunt, traieceruntque contra Abares. Incidentes vero in illos non sparfos, vt antea, sed collectos, non solum nihil effecerunt, sed omnium grauissima passi sunt: quippe partim caesi, partim capti; neque quisquam fuit, qui e manibus illorum euaderet. Percontati vero, quinam et vnde essent, intellectoque ab ipsis se mala supra commemorata perpeffos esse, insuper de loci qualitate inquirentes, quasi ex auditu amore accensi, in vinculis eos tenuerunt: et vestibus eorum sumtis, equisque conscensis, flammula et reliqua signa, quae secum attulerant, tollentes more exercitus, Salonam petierunt. Cognito igitur tempore, quo a Danubio redire soliti erant praesidiarii, quod erat magnum Sabbatum, etiam eodem die venerunt. Multitudo autem omnis, cum vrbi adpropinquaret, se se occultauit; mille vero, qui equos et vestes Dalmatarum sumferant, vt fallerent, vltius perrexerunt. Oppidani cognitis signis suis, et vestitu, praeterea die, quo redire ipsis solenne, portis apertis, gratulabundi eos exceperunt. Illi vero statim ac intrassent, portas occupant, et signo reliquis, qui in insidiis erant, dato, occurrere ac ingredi iubent. Interfecerunt itaque omnes ciues; c) et ex eo tempore Dalmatiam vniuersam occuparunt, sedemque illic suam collocarunt, exceptis oppidulis mari adiacentibus, quae se se ipsis non tradiderunt, d) sed

a) Ad Tiffam, Tuten, Timefen, Morefen, vt ipse ait in Itiner. Vid. Pray Dissert. V p. 82. Seuer. P. I. p. 325. Katon. Duc. H. p. 323.

b) Adeo igitur Dalmatae ignari, vt ne vicinos quidem nossent? Vid. Seuer. P. I. p. 326 not. a.

c) Scilicet anno 449, vt ipse vult.

d) Erant, vti Cap. 29 habet, *Raufum, Aspalatum, Tetragurium, Diadora, Arbe, Becla*, et *Opsara*, quorum habitatores in hodiernum vsque diem, ait Constantinus, *Romani*



sed in Romanorum (*Græcorum*) potestate permanebant, eo, quod ex mari visitarent.

„ Videntes itaque Abares pulcerrimam esse hanc terram, sedes illic posuerunt. Chrobati vero tunc habitabant ultra Bagibareiam, vbi nunc sunt Belochrobati. Vna autem generatio, nempe quinque fratres, Clucas, Lobelus, Cosentzes, Muchlo, Chrobatus, duaeque sorores, Tuga, et Buga, vna cum suis, descendentes ab ipsis, a) in Dalmatiam veniunt, vbi Abares incolas inuenerunt; belloque per annos aliquot inter eos gesto, vicerunt Chrobati, Abarumque alios quidem interfecerunt, alios vero parere sibi coegerunt: atque ex illo tempore a Chrobatis possessa haec regio fuit, suntque etiamnum in Chrobaria Abarum reliquiae, et Abares esse agnoscuntur. Ceteri vero Chrobati versus Franciam commorabantur, et adpellantur hodie Belo-Chrobati, Albi, b) qui proprio principi subiecti sunt; parent autem Othoni Magno regi Franciae, quae et Saxonia, Baptismique expers, affinitatem cum Turcis, et amicitiam contrahunt. At a Chrobatis, qui in Dalmatiam venerunt, pars quaedam secessit, et Illyricum atque Pannoniam occupauit; habebantque etiam ipsi principem supremum, qui ad Chrobatiae tantum principem amicitiae ergo legationem mittebant. Per aliquot vero annos etiam Dalmatiam incolentes Chrobati Francis subiiciebantur, quemadmodum et antea, dum in ipsorum terra degerent. Tanta autem in eos crudelitate utebantur Franci, vt latentes adhuc eorum pueros, occidentes canibus obicerent. Quae res cum intolerabilis Chrobatis esset, facta dissidio principes, quos ex ipsis habebant, interemerunt, vnde magnus contra eos exercitus mouit e Francia, et post septem annorum bellum aegre tandem superiores facti Chrobati, omnes Francos, eorumque principem Cotzolin e medio sustulerunt. Et exinde liberi ac sui iuris facti, sacrum baptismum a Romano Pontifice petierunt, missique episcopi ipsos baptizarunt, principatum tenente Porino.“

XXXVI. Haec Porphirogeneta de Croatis libro XXX; quorum cum sequenti etiam meminerit, singularia quaedam in medium proferens, ea quoque haec audisse libet. „ Chrobati, scribit Caesar, c) qui Dalmatiae partes nunc inhabitant, a Chrobatis baptismi expertibus, qui et Albi adpellantur, originem ducunt; qui sane vltra Turciam, prope Franciam incolunt, et Sclauis contermini sunt non baptizatis

mani nun upantur; scilicet quod Romano, seu potius Graeco, parerent imperio: cum natio esset Illyrica, aequae vt in aliis oppidis.

- a) Ita Lucius L. I Cap. XI expressit; alii, vna cum suis populis, descendens ab ipsis.
- b) Alii, seu Chrobati albi. Vid. Salag. II p. 128, Luc. l. c.
- c) De adm. Imp. C. 31.

ptizatis Serblis, qui Chrobati dicuntur lingua Sclauorum, id est, terram multam possidentes. Atque hi ipsi Chrobati ad Romanorum Imperatorem Heraclium confugerunt, ante quam Serbli confugissent ad eundem Imperatorem Heraclium; quo tempore Abares armis inde Romanos eiecerant, quos Roma aduectos Diocletianus Imperator illic habitare fecerat, vnde et Romani dicti sunt, quod Roma venientes sedes posuerunt in illis regionibus, nempe Chrobatia et Serblia. Pullis vero Romanis ab Abaribus, tempore eiusdem Romanorum Imperatoris Heraclii, desolata eorum regio iacuit; quapropter iussu huius Imperatoris iidem Chrobati armis arreptis Abares ex illis locis expulerunt, et in ipsorum terra, quam hodie etiam tenent, sedes collocarunt. Erat autem Chrobatis illis tunc temporis princeps Porgae pater, Heracliusque Imperator Roma per legatos sacerdotibus accerclitis, constitutoque ex ipsis Archiepiscopo, Episcopo, Presbyteris, et Diaconis, Chrobatos baptizauit. Et tunc quidem temporis Chrobatorum princeps erat Porga; terra vero haec, quam incolunt Chrobati, ab initio sub potestate erat Romanorum Imperatorum, vnde etiam illic in hodiernum vsque tempus palatia ac circi Diocletiani supersunt in vrbe Salona, et prope Aspalathum. Hi autem Chrobati baptizati extra limites propriae terrae non libenter aliis bellum inferunt, idque quia oraculum quoddam, siue statutum, acceperunt a Romano Pontifice, qui sub Heraclio Romanorum Imperatore sacerdotes misit, eosque baptizauit; post acceptum enim baptismum pepigerunt, et chirographis propriis datis S. Petro Apostolo iurauerunt, numquam se alienam terram inuasuros, sed pacem habituros cum omnibus volentibus; et imprecationem vicissim a Romano Pontifice acceperunt, vt si quando aliae gentes ipsorum Chrobatorum terram inuaderent, belloque infestarent, pro iis pugnaret, vindexque esset eorum Deus, victoriam conciliante Petro Christi discipulo. Multis vero annis elapsis in diebus principis Terpemere, qui pater fuit principis Cresemere, e Francia, quae inter Chrobatiam et Venetiam media est, veniens vir quidam, Martinus nomine, maxime quidem pius, sed habitu seculari, quem iidem quoque Chrobati miracula fecisse plurima dicunt; hic porro vir pius, imbecillus admodum, et pedibus mutilatus, ita, vt a quatuor baiulis, quocumque vellet, deferretur, illud sanctissimi Pontificis mandatum Chrobatis ad vltimum vitae finem seruandum esse iidem sanxit, eadem etiam illis, quae antea Pontifex, imprecatus. Quapropter neque sagenae ipsorum Chrobatorum, neque condurae, vmquam ad aliquem bello infestandum abeunt, nisi si quis eos adoriatur. “

Iuuat etiam huc ea Porphyrogeniti verba ex libro XXIX adduxisse, vbi, „ Ab imperio autem Heraclii, *inquit*, vniuersa Dalmatia, nec non finitimae illi gentes, Chrobati scilicet, Serblis, Zachlumi, Terbuniotae, Canalitae, Diocletiani, et Arentani, qui et Pagani nuncupati sunt, ditioni Romanae se subtraxerunt; quippe, cum Romanum imperium per imperantium tunc temporis ignauiam atque discordiam, maxime Michaelis Amoriensis Balbi, tantum non exirasset, qui Dalmatiae oppida incolebant, sui iuris facti, neque Romano imperatori, neque cuiquam

quam alteri subiecti: itidem conterminae illis gentes, Chrobati, Serbli, Zachlumi-
tae, Terbuniotae, Canalitae, Diocletiani, et Pagani, excussis Romani imperii
habent, liberi, suisque, non alienis, legibus vli fuere. Principem vero hae gen-
tes non habent, tantum Zupanos senes, quemadmodum etiam reliqui Sclauorum
populi. Plurimi etiam ex his Sclavis non baptizabantur, imo diu baptismi exper-
tes manserunt. Imperante autem piissimo imperatore Basilio, legatos miserunt pe-
titum, vt, qui ex ipsis baptizati non dum essent, baptizarentur, essentque velut
ab origine imperio Romano subiecti. Horum precibus auditis, beatus ille prae-
clarusque imperator, Caesarianum vna cum sacerdotibus misit, omnesque illos,
qui in praedictis gentibus non dum baptizati erant, baptizauit; et post baptismum
principes ipsis ex istis designauit, quos vellent, eligerentque e stirpe, quam ma-
xime amarent. Atque ex illo tempore in hodiernum vsque diem principes ipsis
non aliunde leguntur. Pagani vero, qui Romanorum lingua Arentani adpellan-
tur, in locis inaccessis atque praeruptis, baptismi expertes relinquebantur; Paga-
nus etenim Sclauorum sermone dicitur, qui non est baptizatus: postea autem
etiam hi mittentes ad eundem imperatorem, baptizari petierunt; misit itaque, et
baptizauit eos.“ a)

Addere demum liceat simile quid ex eodem scriptore in vita Basilii, b) quo
Ragusium ab Saracenis obsessum, et plura Dalmatiae oppida capta recenset; paul-
loque ante, defectionem Chrobatorum memorans, „ Ad haec, *inquit*, etiam qui
in Pannonia et Dalmatia, et qui vltra hos Scythae, Chrobati scilicet, et Serbli,
et Zachlumi, Terbuniotae item, et Canalitae, et Diocletiani, et Narentani, ex-
cusso Romani imperii iugo, cui pridem suberant, sui iuris atque liberi facti, suis
dumtaxat regulis ac magistratibus parebant. Plerique maioris defectionis specie
etiam baptismum eiurauerant, vt nullum erga Romanos amicitiae ac subiectionis
pignus retinerent.“

Et haec quidem oratio Constantini; quam ea in primis parte, quae nos
concernere videtur, explorasse iam libet.

XXXVII. Minuta quaeque hac in oratione persequi, operae pretium esse non
putamus. In vniuersum id monuisse suffecerit, Constantinum, vbi de remotiori
aetate sermonem instituit, nec tempora, nec res distinguere satis, et multa e
vulgi rumore, suaque, qua scripsit, aetate, quo rerum perturbatio maior fiat, de-
sumere. Vnde factum, vt plerique in eo illustrando operam luserint. Iam, vt
de materia, quam adsumimus, loquamur, narratio eius de Dalmatia ab Sclavis

C c 2

occu-

a) Vid. Luc. L. II C. 3. Salag. L. II C. V. p. 163 seq. plenius p. 153.

b) Ap. Kercsel. Prael. p. 69, Vit. Basil. num. 52, quae is refert ab an. 827 ad 867, quo
Michael obiit.

occupata perquam singularis est, seu tempus, cui eam adfigit, seu rei gestae feriem consideres. Cum enim Ragusae aedificationem, cui occasio fuerit Salona capta dirutaque cum ceteris Dalmatiae urbibus, ad annum 500 antequam scriberet, referat, suos autem de administrando imperio libros Indict. VII A. M. 6457, id est, an. Chr. 949 scripserit, consequens est, annum Salonae per Sclauos euersae 449 fuisse. Tempora haec Attilana erant, quibus in oriente Theodosius II, in occidente, quo Dalmatia spectabat, Valentinianus III, clauum imperii tenebant. Pannoniam ex foedere cum Aetio, Romanorum occidentalium duce, vt Priscus ait, a) tenebant Hunni, et ad Sauum quidem *Edekon*. Per Thracias, Illyricum, Noricum, Venetiam, Italiam, multa Hunni, sub Attila in primis, nihil per Dalmatiam gessere. *Sclauorum* seu *Auarum*, vt Constantinus habet, nomina lucem non dum viderant. b) Vt adeo, ni in anno, praesertim quod rotundus est, scriptorem errasse dicas, tantam haec eius narratio fidem habebit, quantam Bonfinii de *Salona per Attilam capta, direptisque et incensis Dalmatiae oppidis*. c) Quod si tamen annum 449 quis tueri volet (pro arbitrio enim traducere non licet) sublatis recentioribus Sclauorum Auarumque nominibus, et fictitia rei gestae serie, opinari poterit, ad hos Attilae per vicinas Dalmatiae regiones motus ac turbas, cum robur militis Romani transferretur aliorsum, se in libertatem indigenas adferere iam tum coepisse. Certe paullo post Gothi non aegre has occupauere partes, indigenis eos lubenter suscipientibus, in primis, quod Pannoniis, Dacis, Thracibus et Illyriis stipati huc aduenerint, quorum opera Attila quoque pleraque confecisse bella creditur. d) Hoc itaque aut e scriptis quibusdam, aut e rumore populari accipiens Porphyrogenitus, cum Sclauos postea Auaresque per Dalmatiam vagatos legisset, his, non examinata rerum serie, Salonae ceterarumque Dalmatiae urbium occupationem adscripsit, incaute sane; cum Auares, aut Sclaui trans Danubiani, ad Salonam constitisse nuspiam legantur. Sin est in anno erratum, remque gestam ad Auares referas, vereor, vt Salonae excidium his adtribuere queas, tacente de hoc et Menandro, et qui hunc exceperet, scriptoribus, vt haecenus ostendere adnisi sumus; et Salonam extitisse ad seculi vsque septimi initium, egregie ostendit Lucius; e) destructam vero postea est dumtaxat opinatus, neque vllum adduxit testem, quo aetatem monstrasset.

De

-
- a) Excerpt. Legat. p. 25 ap. Pray. Annal. Hunn. p. 122 not. f.
 b) Stritter ad Comment. de Sclauis ap. Schlöz. H. S. p. 373 not. 56. Conf. Luc. p. 42 col. 2.
 c) Rer. Hung. Dec. I Lib. IV ap. Pray Ann. Hunn. p. 162. Conf. Blond. ap. eumd.
 d) Atque inde factum putes, vt Gothi Hunnique apud medii aevi scriptores *Sclaui* dicerentur, vti heic ab Constantino Auares; quod Sclaui eorum focii, et numero quidem superiores multo, fuerint. Vnde acta Hunnorum, Gothorum, Auarum, ceterorum in his prouinciis aduenarum, his vnis, absque memoria Sclauorum adtribuere, sit vim scriptoribus priscis, et iniuriam Sclauis, inferre.
 e) Regn. Dalm. L. I Cap. IX.

De Chrobatis quae narrat Constantinus non minus singularia sunt, quam ea, quae de Salonae et vniuersae Dalmatiae per Sclauos seu Abares occupatione dixerat. Cum enim hanc Dalmatarum cladem capite tricesimo ad annum 449 retulisset, Chrobatosque quinque fratrum ducatu a Βαγβαρεία in Dalmatiam adpulsos cum Abaris commisisset, repente sequenti capite, sui quasi oblitus, vniuersam Chrobatorum historiam ad Heraclium, cuius ante ne verbo quidem meminit, seculis pene duobus ab Attila remotum, repetito saepius Imperatoris nomine traducit: magna verborum pompa scribens, Chrobatos ex partibus vltra Turciam prope Franciam litis ad Heraclium confugisse eo tempore, quo Abares e Dalmatia Romanos, ab Diocletiano istuc translatos, eiecissent, e Chrobatia videlicet Serbliaque, et idcirco desolata haec fuisset regio; vnde Chrobati iussu Heraclii armis arreptis Abares expulissent, fixisque ibi sedibus, baptismum per sacerdotes, Heraclio instante, Roma missos acceperunt. Heraclius vno ac triginta annorum interuallo, quibus a decimo septimi seculi anno imperabat, nihil in Dalmatia egisse legitur; sed neque agere potuit, impeditus diuturno in Persia bello. Et quid est, quod Chrobati, relictis ad Franciam agris confugere ad Heraclium pro Dalmatia, Abaris parente, debebant? Sed et inepta donatio terrae est, quam non possideas. Et quae illa quinque fratrum vis duarumque fororum (quos tamen capite hoc posteriori tacet) qua Abares, vniuersa Dalmatia degentes, paucos intra annos vel oppugnari poterant? Imaginari autem sibi, omnes Chrobatos ante Heraclium gentiles fuisse, (quod tamen non adserit Constantinus) est ecclesiae, quae Romana aetate floruit, non meminisse. Et clara sunt Ioannis X ad Tamislaum ducem Croatorum et Michaelem Zachlumorum verba, quibus Latinae linguae in sacris vsu commendat, *quis enim ambigit, scribens, a) Sclauinorum regna in primitiis Apostolorum, et vniuersalis ecclesiae esse commemorata, cum a cunabulis escam praedicationis Apostolicae ecclesiae perceperunt cum lacte fidei, sicut Saxones nouo tempore, a nostro antecessore piae memoriae Gregorio Papa, doctrinam pariter et literarum studia in ea videlicet lingua, in qua illorum mater Apostolica ecclesia insulata manebat. Si primitiae Apostolorum, et cunabula praedicationis Apostolicae Heraclii tempore erant? Certe Heraclium baptismus Saxonum, qui nouo tempore collatus dicitur, praecessit. b) Vt mirari subeat, viros etiam doctissimos in Chrobatorum baptismo e Constantino adferendo tantum desudasse, aliis vnum, duos aliis adferentibus; c) cum Chrobati primitiae fidei in ecclesia vniuer-*

a) Farlat. Illyr. Sacr. Tom. III p. 94 seq.

b) Gregorius M. quem intelligit Ioannes, sedit ab an. 590 ad 604.

c) Fufe de his tractantem videas Cl. Salag. Eccl. Pann. L. II Cap. V, seq. Sed mirus est p. 187 in textu Pontificis interpretando, cum Chrobatos et Seruios primitias Christianitatis inter ceteras Sclauicas gentes recte a Pontifice appellari, ait; quod postremum tamen Pontifex non dixit. Mire quoque L. IV C. III p. 307, vbi Agatho P. de Balthici adcolis loqui videtur.

uniuersali fuerint, teste Romano Pontifice, qui ut ante Porphyrogenetam scripsit, ita melius oues suas nosse poterat, quam is, ad quem eae non spectabant; et quidam gentiles mansere ad Sancti usque Ladislai aetatem: a) quo temporis intervallo bis non nili ad Chrobatos venisse sacerdotes, quis credat? Dalmatia suos habuit episcopos, Noricum suos, Pannonia suos ad Auarum usque aetatem. Inde Pannoniam ad Drauum curabat Salisburgensis, Saviam cum Dalmatia Spalatensis. Anne hi suas neglexerunt oues?

Ea quoque eiusdem putes momenti, quae ab imperio Heraclii de uniuersae Dalmatiae Chrobatiaeque recenset defectione, in primis ad Michaelis Amoriensis balbi tempora. Docere enim scriptor purpuratus debebat ante, Graecis aliquando *uniuersam* Dalmatiam Chrobatiamque paruisse, tumque ei defectionem hanc non illibentes concessuri eramus. Quod cum non praestiterit, et *Romanos* pro Graecis passim usurpet, b) priscae Romanorum cum his recentioribus tempora confundat; non inuitus utique feret, si ei praeter oppida maritima, quae Francorum beneficio retinere, defectionem hanc ab Graecis omnem negauerimus. Si qua tamen haec defeccio erat, tam vetustam esse oportebit, quam sunt vetusti in Dalmatia Gothi. Declinante enim imperio occidentali, distractisque Romanorum copiis, Dalmatae se cum vicinis, tempore vsi, eliberare conabantur. Gothi eas non habebant vires, ut soli indigenis praeuulerent; sed neque hos infestasse videntur, ut quibus familiariter vsi fuerint. Ex Dalmatia praeter litoralia, ex Pannonia ab Gepidarum aduentu praeter Saviae partem, vtrum quid tenuerint, ignotum. Ceteri itaque, permissu Gothorum, iam tum *liberi suiue iuris facti, nulli, praeterquam Zupanis suis Banisque*, morem gesserint. Haec ubi in vetustioribus legisset Constantinus, non distinctis bene temporibus, ad suam perperam traduxit aetatem. Hanc etiam putes caussam, cur Dalmatici scriptores Gothicos principes cum suis confuderint; quod utrique haberent in diuersis prouinciis suos, aut vna in republica promiscuos; prout Auares Bulgarosque habuisse nouimus. c) Et haec quidem de Constantini phrasi, quantum ea Chrobatos concernebat, dictum esto. Nunc de Chrobatorum etymo, narrationisque, de eorum in Dalmatiam a Βαγβαρείη aduentu, origine quaedam protulisse liceat.

XXXVIII. Si etymologia Constantini bene haberet, Χρωβάτοι significarent nobis οἱ τῆν πολλὴν χώραν κατέχοντες, *multam terram possidentes*, idque Sclauorum lingua,

a) Vid. Salag. L. IV C. III num. 15 seq.

b) Haec erat ambitio Graecorum, ut numquam alios agnoscere voluerint Imperatores Romanos, ab occasu occidentalis imperii, praeterquam se vnos; etsi parum admodum in occidente tenerent, et maximam orientalis partem (Constantini huius aeuo) amiserint.

c) De his vid. Pray Ann. Auar. p. 250. Conf. Indag. Croat. patr. et spec. Philol. L. I.

lingua, vt ipse ait. Et Lucius quidem, a) eumque secuti, Βελοχρωβάτους sic interpretantur, b) quasi *Vel-horvatos*, id est, *magnos Chrobatos* diceret. Auctor chronici Slauo-Bohemici, post magnam de Chrobatis dissertationem, dubius demum, *quid si*, ait, c) *Hrvati vox sit contorta ex Gorovata zem, seu montosa terra, vnde corrupte Hrvati ac Chrobati, quasi Gorovati dicti sunt?* Atqui vero Constantinus neque *magnos* dixit, vt essent *Vel-horvati*, d) sed ἀσπρούς *albos*, Sclavis *bel, biel*; vnde *Belo-Chrobati*: neque *montanos*, vt *Gorovati* forent; sed πολλήν χώραν κατέχοντες, *multam regionem tenentes*. Vt adeo vniuersa haec recentiorum originatio inanis esse videatur, in primis, quod Porphyrogeneta non tam Slauicum considerarit vocabulum, quam potius graecum, χώραν videlicet, quod *terram*, seu *regionem* Latinis designat; ex quo Χρωβάτους, quali Χωροβάτους (nam et sic scribuntur) e) deriuatum putarit, aut etiam voluerit, Chrobatis per hoc velificari volens: cum neque Χρωβάτοι vocem quidquam Slavis denotare sciamus, et ipsi se non Χρωβάτους sed Ἀρβάτους compellare soleant. Fortasse feliciter quis *Harvatos* nostros a monte Καρυάγκας *Carvancas*, quem adcoluere, deduxerit. Ex Ptolemaei descriptione mons hic Pannoniae limes erat ab occasu hiberno, f) vbi Norici, Carni, Iapodes, Iltri, Liburni erant vicini, eo fere loci, quo Strabo posuit *Ocrum*. g) Heic profecto μεγάλην Χρωβατίαν Caesaris fuisse existimo, vbi aetate huius *Carantani* fuere, vt haecenus a nobis est memoratum. h) Certe non alibi et hodie Croatiam quaeras, seu gentem, seu etiam nomen consideres. Quae vt clarius lector perspicere queat, libet occasionem, quae Constantinum, de origine Chrobatorum vt commentaretur, pellicere potuit, inuestigare.

Heraclio Constantinopoli imperante, Bulgari, Mysiam adusque Thraciae con-
finia tenentes, habebant principem, *Crobatum* nomine, i) qui Cuturguros, quos
vna regebat, qua nescio de causa patriis sedibus cum expulisset, reiecit Auarum
Chaga-

a) Regn. Dalm. L. I Cap. 11.

b) Bandur. in not. ad Constant. Conf. Pubits. ad ann. 638 p. 236.

c) Pag. 238.

d) Dicit quidem is Cap. 31 fine, et Cap. 32 μεγάλην Χρωβατίαν, *magnam Chrobatiam*, (vid. Luc. l. c.) sed eam *albam* quoque, ἀσπρήν, nuncupari ait; et *Belo-chrobatos* constanter ἀσπρούς interpretatur.

e) Vid. supr. n. 23, vbi et Κραβάλοι.

f) Geogr. L. II Tab. Eur. V, Cap. 14, 15.

g) L. VII Geogr. p. 314. Conf. p. 207. quasi *Okraj*, limes.

h) Supr. Cap. hui. n. XXI, seqq.

i) Sic Theophan. ad an. XI Constantini Pogonati; Nicephorus in breuiar. *Histor. Cubratum*; Miscella L. XIX *Orbatum* nuncupat. Vid. Pray *Annual. Auar.* ad an. 635.

Chagano, Heraclii se fidei tradidit, quocum, dum viueret, constantem coluit pacem. De hoc ita Nicephorus, Patriarcha CPolitanus, *sub idem fere tempus*, inquit, a) (circ. an. 635, Heraclii 25) *Cubratus, Ogoranae consobrinus, b) Hunogundurorum dominus, contra Abarorum Chaganum rebellat, populumque omnem, quem ab ipso acceperat, contumeliosè habitum, patriis sedibus expellit. Inde legatione ad Heraclium missa, pacem cum eo componit, quam ad finem vsque vitae suae conseruarunt: nam et munera ad ipsum Heraclius misit, et Patriiciatum detulit.* Cubratus hic, quem Theophanes *Crobatum* adpellat, *Bulgariae et Cotragorum dominum, c)* quinque filios habuisse dicitur; quibus, letho vicinus cum esset, conuocatis, testamento sanxit, ne diuiso populo seorsim sibi regnum pararent, verum animo copiisque coniunctis auitas sedes repeterent, isticque res suas moderarentur. At illi neglectis paternis monitis paullo post, pater quam defunctus esset, d) quisque suam populi partem in diuersas terras abduxerunt, siue regnandi cupidine illecti, siue re ipsa id consilium a Romanis (Graecis) acceperunt, qui gentem armis potentem, etsi amicam, tamen facili etiam de causa in vtramuis partem veriatilem, ab suis prouinciis ea ratione amoliri voluerunt. Itaque natus maximus *Bathaias*, aut *Batbais*, vel, vt alii quoque scribunt, *Baianus*, ex parentis praecepto in patriis ad *Cuphim* annem terris constitit. Secundus *Contragus*, transmissis *Tanai*, ex aduerso *Batbaiae* sedes posuit. Quartus vero et quintus ex *Cubrati* liberis, postquam *Danubium* praeteruecti essent, ille in *Pannoniam* iter deflebens *Auarum* *Chagano* se permisit, iste contra *Pentapolim* ad *Raennam* perueniens, eorum, qui isthic dominabantur, imperio se subiecit. Tertius, cui *Asparuch* nomen, superatis *Danastro* et *Danapri* fluminibus, ad *Onclum* annem profectus cum suis substitit. Haec de *Crobato* eiusque liberis ex *Annalibus Pray* defumimus. e) In hac iam narratione quaedam *Chrobatorum* incunabula contineri posse, nemo non videt. Profecto, *Chrobati* nomen, *quinque filii*, *legatio ad Heraclium*, cum phrasi *Constantini* non conuenire non possunt. Accedit *Bulgarorum*, eodem *Heraclio* regnante, e patria sua in *Boioariam*, et inde in *Marchiam* *Winidorum*, migratio, cui clades, quam iis intulere *Abares*, occasionem dedit.

Cum

a) In breuiario Hist.

b) Ogorica stirps, ex qua *Cubratus* matrem habuerit, vna ex validissimis tribubus *Hunnis*, teste *Theophylacto*, erat. Vid. *Pray Dissert. praeu. ad Annal. Auar.* p. 193, seq.

c) Ad an. XI *Constant. Pogon.*

d) Circiter an. 667, vt *Pray* existimat.

e) *Annal. Auar.* p. 259, vbi hanc narrationem sic adfert *Prayus*, vt eam, in primis circa dispersionem filiorum, historicam esse putet. At *Bulgari* iam ante 37 annos, vt ipse testis est, in *Pannonia* erant. Ad *Volgam* *Graeci* posteriores, similitudine vocis abrepti, *Bulgaros* deduxere.

Cum enim de imperio inter vtrosque orta contentio esset, quod Abares suorum alicui, Bulgari contra Bulgaro id deferri vellent, ad manus ventum, Bulgarique victi, IX millia virorum cum vxoribus ac liberis, relicta Pannonia, in Dagoberti Francorum regis fidem se dediderunt. *Vnus ex Habaris, alter ex Bulgaris, inquit Fredegarius, a) collecta multitudine inuicem pugnarunt; tandem Habari Bulgarios superant. Bulgaris superatis nouem millia virorum cum vxoribus et liberis de Pannonia b) expulsi ad Dagobertum expetunt petentes, vt eos in terra Francorum manendum reciperet.* Dagobertus nouam populi accessionem libenter accepit, et dum communi Francorum consilio de iis deliberaretur, hiberna inter Boioarios capere interea iubet. Sed Simulatam fuisse amicitiam euentus probauit: cum enim, vt Fredegarius scribit, *c) dispersi per domos Baioariorum ad hiemandum fuissent Bulgari, cum consilio Francorum Dagobertus iubet, vt Bulgarios illos cum vxoribus et liberis vnusquisque in domo sua in vna nocte interficerent; quod protinus a Baioariis est impletum, nec quisquam ex illis remansit, nisi tantum Alticeus cum DCC viris, vxoribus, et liberis, qui in Marchia Winidorum saluatus est.* Inhumanum sane facinus (addit Prayus) ad quod perpetrandum se suorum consilio Dagobertus adduci passus est, quod moribus et habitu Sclauos referrent, cum quibus fere bella et similitates Boiis continenter intercedebant. Idem Hungariae Annalium auctor, cum ante Samonis Vinidos in Carantano fuisse negarit, heic Vinidorum Marchiam vltro concedit. Nos haecenus monstrare conati sumus, *d) Vinidos Sclauos tempore hoc a scriptoribus Francis non nisi eos, qui postea Carantani audiuerunt, nuncupatos fuisse. Marchia Vinidorum in chartis, quas Homannianas dicimus, eam occupat Carnioliae hodiernae partem, quae defluxu Sauii ab Labaco est ad Croatiae fines, inter Czirknicz lacum et amnem Colapim. In vetustioribus, vti apud Ortelium, in vna Windisch Morch comparet Zagrabiensi regione, vbi Sclauoniam e regum Hungariae diplomatibus fuisse nouimus, et indigenae se hodieque Horvatos nuncupant. In altera Windisch Land eam Sclauoniae partem complectitur, quae Sauum inter Drauumque est ab Zagrabia pene ad Eszekum vsque. Quidquid porro de hoc sit (neque enim hanc quaestionem ad medii aevi Geographiam spectantem nunc definitio) certum ex haecenus adductis esse censeo, Vinidos, eorumque Marchiam, id est, prouinciam limitaneam, non apud Albim, Oderamque, sed apud Sauum quaerendam.*

XXXIX.

a) Cap. LXXI ap. Pray Annal. Auar. p. 250.

b) Vnde hi Bulgari in Pannoniam venerint, nemo, quantum sciam, seu e veteribus, seu e nostris docuit. Atqui vero id necessum erat ante, quam Sclauum genus medio seculi septimi prius e Pannonia extermines. Si non hi sunt indigenae Pannonii? Sclaui certe erant, non Auares.

c) Cap. LXVIII ap. Pray l. c.

d) Priori Cap. num. XXIV.

XXXIX. Profectio haec, et clades miseranda Bulgarorum, cum in VII Samo-
nis annum inciderit, Christi vero 630, qui tum in primis potentiam per Sclauicas
dilatabat gentes, excusso paullo ante his in partibus Auarum iugo, iniquam cog-
natae gentis necem miseratus, iuncta cum residuis opera, Boios partim Francos-
que ad boream, partim Auares reliquos ad meridiem ortumque eousque laceffere
non destitit, dum gentiles suos pene vniuersos, qui tum communi vocabulo *Sclau*
dicebantur, pristinae libertati restituisse. Ex hoc profecto Pannonii, Carni, Dal-
matae, qui adhuc peregrinae gentis iugo premebantur, respirasse, *suisque legi-*
bus, non alienis, vt Constantini verbis vtar, viuere coepisse videntur. Haec vbi
Porphyrogeneta in vetustioribus legisset, nimirum, quemdam *Chrobatum* Heraclii
aetate apud Sclauos exstitisse, eumque *exactis Auaribus*, imperatori missa legatio-
ne se in fidem tradidisse, regnumque filiis *quinque* reliquisse; ad haec e *Baioariis*
clade accepta Sclauum genus ad confinia *Dalmatiae* venisse, qui sua aetate *Chro-*
bati vocarentur: tempus adesse ratus, vt narratio speciosior euaderet, Chrobatos,
nullo spectato rerum temporumque ordine, vt facere consuevit, a *Βαγβαρεία*,
quinque fratrum, duarumque sororum ducatu, in Dalmatiam deduxit. Et haec
mea de Chrobatorum apud Porphyrogenetam origine sententia est; quam si quis
amplecti nolit, omnem Caesaris de Chrobatorum in Dalmatiam aduentu orationem
inter fabulas referre pace nostra poterit: cum de eo omnis rerum vetustas, prae-
terquam diximus, altum sileat. Plura tamen in ea Constantini phrasi latere, non
negarim, quae, si restituerentur sibi, non absque vsu futura videantur. Et mag-
nam apud posteros fidem in iis quoque, quae se antecesserant, habiturus erat,
ni e sua aetate plurima desumens rebus induxisset confusionem. Id experti Croa-
tae sunt; de quorum incunabulis acturus, et nomen *Chrobatorum* et patriam de-
scripsit, vt haec suo vsurpabantur tempore: quamquamquam ne id quidem distin-
cte, confusis multarum prouinciarum limitibus, et *Χρωβάτων* adpellatione iis quo-
que tributa, qui sic haud nuncuparentur. Respexisse porro eum per *μεγάλην*
Χρωβατίαν censeo Carnorum agros, qui tum per Carnioliam hodiernam, Carin-
thiam et Stiriam vno *Carantani* vocabulo tendebantur. Atque huius incolae tum
albi Croatiae, *Βελοχρωβάτοι*, *Beli Horvati*, vulgo audierint, prout et hodie circa
Metlicam (Mötling, Metlika) audiunt, a) qui locus in ea Carnioliae regione est,
vbi non ita pridem *Vinidorum Marchiam* posuimus. Deinde, cum eandem ob-
seruaret gentem in Liburnia, Mysia, Pannonia, istuc quoque Chrobatos e Dalma-
tia (Liburnia) colonos misit; bene quidem, si ratio gentis, quae ab vna sit stir-
pe orta, habeatur, non item si regni: cum nomen *Croatiae* proprie dictae Libur-
norum

a) Vid. Kerckel. Praelim. p. 50. *Beli Horvati*, quasi *albo-montani* ab *Albio*, qui Li-
burnos a Pannoniis dirimebat, compellati fuerint, ad distinctionem aliorum, qui
nigro-montani, *Cerno-gorci*, *Bebium* et *Scardum* adcolentes, hodieque dicuntur; qui
non minus aetate hac nostra praestantes in militia sunt, quam fuerint *Augusti*
aetate, quos a virtute militari Appianus multum celebrat. Vtique *virtus auorum in*
nepotes transit.

norum et Iapodum agros excessisse non videatur. Et nuper admodum factum sci-
 mus, vt Sclauonia cis flumen Sauum in Croatiam migraret; cui rei occasionem
 dedisse gentis adpellationem putes: *Horvatos* enim se communiter adpellant. a)
 Nomen porro Ἀρσάτων a Καρβάγχα profluxisse, monte, quem ipsi adcoluere,
 nihil improbable videtur. Καρβάγχα autem, quasi Καρβάγχα, Croatis *Krban-*
ka, quasi *Hrbanka*, aut *Grhanka*, Latinis *collem*, aut *montem* delignat minu-
 tum. Quae cum Strabonis phrasi concordant, qui Ὀρεων, scribit, b) ταπεινότη-
 του μέρος τῶν Ἀλπίων, partem esse *Alpium humillimam*, qua ad *Carnos* acce-
 dunt, et per quam ab *Aquileia* curribus portantur merces ad locum, cui nomen
Pamportum, c) iter *stadiorum non ultra quadringentorum*. Collem nostri, et
 locum quemcumque editum, adpellant *brig*, *brieg*; tumulum *greb*, *grob*, per me-
 rathesin scilicet ex Croatico *breg*. Quia vero literas *g*, *k*, *h*, initio praesertim,
 apud nostros saepius permutari videas, inde *hreb*, aut *hrb*, *hrbat*, *tumulus*, ac per
 metaphoram *dorsum*, pro *gerb*, *grbat*, *krbat*, enata. Carnioli et hodie collem
hrb, tamquam *hrb*, nuncupare solent. Vt adeo *Horvati*, seu *Hrvati*, quasi
Hrbati non aliud sibi velint, nisi *adcolae montium*. Persistit Καρβάγχα nomen
 in *Corbauia*, quam nostri *Karbaya*, seu *Krbaya* exprimunt, qui tractus Croatiae
 montanae ab *Carnis* ad *Dalmatas* proprie dictos est. *Greb* vocabulum retinet ve-
 tus Sclauoniae superioris vrbs *Zagrabia*, quam nonnulli a *fertilitate*, alii a fonte
 nescio quo, quasi *zagrabit* haurire, d) deducunt, cum tamen non aliud *Zagreb*
 (sic enim adcolis dicitur) significare velit, quam *trans-collem*, aut *ultra-tumulum*.
 Hungaricum etiam *Zabrag*, quasi *Za-hreg*, idem omnino sonat. Germanos mit-
 to, qui vti plura alia Sclauorum oppida, familiari sibi pronunciandi vsu, corruper-
 re, sic et in *Agram* suo specimen rei huius dederunt. Si collem *Grob* dicere vo-
 les, facile hinc *Χρωβάτου* deducere valebis. Consonae *b*, et *v*, vti apud Grae-
 cos, ita et nos permutantur non vna vice; inde pro *hrbat* enatum *hryat*, quod in
 translato sensu *dorsum* signat: vnde hodie quoque *luctari* dicimus *hryati-se*. Ce-
 tera *Chrobatorum* memoria ante nonum seculum, quod sciam, in monumentis
 non comparet: primum enim in *Tirpimiri*, Croatorum principis, nomen compe-
 rio; sed tum primo enatum, quis dicere auit? *Caruanca* vetus est vocabulum,
 vtpote seculi Antoninorum, a quo nostri iam tum *Harvacani*, vti et nunc audiunt,
 compelli poterant. Certe haec nomina neque e *Latio*, neque e *Graecia*, aut
Germania huc adlata sunt, neque vna nocte, veluti *fungi*, enata; et nostri se
 domesticis vocabulis, quae ab locorum in primis accepere adiunctis, ante quam

a) Vid. Cap. hui. n. XVI, XVI, XXII.

b) L. IV Geogr. p. 207, L. VII p. 314.

c) Nauportum alibi dicit, L. VII p. 314, hodie *Wippach* creditur, oppidum Carniolae.

d) Vid. Kercsel. H. E. Z. et in Praelim. p. 30, vbi ab *Zaberga* Cuturgurorum duce
 deriuat.

vlla gens exera huc adpulfiffet, compellarint. Et haftenus quidem de Croatis. Iam et *Serblos* videamus.

XL. *Serblos* *Constantinus* eiusdem generis facit cum *Chrobotis* non baptizatis, quos in *μεγάλη Χρωβαρία* ante poluerat. a) His vicinos olim habitaffe, ante quam in *Illyricum* abiffent, vbi capite 31 memorauit, fequenti hanc *Serblorum* reliquit memoriam. „ Sciendum eft, *inquit*, *Serblos* oriundos effe a *Serblis* non baptizatis, qui etiam albi cognominantur, et vltiora *Turciae* incolunt, in loco ab illis *Boici* (*Βωϊκοί*) nuncupato, cui finitima *Francia* eft, vii et magna *Chrobotia* baptifmi expers, quae etiam alba cognominatur. Illic igitur initio *Serbli* hi habitabant. Principatu autem *Serbliae* a patre ad duos fratres deuoluto, alter fumpta populi parte dimidia, ad *Romanorum Imperatorem Heraclium* confugit, qui et excepto locum ad habitandum dedit in *Theffalonicae* themate, qui ex eo tempore *Serblia* nuncupatur. - - *Serui* autem inde fic cognominati funt, quod *Romanorum Imperatori* feruient. Aliquanto vero poft vifum eft *Serblis* in terram fuam redire, et dimiffit quoque illos imperator; fed cum traieiffent *Danubium* flumen, poenitentia ducti, per *Praetorem*, qui tunc temporis *Belgradum* adminiftrabat, ab *Heraclio Imperatore* petierunt, aliam fibi terram ad inhabitandum adfignare vellet. Cumque ea, quae nunc *Serblia* dicitur, et *Paganiam*, quaeque *Zachlumorum* terra vocatur, item *Terbunia*, et *Canalitarum* regio, quae *Imperatoris Romanorum* dittonis erant, propter *Abarum* excurfiones defertae effent, expulfis inde *Romanis*, qui nunc *Dalmatiam* atque *Dyrrachium* incolunt, regiones illas *Serblis* habitandas *Imperator* dedit, cui etiam fubiedi erant, a quo etiam baptizati fuere per *presbyteros* *Roma* accerfitos, et pietatis opera edocti, antiqua fide accepta. - - *Serbliae* princeps ab initio, id eft, ab imperio *Heraclii* vsque *Romanorum imperatori* fuberat. - - Suntque in baptizata *Serblia* oppida, quae habitantur, *Deflinicum*, *Tzernabuscee*, *Megyretus*, *Dresnec*, *Lesnec*, *Salenes*; in agro vero *Bofonae* *Catera*, et *Desnec*.“ b)

Dat poftea ceterarum quoque, quas in *Dalmatia* *Serbli* poffedere, prouinciarum topographiam. „ *Zachlumorum*, *inquit*, c) terrae *Romani* primum dominabantur, illi nimirum *Romani*, quos *Diocletianus imperator* *Roma* eo velut in *coloniam* deduxit. *Romanorum* igitur imperatori prius parebat *Zachlumorum* regio, fed ab *Abaribus* poftea fubiugata, et in vinculis abductis ipfius incolis, tota haec regio deferta fuit. Qui vero nunc illic habitant *Zachlumi*, *Serbli* funt ab illo prin-

a) Vid. fupr. n. 36.

b) Fortaffe *Kotor* ac *Teshany* circa *Bosnam* fl. oppida *Bosnae* inferioris. Vid. *Ochev*, *Epit. Prou. Bofn.* p. 110. *Lucius Cateram* in *Cataro* feu *Kotor* litorali quaerit, nescio an recte. In *Serblia* baptizata loca circa *Drinum* quaerenda, vt *Salinae*.

c) De adm. Imp. Cap. 33.

principe, qui ad Heraclium Romanorum imperatorem confugit: et Zachlumi dicti sunt a monte Chlumo nuncupato: et alias Sclauorum dialecto Zachlumi dicuntur ii, qui post collem habitant; quandoquidem magnus inibi collis est, in cuius vertice vrbes duae sunt, Bona, et Chlum: suntque in Zachlumorum territorio vrbes habitatae, Stagnum, Mocriscic, Iosle, Galumanic, et Dobriscic.“ a)

Porro scribit: b) „Terbuniatarum, Canalitarumque eadem regio est; incolae vero a non baptizatis Serblis descendunt, qui illic habitauerunt ab eo usque principe, qui a Serblia non baptizata ad Heraclium imperatorem confugit. - - Habet autem tam Terbunia quam Canale oppida, quae habitantur, haec: Terbuniam, Hormum, Rhifena, Lucabete, et Zetlebe.“ Ante vero c) de eadem provincia: *A Decateris incipit Terbuniae principatus, porrigitque se Raufsum usque; at versus montana Serbliae adiacet.* Ac rursus: *Ragusum, inquit, vrbs medium iacet inter has duas regiones, nimirum inter Zachlumorum regionem, Terbuniamque; et habent Ragusini ciues in vtraque hac regione etiam vineas suas.*

De Dioclea vero haec tradit: d) „Etiam Dioclea regio primitus occupata erat a Romanis, quos illuc Roma transfulerat Diocletianus imperator, - - et Romanorum imperatori erat subiecta; sed ab Abaribus haec quoque regio subiugata, ac vastata fuit; et sub Heraclii imperatoris temporibus habitari iterum coepit, quemadmodum Chrobatia, Serblia, Zachlumorum terra, Terbunia, et Canale. Dioclea autem nuncupata est illa regio ab vrbe ibi condita a Diocletiano imperatore, e) quae nunc habitatoribus vacua, in hodiernum usque diem Dioclea appellatur: suntque in ea regione vrbes habitatae magnae, Gradetae, Nugrade, et Lontodocla.“

De Pagania demum, siue Arenta, sic Porphyrogenitus: f) „Regio etiam illa, scribit, quam nunc Pagani incolunt, primitus a Romanis tenebatur, quibus Roma deductis imperator Diocletianus in Dalmatia sedes adsignauit. Et oriundi sunt etiam ipsi Pagani a Serblis non baptizatis, ab eo scilicet principe, qui ad
Hera-

a) *Zachlumi* corrupte pro *Za-Hlivni*, ab *Hlivno*, alias *Clinovo*, Bosnae superioris, seu *Ramae*, oppido. Sed est mons quoque *hlum, klum, kum*, in finibus *Herczegovinae*. *Bona, Dobra*, ad fluvium *Buna*, *Iosle* forte *Tusla*, *Galumanic, Glamocs, Dobriscic, Doborevo*.

b) De adm. Imp. Cap. 34.

c) Cap. 30. Terbunia, *Trebinye*.

d) Adm. Imp. Cap. 35.

e) Longe ante Diocletianum exstabat *Dioclea*, hodie *Vertograd*, in Zeta provincia.

f) De adm. Imp. Cap. 36.

Heraclium imperatorem confugit. Capta vero itidem ab Abaribus, et vastata haec regio, sub Heraclio imperatore rursus incolis frequentari coepit. Pagani autem dicuntur, quod baptismum non accepissent eo tempore, quo Serbli omnes baptizati erant: ita enim Sclauorum lingua nuncupabantur, quicumque baptismi expertes. Romanorum vero dialecto regio eorum Arenta nuncupatur, unde ipsi a Romanis Arentani adpellantur. Habet Pagania vrbes habitatas, Mocrum, Berullia, Ostroc, et Labinetza: possident item Arentani insulas magnas, vnam, quae Curcra, siue Cicer dicitur, in qua habetur et vrbs: alteram, quae Meleta, siue Malozeate, cuius in actis Apostolorum Diuus Lucas meminit, Melitam eam nominans: vbi et serpens D. Pauli digitum mordens, ab eo excussus igne conflagrauit. Tertiam insulam magnam, quae Phara dicitur: quartam, quae Bratzes. Sed et aliae praeterea insulae sunt, quae ad Paganos non pertinent, puta, Choaca, Ies, Lastoben. " Alibi vero: a) „ A Ragulio Zachlumorum principatus initium habet, et ad Orontium b) flumen tendit, oraque maritima Paganis, montana, quae ad septemtrionem, Chrobatis, quae in fronte, Serbliae contermina est." Et rursus: „ Ab Orontio Pagania incipit, procurritque ad Zentinam flumen, et Zupantias tres habet, Arastorzam, Mocrum, Dalen; et Arastorza quidem ac Mocrus ad mare sitae sunt, et sagenis piscatum exeunt. Dalen autem procul abest a mari, et ex agricultura viuunt, habentque in propinquo insulas quatuor, Meleta; Curcura, Bratzo, et Pharus, omnes pulcerrimas, fertilissimasque; oppida item deserta, et paludes multas, in quibus habitant, et iumenta alunt, unde vitam tolerant." Et haec quidem Porphyrogeneta.

XLI. Haec de Serblis Constantini oratio non minus singularis est, quam ea de Chrobatis, quamcumque eius partem spectare velis. Deducit is Serblos a locis, Chrobatorum agro conterminis, Βοιωτι nuncupatis; quo ipse vocabulo itidem *Boioariam* designare voluerit: certe nihil minus quam *Boiohemum*; quod Constantini aerate, ex qua is haec locutus est, nomen istud exoleuerat, incolae vero *Behemanni* compellabantur. Sed quia Serblos in patriam, id est, ἀσπρὴν Σερβλίαν, vt ipse ait, redituros per Danubium traducit, cogitare quis valeat, eum *Sorabos* Francorum, Lusatiam incolentes Misniamque, respicere tum voluisse; in primis, quod ea regione Sclauicos inter populos, Russis vectigales, Σερβιοὺς quoque memorat; c) et inter Maeoticos Plinio d) ac Ptolemaeo e) Serbi, Σέρβοι qui

a) Cap. 30.

b) Orontius, Narenta vel Ram. Vid. Luc. p. 65, Pray Annal. Auar. p. 257 not. e.

c) De Themat. ap. Schlöz. p. 536 seq.

d) H. N. L. VI Cap. VII init.

e) L. V Geogr. Cap. IX.

qui ab Volga primum in Sarmatiae campos, vt nostri volunt, a) effusi; tum propius Carpatem; inde vero in Dalmatiam profecti fuerint. *Σερβίων* itaque vocabulo Caesarem *Sorabos* eo quidem loco respexisse non negauerim; sed vbi de Serblis Dalmatiae agit, cum eos non *Σερβίους* verum *Σέρβλους* constanter vocet, albaeque Chrobatiae, quam nos in Carnis reperimus, conterminos dicat, vox autem *Βωϊκί* Lusatae nulla ratione quadret; censeo *Σέρβλους* Caesaris vti ab iugis Carpati remouendos, ita ab *Sorabis* Misniae distinguendos esse. Quamquam nec *Sorabos* facile cum *Serbis* Plinii aut Ptolemaei commiseris: cum facile accidere potuerit, et accidisse quoque videatur, vt gentes, in regionibus maxime disitis, analogum haberent nomen; nec *Serblis* nostros cum Francis quibusdam b) *Sorabos* nuncupaueris: quid enim Dalmatae ad Lusatios? Ceterum id singulare apud Constantinum videas, quod a paucis Serblis omnem Dalmatiam, Dardaniam veterem, Mysiam superiorem, et Pannoniam trans Sauum, vbi nunc Bosna, fulminis instar occupatas imaginetur sibi, et sub Heraclio quidem, Auaribusque has partes tenentibus, vt ipse vult, idque supremis huius Imperatoris annis, si nostros audias Chronologos. Cum enim Chrobati anno 640 Dalmatiae partem, pulsus Auaribus, in suam redegisse potestatem dicantur, sequentis autem initio Heraclius e viuis excesserit, c) oportebat intra spatium trimestre, vniuersas, quas enumerauimus, prociuncias a Serblis vinci et subiugari. Quod vt quis credat, nemo sanae mentis pellici valebit? Ad haec, Romanos a Diocletiano in Serbliam inductos; inde vero ab Hunnis Abaris, quos ipse cum Sclauis miscet, eiectos; Diocleam ab Diocletiano conditam; Serblis non ante Heraclium baptizatos; quis sibi persuadeat? Vniuersum iam ante Illyricum Romanis paruissse nouimus; Auares vltra *Balben* in Dalmatiam nemo e coaeuis scriptoribus induxit; Dioclea Plinio iam cognita erat; Sclauos Dalmatiae in *Ecclesiae primitiis numeratos* fuisse summi Pontifices fidem faciunt. d) Et quare Zachlumi, Terbuniotae, Canalitae, Pagani, Diocletiani, si ab illo Serblorum non baptizatorum principe huc induci sunt, non item *Serbli* audiere? Ea scilicet haec erant tempora, quibus portenta de maioribus tradere, fictisque eos (vtinam non aequae insulsis) ornare laudibus, solenne admodum habebatur. Quae cum non satis discernere quidam aetatis nostrae scriptores, nescio qua aut nominis Porphyrogeniti, aut dignitatis maiestate moti, adeo ambas eius fabellis tradidere manus, vt eos, qui purpuratum scriptorem in iis, quae se antecesserant, refellere ausi essent, *temerarios, imperitosque*, et fortasse reos etiam *maiestatis*, adpellare nihil vererentur. Nos vero tales sibi sapere sinimus.

In

a) Cl. Asseman. Tom. IV Orig. Eccl. Sclau. P. II C. 1. Conf. Pubits. ad ann. 638.

b) Eginhard. ad an. 822, seq. Vid. Luc. L. 1 C. XV.

c) Ann. 641 mens. Febr. aut Mart. 11 die, natus annos 66. Vid. Katon. Chronol.

d) Vid. supr. n. 37.

In Serblorum nomine seu etymo non minus, quam in origine, iocum agit Constantinus, dum Serblos Romanorum lingua δούλους *seruos* dici ait: *unde serbula vulgo seruorum calceamenta adpellantur, et Serbulianos illos vocamus, qui ita viliter ac pauperum in modum sunt calceati; Seruii autem inde sic nominati sunt, quod Romanorum imperatori seruirent.* Nugae! Si Serbli in patria veteri, quam Βωϊκὴ adpellabant, iam *Serbli* sunt nuncupati, quorsum vox graeca a) σέρββλα? Et qui sunt illi Imperatores Romani, quibus paruere Serbli, vt *Serui* dicerentur? Quod autem est idiomatis genus, in quo Σέρββλοι significant δούλους? Si enim δούλος graecum est, *seruus* latinum, quo iam pacto *Serbli*, aut potius *Srbli* erunt *serui*? Graecis certe, quos ipse Romanos adpellare consuevit, Serbli vniuersi paruere numquam. Neque ineptius quid esse potest, quam Slauam vocem e Graecis aut Latinis fontibus deriuare; cum a *Serbino* Pannoniae inferioris oppido, b) ex Antonini hodoeporico circa Sauum iacente, aut ab agro Bosnae *Szerp* nuncupato, *Serblorum* originatio facilius, mea quidem opinione, deduci potuerit. Sed quid Serblos alibi quaerere sit necessum, nisi in patria sua? Nemo vero, quantum sciam, e tota retro vetustate, si Constantinum demas, alia in regione *Serbliam* posuit, quam in Illyrico. Heic igitur *Serbli* quaerendi.

XLII. Vetustissimis ab hominum memoria temporibus in agro Serbliae hodiernae comperio Dardanos ac Triballos, communi vocabulo Myfos. Dardani mediterranea tenuere ad Paeonas, vti supra est memoratum. c) De Triballis hac ratione Strabo, Κατασφραγήμενοι δέ ποτε, inquit, d) οἱ Αὐταριάται Τριβαλλοῦς ἀπὸ Ἀγριανῶν μέχρι τοῦ Ἰσθμοῦ καθήκοντας ἡμερῶν πεντεκαίδεκα ὁδόν, ἐπήρξαν καὶ τῶν ἄλλων Θρακῶν τε καὶ Ἰλλυριῶν; *Sed Autariatae cum Triballos domuissent, qui ab Agrianis vsque ad Istrum quindecim dierum itineris spatium occupabant, supra alios etiam Thracas et Illyrios se se etulerunt.* Agriani, eodem Strabone teste, ad fontem Strymonis, atque adeo in Dardanis Paeonibusque colebant. Etenim, ὁ Στρυμῶν πωταμὸς, scribit, e) ἀρχεται ἐκ τῶν περὶ τὴν ἰσοδόπην ἀγριανῶν, *Strymon fluuius oritur ex Agrianis, Rhodopen adcolentibus.* Ptolemaeus adhuc Triballos apud Ciabrum, Mysiae flumen agnoui, dum eos in Mysia inferiore maxime

a) *Czrevlje*, calcei Dalmatis.

b) Ptolem. L. II C. 16 ponit sub gr. long. 42, 20. lat. 46, 30. Sed, si hoc Serbinum ex itinere Anton. *Sirmio, Salonas, Seruitti*, aut, quod melius Tabula expressit, *Seruitio* interpretari libet, gradus latitudinis hoc loco mendosus esse nemo non videt. Ex Tabula porro *Seruitium* dextro Sauu latere cadit pene, vbi hodie Turcorum *Gradishka*, id est, in *Bosna*, cuius agrum Serblis adtribuit Constantinus. *Berbir* Turcis adhuc *Gradisca* audit.

c) Cap. V, n. 13.

d) Geogr. L. VII p. 318.

e) In excerpt. L. VII p. 331.

me occiduos ponit. a) Vt adeo Triballi coluisse videantur olim eam Bulgariae Seruiaeque hodiernae plagam, quae a fontibus Moravae ad ostium Czibricae tenditur; pars deinde in occalum retrusa, pars traiecto Istro ad Getas digressi, vt Appianus memorat. Primam apud Aristophanem Poetam Triballorum comperio memoriam, postremam apud Stephanum. b) Strabo eos Thracibus adnumerat, Ptolemaeus Mylis, Appianus cum Stephano Illyriis, quod idem est. Appianum in primis, de Illyriis bene meritum, audire libeat. Is, postquam ex antiquorum traditione *Triballum* Paeono natum memorasset, *Paeonum* Autario, hunc autem Illyrio, *Illyrium* Polyphemo, ita prosequitur: „ Illyriorum gens, *inquit*, vt in tam ampla regione multa et vulgata nunc quoque inesse cernimus, Scordischorum et Triballorum fuit, qui tellurem ingentem possidentes, tamdiu inter se bello dimicant, quoad Triballorum, qui supererant, ad Getas supra Istrum fuga transiere. Haec natio (*Triballi*) ad Philippi et Alexandri vsque tempora potens habita, nunc adeo euiluit, vt nullo fere cognomine superesse videatur.“ Praeualente scilicet Mysorum nomine, quos Romani ad Sauum vsque a Pontoe esse voluerunt. Superfuere tamen ad Stephanum, quem sub Anastasio floruisse eruditi perhibent, c) eiusque epitomatores Hermolaum, qui Iustiniano dedicauit opus. Huic *Τριβαλλοι, Ἰλνρος Ἰλλυρικόν*, *Triballi, gens Illyrica*, dicuntur. Quamquam autem a Graecis Latinisque aetate hac ii quidem vocabulo communi *Illyrii* compellantur, vti ex monumentis nouimus; tamen proprium quoque iis in vsu fuisse nomen, quis dubitet? Certe paullo post *Serbli* his locis Bulgarique comperti sunt. Etli postea quoque, inductis iam Serblorum Bulgarorumque nominibus, Mysos quidam Triballosque scribere non dubitarint, vetustiora quippe respicientes tempora. d) Quid igitur est, quod prohibeat, *Serblis* dicere nepotes Triballorum? Neque abhorrent vocabula. Cum enim Attica dialectus id familiare haberet, vt pro σ vsurpet τ , quale est *θάλαττα* pro *θάλασσα*, facile acciderit, ad vitandam barbarae vocis asperitatem, vt *Τριβαλλοὺς* scriberent pro *Σριβαλλοὺς*. Tolle iam priores duas i et u vocales, quas Graeci ad emolliendum vocabuli sonum, vti posteriores quoque fecere, adhibuerant, *Σρβλους* obtinebis; vocem Illyrio quidem ori facilem, Graeco autem non infuetam modo, sed prolato pene impossibilem. Vnde vero hoc nomen *Serbli* ortum? Nisi diuinare quis velit, non ita facile tetigerit. Nostri profecto Illyriis adeo id familiare est, vt *Serblis* passim se compellent, non Seruiam incolentes modo, sed vniuersum pene Illyricum, ac Daciam quoque, in primis, qui

a) L. III Geogr. C. 10. Conf. supr. l. c.

b) Cedren. quoque ad an. 1054 meminit, p. 649.

c) Vid. praef. in Steph. edit. Amstel. 1678.

d) Zonaras Bulgaros dicit Mysos, Bonfinius Serblis passim Triballos. Conf. nott. in Steph. *Τριβαλλοι*.

qui Graecam sequuntur ecclesiam, qui per hoc maxime se ab ceteris distingui putant, quod *Srbli*, *Srblyani* nuncupantur. Sed et alii hoc iis nomen tribuunt seu Illyrii seu etiam Valachi. Vt adeo vetus haec denominatio non esse non possit, utpote per tot prouincias vulgata, tamque longo firmata vsu. Quod si Aristophanem audis, dii quoque barbari erant *Triballi* nuncupati. Sic enim is ἐν ὄρεισιν in *Auibus*: a)

Πει. Ὀνομα δὲ τέτοις τοῖς θεοῖς τοῖς βαρβάροις
Τί ἐστίν. Πρ. ὁ ὅτι ἐστὶ; Τριβαλλοὶ. Πει. μανθάνω.

Pisth. Nomen autem his diis barbaris

Quodnam est? Pro. quod est? Triballi. Pisth. intelligo.

Sit heic nugatus comicus, aut serio locutus, nihil interest; illud certum, nostros olim superstitionibus prae ceteris deditos fuisse, diis suis a virtute potissimum imposito nomine. Martem in primis coluisse Thracas, haecenus iam est memoratum. b) Hic *Trylin* ab conterendo, deuastando; c) *Srblin* ab animando, d) vocari potuit. Est quoque apud nos potus, qui *Sherbe* dicitur vulgo, ex melle et aqua paratus, omnibus pene Illyriis, maxime Serblis vsitatus, a quo hi nomen accipere poterant. Etypon eius quia eleganter iam Philosophorum princeps dedit Aristoteles, heic verbis illius depromere libet. „ Aiunt in Illyriis, *inquit*, qui Taulantii nuncupantur, ex melle vinum fieri; cum enim fauos expresserint, aquam infundentes in lebetes decoquunt, donec dimidium defecerit; deinceps in doliis effundentes, idque iucundissime iacitantes, dolia super tabulas reponunt, atque ibi longo temporis spatio permanere, et vinosum, ac praesertim suave, spirituosumque euadere inquirunt, ut nequaquam a veteri vino differat.“ e) Quamquam et *Sherbe* a *srhex*, illicium, pruritus, vocari potuerit. Non pauci sunt e priscis quoque, qui Thracas libenter potasse scripserint; f) quod tamen nescio an de solis dumta-

a) Ap. Stephan. voc. Τριβαλλοὶ, vbi correctum in nott. videas locum.

b) Cap. II, n. 3.

c) A *terti*, *trti*, terere; de quo supr. p. 17.

d) *Srbli*, prurit; vnde *srhex* prurigo. Quod et ad Venerem posset referri, cui deditos Thracas Nepos in Alcibiade testatur. At *Srbli* nostri, montana praesertim colentes, *Martem*, *Liberum*, *Dianam*, ut inquit Herodotus, cultu potiori profecuti fuerint.

e) Mirabil. Auscul. Taulantii circa Dyrrachium coluere. Vid. Mel. L. II C. 3.

f) Vid. Seuerin. Pann. Illustr. L. II Cap. 6. Sed plura de hoc in Geogr. Thrac. et Moes. Ceterum erant et *Serdi*, gens Thracia, qui *Serdicae* seu *Sardicae* nomen dedere, vnde *Serbi* nuncupari poterant.

dumtaxat Thracibus dici queat, cum et alii cultum Libero non illibenter praestare soleant. Et haec quidem de Serblis.

Vberius de Slauiica gente in Dacia et Illyrico, praesertim Bulgaris, Croatis ac Serblis commentari libuit, eo in primis, quod plures aetate hac nostra non modo hos in provinciis nostris *aduenas* docere, sed omne etiam Slauum nomen ex Illyrico omni Daciaque ante quintum sextumue seculum exterminare, adnisi sunt, idque auctoritate Porphyrogeniti prae ceteris. Nos ut Constantino in iis, quae vidit, non aegre adhibemus fidem, ita de occidente, sua quoque aetate, parum sciuisse, de iis autem, quae se praecefferunt, in primis quae de Chrobatis, Anaribusque, et Heraclio, memoriae prodidit, Caesarem, eiusque sequaces, fabulosa tradidisse censemus. Et Constantino quidem, qui suae aetatis, fabulas sectantis, genio usus est, facile quis dederit veniam; nostris vero, qui eum in hoc secuti sunt, apud quos critica in primis floret, utrum aequae dari queat, ignoro. Ceterum a me quidem eam non difficile impetraturi sunt, qui praeiudicatas, ut dicimus, opiniones, lecta hac mea commentatione, deponere voluerint. Quamquam non ita comparatus sim, ut vi a quoquam extorquere consensum velim, quod haec nonnullis placuisse video. Argumenta promo, meumque ratiocinium, data cuius libera arbitrandi facultate, adeo, ut, si quis meliora doceat, in eius sententiam, mea penitus neglecta, sim lubens iturus. Sed iam tempus est, ut et *aduenas* loquentes audiamus.

C A P V T VIII.

Aduenarum apud Thracas loquendi ratio.

I, Rationem temporis et isthic tenere, operae pretium esse duximus. Initium itaque a Graecis, quos in Thracibus opinamur antiquissimos, ducere liber. De veteri Graecorum idiomate multa differere superuacaneum putamus; in primis, quod ex eorum libris id facile cognosci potest, neque censemus esse virum eruditionis amantem, qui fit in eo peregrinus. Id dumtaxat haec notatum velim, Thracas nostros ab Graecis olim non pauca mutuatos; nec tamen adeo multa, ut Latini aut Germani. Praeter vocabula numeralia, in quibus ad denarium vsque cum Graecis Europei conuenimus omnes, haec quoque e pluribus apud nos vsurpari videas:

Latin.	Graec.	Illyr.	Latin.	Graec.	Illyr.
acerum . .	ὄξος . .	ocet	expellere .	ἀπελάουεν .	izpelyati
abdere . .	κρύπτειν .	kriti	fundamentum	θεμελιον .	temely
admonere .	ναθεύειν .	nuditi	mensa . .	τράπεζα . .	trpeza
adulor . .	πολακέωω	polagivam	mille . .	χιλία . . .	hilyada
aro . . .	ἀρῶ . .	orem	mus . . .	μῦς	mish
adurere . .	πυρόειν .	piriti	nato . .	πλέω . . .	plivam
crepito . .	πέρω . .	perdim	vngo . .	ἀλείφω . .	lipim.

Si quis vocabula, quae Graecis Thracibusque communia sunt, praeterea vtriusque structuram linguae consideret, magnam is adfinitatem obseruauerit; neque tamen idcirco aut Illyricam a Graeca, aut hanc ab illa ortam adseruerit. Non enim vocabula quaedam communia, et in calibus verborum, suffixis item, et modis nonnulla enuntiandi analogia, eamdem illico diuersarum linguarum originem arguit; quemadmodum varietas in dialectis, etsi notabilis, minime officit, quin eiusdem linguae dialecti dicantur. E structura linguae vniuersa naturaque petendam censeo seu cognationem cum alijs, seu diuersitatem. Secus enim, cum in quavis lingua, quot quot in orbe terrarum sunt, ex Hebraea quaedam comperiantur vocabula, ad eam vniuersa gentium idiomata referemus, matremque, vt aiunt, vnicam agnosceremus Hebraeam. Quamquam eo quidem sensu mater illa dici queat, quod ex confusione ipsius ceterae sint exortae; etsi ipsa *confusio* adeo mirabilis est, vt, si structuram linguarum consideres, totidem filias, a matre prorsus diuersas, opinabere. Vt adeo, si vocabula spectare velis, Hebraeam omnium matrem, fateare necessum est: si structuram linguarum internam, totidem sibi matres sunt (exceptis earum dialectis) quot ab se diuersas nouimus; vt quae sint non ex hebraea casu quopiam, sed virtute diuina, prognatae, adeo quidem, vt eae vniuersae consistere possent, etsi hebraea numquam exstitisset. Quare disputationem illam de numero *primigeniarum*, vt inquit, non adhuc finitam censeo; qui enim linguas eiusmodi *quinque* dices, si nos in Illyrico solo *decem* numeramus? Praeter *Hebraeam* quippe, *Graecam*, *Latinam*, *Germanicam* et *Illyricam*, quas aiunt primigenias, habemus *Arnautam*, *Hungaram*, *Armenam*, *Turcicam*, *Zingariam*, quae non minus ab se, quam a prioribus differunt adeo, vt aequae *matres*, ac illae, dici queant. Interea, dum de alijs recurret sermo, notaris, velim, maius Illyricam inter et Graecam, quam hanc et Latinam, intercedere discrimen. Latini quidem Graecos ita sunt imitati, vt cum scientijs vocabula quoque in suam deriuarint linguam adeo, vt, ni Graecam calleas, Latinos intelligere non possis; nemo tamen eruditorum erat, qui Latinam ab Graeca non secreuisset. Illyrii ab vtrisque seu per literas, seu consortium, acceperunt plura, sic tamen, vt illa nec tam sint multa, quam ea Latinorum ab Graecis, et non sit adfinitas tanta Illyricae cum Graeca, quanta est cum hac Latinae.

Vetus Graeca inter Literatos dumtaxat in vsu est, ceteri vulgatam, e commercio vicinarum gentium non modicum corruptam, adhibent. In Graecia tamen, utpote in patria, nitidius efferri Graeca videas, quam apud nos; quod enim nostri vitiose *kala shimera* dicunt, hoc illi καλὴ ἡμέρα, per epenthesein, pro veteri καλὴ ἡμέρα enuntiare solent. Ad haec admodum propere vniuersa efferunt, nulla etiam quantitatis habita ratione, ut eos aegre intelligas. Graeci in Illyrico non alii sunt nisi mercatores, e commercio Illyricam quoque loquentes: sed quos e corrupto sua enuntiandi modo facile dignoscas. Multi ex Illyriis, qui orientalis ecclesiae ritum sectantur, e Graecorum consuetudine addiscunt et sermonem, quo elegantius saepe vtuntur, in primis si peregrinatio accedat, quam ipsi Graecis nati parentibus. Id singulare apud hos videas, quod, cum vulgari sua in scriptis etiam vtantur, libros tamen veteri plerumque expressos habent. Marmora tamen, vulgari potissimum signata, legas. Vnum pro specimine adducere libet.

ΑΥΤΗ ΗΒΡΥΣΙΣ ΕΚΑΤΑΣΚΕ-
ΒΑΣΘΗ ΠΑΡΑ Τῶ ΚΥΡΙΑΣ ΤΟΥ ΜΙ-
ΧΑΗΛ ΕΚ ΜΟΣΚΟΠΟΛΕΩΣ ΕΙΣ
ΜΝΗΜΟΣΙΝΟΝ ΑΥΤῶ ΤΕ ΚΑΕ ΤΩΝ
ΓΟΝΕΩΝ ΑΥΤῶ L 1761 Αυσσα 17.

Ἡ αὐτὴ ἀνάβρυσις ἐκατεσκευάσθη πα-
ρὰ τοῦ κυρίου τοῦ Μιχαήλ ἐκ Μοσκο-
πόλεως εἰς μνημόσυνον αὐτοῦ τε καὶ τῶν
γονέων αὐτοῦ Λυκαβ. αΨΞα, βοήδρομι-
ῶνος ἐβδόμη ἐπὶ δέκα.

СИЯ ЧЕСМА СОЗИДАНА ИЖ-
ДИВЕНИЕМЪ ГДРА НАСТЕ МИ-
ХАИЛОВИЧА РОДОМЪ ИЗ МО-
СКОПОЛЯ ЖИТЕЛЬ И КЪПЕЧЬ
НОВОСАДСКИ ЗА СПОМЕНЪ
СВОИХЪ РОДИТЕЛЕЙ И ЗДРА-
ВИЕ СВОИХЪ ПОТОМКОВЪ.

Ova cesma fazidana jest trosh-
kom gospodara Naste Mihajlovicha
rodom iz Moskopolja, pribivaoc i
tergovac Novofadski za uspomenu
svoih roditelyah i zdravje poslid-
nyih svoih.

Sententia graeca, quam ad stylum veterem parte alia reddidi, significat: *Hic fons constructus est per dominum Michaellem Moscopolitam in memoriam sui et parentum suorum an. 1761 Augusti 17.* Russica non nihil sonat aliter, quam ad verbum Illyrice transtuli. Fons, de quo hic mentio fit, e sexto lapide structus, Petrouardinum inter et Karlouicium occurrit, quem adcolae *Beli bunar, album fontem*, nuncupare solent.

II. Post Graecos aduenae in Thracibus *Scythae* sunt, quorum definire genus vel ideò arduum, quod antiqui non vnam hoc vocabulo adfecerint gentem. Quid-
quid

quid enim ultra Istrum in boream ortumue mortalium est, id *Celtas Scythasque*, Strabone quoque teste, prisci nuncupauere, cum singulis suum dare nomen ignorassent. Bayerus, insigne illud apud eruditos nomen, cum in antiquitates Scytharum singulari inquisisset diligentia, eorum nomine Lituanos, Pruffos veteres, Curones, Liuones, Aestios, Fennos, et Lappones, populos a nobis longe remotos, complexus est, a) exclusis inde Sarmatis, Russis, Sclauis, Hunnis, Hungaris, Tataris. Sed cum vir, paucos inter doctissimus, Herodoti potissimum auctoritate, Scytharum imperium non ad Istri modo, sed Alutae etiam, Daciae fluminis, exitum tendere voluerit, vt Tiritas quoque et Istricos, Geticae stirpis populos, Scythi adnumeraret, pluresque diuersi idiomatis gentes Scytharum vocabulo complexus videatur, eius quidem hoc in genere cura vt nequimus. Non enim de Balthici adcolis, quo Scythae Bayeri spectant, hoc loco sermonem instituumus, sed qui ab Istro ad Tyram coluere, quos fuisse Getas ex ipso partim Herodoto, partim Strabone, Ouidio, Plinio, aliis, ostendere adnisi sumus. b) His immixtos, in mediterraneis praesertim, Bastarnas, intra Istrum Peucinos, vtrosque e stirpe Germanica, Strabonis Tacitique auctoritate monstrauius. c) Aliam ad Istrum gentem, quantum sciam, tota retro vetustas ignorauit. Naso certe, qui heic pluribus agebat annis, primos ab Istro in boream *Getas* ponit, tum *Basternas* et *Sauromatas*, denique *meterea regna* et *Colchos*. d) Ex eodem Poeta cognoscas, circa Tomitanam urbem ex aduenis non nili Graecos et Sarmatas versatos, raro Scythas; quamquam horum nomine et illos nonnumquam adficiat. e) Porro, cum Strabone teste, ab Scythi *palustria* potissimum *loca* circiter Pontum occupata fuerint, eademque Peucinis tribuantur, Scythas, ora Ponti Getis permixtos Germanicae originis opinabere. In primis, quod omne Scytharum his partibus nomen, aetate Plinii, in Sarmatas abiit Germanosque. Nam, vbi Istrum eiusque memorasset ostia, „ Ab eo, *inquit*, f) in plenum quidem omnes Scytharum sunt gentes: variae tamen litori adposita tenuere: alias *Getae*, *Daci* Romanis dicti: alias *Sarmatae*, Graecis *Sauromatae*, eorumque *Hamaxobii* aut *Aorsi*: alias *Scythae* degeneres a seruis orti, aut *Troglodytae*: mox *Alani* et *Rhoxolani*. - - A *Maro*, siue *Duria* est, a *Sueuis* regnoque *Vanniano* dirimens eos, aduersa *Basternae* tenent, aliique inde *Germani*. g) - - Scytharum nomen vsque quaque transit in *Sarma-*

a) De orig. et prisc. sedib. Scythar. p. 63.

b) Cap. V n. 3 seq. n. 12, 18. Cap. VII n. 2.

c) Cap. V n. 2 fin. n. 12 fin. Cap. VII n. 2.

d) Trist. L. II a v. 191.

e) Vid. supr. Cap. V n. 12 fin. Conf. nott. ibid.

f) L. IV H. N. Cap. 25. Conf. supr. Cap. V n. 3.

g) Vid. etiam L. IV H. N. C. 28 fin.

Sarmatas atque Germanos; nec aliis prisca illa duravit adpellatio, quam qui extremi gentium harum ignoti prope ceteris mortalibus degunt.“ Itaque, cum Plinius, vir multiplici eruditione insignis, partem in Mysia, partem in Getis, Scythas cum Sarmatis memoret, *Scytharum* heic vocabulo Germanos intellexerit, necessum est. Id e posteriori quoque aetate, cum noua exsurrexissent gentium nomina, coniecture licet; vnde enim Gothi postea Slauique ad Istrum enati, nisi a veteribus Scythis? Gothi a Peucinis Basternisque, Slau ab Getis et Sarmatis. Quamquam his alios quoque minorum gentium populos, vti Fennicae aut Lituanicae stirpis, quod et Bayerus volebat, a) immixtos iam olim fuisse, non negem, sed qui, cum ceteris numero longe inferiores, incertae praeterea originis, essent, heic quidem in considerationem venire non debeant. Itaque si Gothi e Peucinis Basternisque prognati sunt, hi eadem vti fuerint loquendi ratione, qua postea illi; de quibus suo differemus loco. Et nunc circa Pontum ex vtraque Danubii parte, praeter Slauos Tatarosque, Germanos item comperias, citra dubium nepotes veterum, vt vel e dialecto ipforum cognoscas. b)

Sarmatae quoque sub initium nominis sui plures complexi gentes, in Slauos abiere demum. Hi cum ab Septentrione et ortu in Getas penetrasse videantur, vt haecenus ostendere conati sumus, et ex hodierno eorum situ coniectura duci potest, quamquam vetustissimi, aduenae tamen sunt. Certe linguae ratio, quam supra dedimus, c) clare monstrat, Slauos Getis hodie mixtos, Russici esse generis, qui, cum Carpatem potissimum teneant, pauci in mediterraneis comperiuntur.

III. *Celtae* Scythis Sarmatisque succedant. Horum genus et idioma longe difficilius terminare est, quam Basternatum. Cum enim Celtae nomen non minus amplum, quam olim Scytharum fuerit, vtpote vniuersas Istrum inter oceanumque a Pyreneis montibus ad Vistulam et vltra gentes complexum, et omnis ea Celtae in Illyrico vis iam olim interierit; quis, nisi diuinando, genus hoc definire audebit? Quodsi tamen vetusta cum nostris conferamus tempora, sedesque, vnde hi prodierint, consideremus, si non decidere, certe arbitrari quidquam poterimus. Boios ante, postea qui cum Brenno in Graeciam venerant, examinare libet.

a) Fennos et Lappones complures e Graecis Hungarisque habere voces, nouimus, vti Lituanos e Graecis Latinisque; distincta tamen horum idiomata et inter se, et ab aliis, natura eorum suadet. Vt adeo, ni aliud momentum sit, e sola vocabulorum congruentia vt non ad vnam hi stirpem, sic neque ad Scythas, Pontum adcolentes, referri statim poterunt. Vid. etiam Schlöz. p. 308, 316, seqq.

b) *Sermo Germanicus, a nostro tamen multum alienus, quo plurimi maris Nigri et Maeotidis adsolae vtuntur, sine dubio Gothicus erit.* Szafzky Introd. Geogr. P. II in Tart. Eur. p. 665.

c) Cap. VII n. 11 seq.

libet. Boiorum sedes primas circa Elaueris Ligerisque fluminum ripas fuisse, ex ipso Caesare, Gallorum domitore, conicias. a) In Celtis itaque, quos a borea Matrona, ab austro Garumna inclusit, quam Galliae portionem Plinius *Lugdunensem* nuncupavit, b) in Celtis, inquam, cum Caesar Boios ponit, Gallos proprie ab Romanis, ab se *Celtas*, vocatos intelligit, non modo institutis ac moribus, sed *lingua* etiam ab ceteris, Belgis quippe, Aquitanisque, diuersos. c) Hunc Caesaris locum ita nostrum quidam interpretantur, vt eiusdem linguae, eiusque Germanae origine, *dialectos* dumtaxat Caesarem dicere voluisse contendunt. d) Cl. Schlözerus, insignis gentium linguarumque septemtrionalium scrutator, postquam Belgas *Cimbros*, (Kymren) Celtas *Gallos* hodiernos, (Galen) Aquitanos *Vascones*, (Wasken) esset interpretatus, hos omnes, inquit, e) *lingua* tam inter se, quam a quibusque aliis differre, non sane minus, quam Germani, Slau, et Finni differant. Addit insuper, Heluetios *Boiosque* Gallorum fuisse fratres. Linguam veterem cum gente in insulas concessisse, reliquiasque superesse in Scotia et Hibernia. Si vir doctissimus adserta haec argumentis firmasset, nobisque tempus et occasionem adeo memorabilis migrationis ostendisset, nobisque tempus et occasionem adeo validam vim Galliae vniuersam incubuisse legamus, vt patriae filii vniuersam Celticam, vt ea ab Caesare definita est, mittere, ac peregrinas quaerere terras, nullis prorsus natio solo gentis et linguae vestigiis relictis, cogerentur; ante quam firmis monstretur argumentis, Gallos patria sua moueri non patiar. At qua ii loquendi ratione vsi? Qua ratione? *Gallica*, vt Germani Germanica. Qui id, si sermo Gallicus, vt est hodie, ex *Italo*, *Germanoque* coaluit? Ita, inquam, vulgo aiunt; sed quis id probauit? Si vocabula cum Germanis communia profers; ostendam tibi, Germanos ab Hebraeis, Graecis, Latinis, habere plurima: inde ergo linguae Germanae origo? Sin grammaticam; quid est, quod Gallos Italosque ab eodem patre genitos prohibeat? Italis, Hispanis, Gallis, quam nunc loquuntur, linguam tum primum, cum eos Romani vicissent, communem factam dicere, simile quid videtur, ac ex vagina Iornandis intra breue temporis spatium in vniuersum pene orbem terrarum deducere gentes. Non, vt fungi, intra noctem, populi et linguae nascuntur. Sinamus itaque Gallos, qui hodie sunt, veterum nepotes esse, linguamque, quam natura dedit, iure haereditario a proavis acceptam possidere. Boii, quoniam e Gallorum meditullio, agro quippe Borbonensium, f) ad loca Istro vicina

a) Bell. Gall. L. VII Cap. 9, 11. Conf. Cellar. O. A. L. II C. II p. 217.

b) L. IV H. N. Cap. 31.

c) Bell. Gall. L. I initio.

d) Cl. Salag. E. P. L. I Append. fin.

e) H. S. P. II C. II § 20.

f) Hard. ad Plin. L. IV H. N. Cap. 32 p. 213 not. y.

vicina migrarant, a) vbi Taciti aevo adhuc in Gothinis reliquiae, b) eodem sermonis genere; quo ceteri Galli, proprie nuncupati, vbi fuerint. Quorum posterius, vrgentibus maxime indigenis, variae dispersi, mores et linguam, quibus parere iussi sunt, adsumere.

De Gallorum porro, qui Macedoniam, Illyricum, et Asiam peruasent, origine nihil certi posse adferri putamus; cum neque, vnde ii venerint, a priscis memoratum sit, neque eorum nepotes, vtpote iam olim concisi, nostram viderint aetatem. Ex *Tolistobois*, qui pars eorum fuisse dicuntur, censere possis, et Boiorum quamdam portionem in iis tum existisse. Ceterum, vti non vnus gentis, ita neque sermonis eiusdem hi Galli fuisse videntur. Apud Delphos certe, si vel Appianum audias, sine Celtis (Germanis) Illyriisque pugnatum non erat; quod et *markas* Pausaniae, c) quo nostri vocabulo *subnigrum* appellat equum, ostendere videtur. Manlit horum nomen in Gallograecia, d) vti priorum in Boiohemmo et Boioaria; gente iam Strabonis aetate maiorem partem extincta. e)

IV. Gallos Romani in Illyricum secuti sunt, Teuta in primis occasionem praebente. f) Ex ora Adriae, quam primum occuparant, signa paulatim promouere in ortum ac boream, donec vniuersos Thracum, Illyriorum, ac pene Dacorum etiam, agros tenuissent, deductis compluribus ex Italia coloniis, quae heic quatuor prope ab Augusto seculis florere. Ingruente postea barbararum gentium tempestate, varie dilapsae, partim enectae, adeo, vt ad Gothorum in Pannonias aduentum paucae, deinde vero nullae, vt e monumentorum silentio colligere licet, superfuerint. Hodie quidem nulli praeter *Valachos* sunt Italici apud nos coloni; qui quod maiori essent numero, iuncta cum indigenis societate, perflittere vsque hodie. Aduentum huc eorum ad aeuum Traiani referri oportere, ex Eutropio in primis videas. Sic enim is in Hadriano: g) *Idem de Dacia facere conatum* (reuocare exercitus volebat, vti ex Assyria, Mesopotamia, Armenia) *amici deterruerunt, ne multi ciues Romani barbaris traderentur; propterea quod Traianus, victa Dacia, ex toto orbe Romano infinitas eo copias hominum transfulerat,*

a) Vti supra Cap. VI n. 18-20 diximus.

b) Mor. Germ. Cap. 43.

c) In Phocid. p. 335 ap. Petau. Rat. Temp. tom. I p. 141.

d) Vid. supr. Cap. V n. XX.

e) Ibid. n. XIX. Conf. spec. Philol. L. II.

f) Vti supr. Cap. cit. n. XXI.

g) L. VIII Cap. VI p. 100 edit. Norimb. 1776.

tulerat, ad agros et vrbes colendas. Dacia enim diuturno bello Decibali viris fuerat exhausta. Quod Hadrianus intermiserat, fecit Aurelianus, traductis in Myliam copiis, nouaque instituta ibi Dacia; sic tamen, vt coloni plerique, ruri Dacico iam adsueti, cum indigenis manserint, propagata ad nos vsque originis suae posteritate. a) Quamquam vero plura sint ab Dacis in suam mutuati linguam, tamen id nihil obstat, quo minus ab Romana dicantur gente profecti, vel inde censeas, quod praeter communia cum Italis pleraque vocabula, prisca etiam Romana Graecaeque complura seruent, b) structuram autem sermonis internam eandem prorsus cum Italis habeant. c) Pro specimine orationem dominicam audiamus:

I

Parintye nostru, csela ese jesh in cseri; svenczie sze numelye tuo: vii imparaczia ta: facse sze voja ta, cum in cseri, asha shi pe pamuntul. Punte nofztru csaszecio da noo afztefz; shi lasza noo datorilye nofztre, cum shi noi leszam datornicsilor nostri; shi nu ducs pe noi la iszpitira; shi mentujeste pe noi de hitlianul.

II

Tatêl nostru, kare jeshti în csér-juri; svenczaskês numele tâu: vie imparâczia ta: fie voja ta, prekum în cserju, shi pre pâmûnt. Pûnye noastr che de toate zilele dâneo noao astêzi; shi jart noao greshalele noastre, prekum jertêm shi noj greshiczilor noastri; shi nu ne ducse pre noj în ispit; csi ne izbâvjeshche de csel rôu.

Columna prior exhibet orationem, vti ea in libro, *Magister linguarum* dicto, comparet. d) Instrueta est ad politioem loquendi modum. Altera vulgo in primis adcommodata est, qua Graecum sequentes ritum communiter vti videas. Desumpti eam ex Catechismo, Russicis literis conscripto, in vsum Serblorum, Valachorumque, ecclesiam orientalem sectantium. e) In oratione hac vocales circum-

a) *Rumuni*, quod postea dicitur, se vocant, cuius vestigium nominis ap. Ouid. *Fast.* L. II v. 412, quaeque vocatur *Romula nunc ficus*, *Rumina ficus* erat. Alii legunt: *Rumina nunc ficus*, *Romula ficus* erat.

b) Vid. Luc. *Regn. Dalm. fin. Pray Dissert. ad Annal. Vet. Hunn. Diss. VII § 3-7. Conf. supr. Cap. VII n. 6. Benkô Transf. Tom. I p. 28. in primis a p. 474.*

c) Anton. del Chiaro *Stor. ap. Pray l. mox c. p. 162. Conf. Benkô ll. cc. Olah. H. p. 60.*

d) Ap. Salag. *Eccl. Pann. L. I p. 52.*

e) Edit. Vienn. 1774.

cum flexo notatas sic expresseris, ut si eae in textu non essent. Iam praeter pauca quaedam, quae ab Dacis acceperunt, a) quis haec Italicae linguae structuram non videat? Quamquam neque in Italia uniuersa, ut hodie, sic et olim, eadem pronuntiandi ratione vti fuerint. Quis ignorat, Lombardis adeo peculiarem in quibusdam esse efferendi modum, ut ab Romanis aegre intelligantur? b) Neque tamen idcirco Italicam hanc linguam negaueris. Dialecti haec non linguae est varietas, e contubernio diuersarum gentium orta. c)

Occupant Valachi praeter Moldauiam, Valachiamque, Transilvaniae Hungariaeque Temesanae non modicam partem, mixti indigenis, aduenisque diuersarum gentium, maxime in Transilvania. Vbi id singulare videas, eos, quamquam Hungaris Germanisque non vno cohabitarint seculo, nulla tamen praeterquam Getica in suum idioma adsumpsisse vocabula; si pauca quaedam Hungara, quibus si facile carere possint, idque in Transilvania dumtaxat, demas. d) Nomen *Vlachorum* ante Cinnami tempora, qui XII floruit seculo, auditum non esse; aiunt: neque tamen tum primo exortum censeas. Latini quippe, ex quo Illyriis cogniti sunt, ab antiquissima inde aetate *Vlassi* compellabantur, tamquam *Lassi* dicas, v consona Illyriis familiari praefixa, uti et compellantur hodie. Quamquam nonnulli nostrum hoc vocabulo non recte vtuntur, cum omnes Illyrios, qui graeca non vnitorum sacra colunt, *Vlahos* nuncupant; *Vaiachos* autem, ut quampiam distinctionem posuisse videantur, *Kara-Vlahos*, priori voce a Turcis accepta, quae *nigros* denorat. Quin imo Croatae, quod expertus narro, nos Thracas Illyriosque, qui ab iis dialecto non nihil discrepamus, uniuersos adpellant *Vlahos*. Perperam sane, cum haec denominatio non nisi Latinis competere possit. Melius Serbli nostri, et omnes graecanici ritus, faciunt, qui solis Valachis *Vlachorum* tribuunt nomen. At vero ipsi Valachi nesciunt, quid haec sibi adpellatio velit; interrogati enim, quinam essent, continuo reponunt: *noj sentem Rumunysi*; et vnde venirent: *de la czara Rumunyszka*, inquit; se quippe *Romanos*, ex prouincia Romana esse. Ita se ipsi compellarint inde ab suo huc aduentu, exteris Dacorum, postea Bulgarorum,

F f 2
et

- a) Vti *jesh* pro *es* aut *sei*, Dacis *jesi*; *svenczie* Dacis *svetise*; *voja, volya*; *csaszecio, esa sovit*; *asztez, danas*; *greshelc, greshenye*; *ispit, ispitanye*; *izbavjeshte, izbaviti*; *mentujeste, mentujem*.
- b) Quale est *h* pro *c*; ut *horonesino*, aut *hroncsino* pro *coroncino*, rosarium.
- c) Mirere Schlözerum, Valachos a Bulgaris ortos adferentem, H. S. p. 252 seq. Vti etiam Cl. Salagium, Valachorum idioma Illyriis omnibus tribuentem E. P. L. I Cap. I n. 17-20. Conf. Append. ad eumd. libr. Opiniones has partim migratio gentium, partim Philologiae veteris ignorantia peperit.
- d) Vocabula, quae Thunmann Hist. Or. Pop. p. 181-238, longa serie censet, pleraque nostris aliter exprimuntur. Vid. Lingu. tot. Orb. Vocab. Petrop. 1786-1791. Scilicet, vtrique ostendunt, quibus olim conuixerint; hi Graecis, illi Dacis.

et forte Patzinatzitarum, a) ac demum Valachorum cognomine noti. Nescio, an non ea apud Iornandem phrasis, qua Slaus *ab ciuitate Noui et Slauino-Rumunense* Danastrum versus producit, Valachis conuenire queat. b) Certe sic se ipsi hodieque adpellant; et pars Valachiae occidua, supra quam Nouae Procopii in altera Danubii ripa existere, c) vocabulo *RVMVNYACI* notatur.

Si Laonico fides, circa Pindum quoque, Thessaliae montem, confederant; d) sed an olim iam, vt ipse de Dacis ignorauit, sic ego de his, obscuris hodie, et a nobis longe remotis, nihil adfero: in primis, quod Anna ante Laonicum *Bulgaros* et quosuis pastoritiam colentes *Vlahos* nuncupauit; e) Nicetas autem sic *Mysos* interpretatus est. f) Quin ipse Calcochondylas inde ab Dacia ad Pindum vsque *Blachos* habitare dixit, g) qui citra dubium Bulgari fuere. h) Vt adeo, an Rumunaci circa Pindum omnino habitauerint, e graecis scriptoribus determinari nequeat. i) Circa Albaniam eos superesse, certi sumus.

In principatu Valliae, quae est prouincia Britanniae, dicuntur esse, qui eodem sermone, quo nostri Valachi, vtantur. k) Hanc ego coloniam olim iam, dum Britanni Romanis parerent, huc inductam vt facile concesserim, ita ex eo vniuersas prouincias, quae Romano suberant iuri, hoc sermonis genere vsas, quod
non-

-
- a) Hos quidem Cl. Pray Annal. Vet. Hun. P. III L. I init. ex Cedreno, XI seculi auctore, Hungarici generis fuisse autumat; sed non probat. Cedrenus, ignotam gentem, *Scythas* nuncupauit; ane omnes *Scythae Hunni*? Constantinus ab Volga deduxit; soline ad Volgam Hunni? Quamquam Graecis familiare fuisse nouimus, omnes gentes, a quibus cladem passi fuissent, ab *Atel* et *Cusu*, Cimmeriis quippe tenebris, deducere.
- b) Vid. supr. Cap. VI n. 6. Conf. Engel Exp. Trai. p. 287. Sed Iornandis locus in Geogr. exponetur.
- c) Proc. L. IV aedif. Iustin. C. 6 ap. Salag. E. P. L. V p. 213. Conf. chart. Hung. Hafii.
- d) L. II ap. Luc. Regn. Dalm. et Croat. L. V Cap. 5. Conf. Thunmann Hist. Valach. p. 174. cet.
- e) Anna Comnena L. VIII Alex. ap. Luc. p. 272. Scripsit an. 1148.
- f) De Isacio Angelo, ap. eumd. l. c.
- g) L. I Hist. ap. eumd. l. c.
- h) Vid. Luc. l. mox cit.
- i) Si non Epirotas dicere voluerunt; quorum idioma a Valacho magis, quam Graecum a Germanico abest. Cl. Schlöz. p. 287 idioma Epirot. et Valachorum inter ignota recensuit; ob gentium scilicet confusionem.
- k) Salag. L. I Eccl. Pann. Cap. I n. 20.

nonnulli praetendunt, a) minime argui posse arbitror. Oportebat enim hac ratione primum interire linguas indigenarum, easque in Valachicam abire; tum post aliquot secula renasci, veteremque induere formam. Quam metamorphosim nisi Ephorus ille, aut Ablaius, aut Iornandes, aut Philosophorum, aut Poetarum quispiam tradiderit, ab historiographo, qui hoc dignus sit nomine, traditam non memini. Et quaenam ea tempestas erat, quae tantam Valachorum vim abstulisset? In Transilvania Hungaris, Germanis, Bulgaris, Serbis, Polonis, Russis, Armenis, Iudaeis, Zingaribus, aliis, immixti Valachi ab seculis sunt; et tamen suum conseruant idioma, idque, ut aiunt, *primigenium et vulgare*, quod omnibus prouinciis Romanis olim iam commune fuerit: vnde ergo factum, ut in Hungaria cis Tibiscum, Slaunia, Croatia, Carnicis prouinciis, Dalmatia, Bosnia, Seruia, ceteris, cum pauci praeter Illyrios comperiantur alii, vnde, inquam, factum, ut *Valachi* nusquam compareant? b) Nisi haec nouos mundos nouasque gentes e machina quapiam educere velis (quod an historico liceat, nescio) quo demum argumento ad Valachos toti orbi inducendos uti valeas, equidem non video. Sed mira haec est Philosophorum huiusmodi, aut, si malis, Poetarum (neutrorum potius) mira, inquam, est ingenii foecunditas; ut qui, vniuersum Illyriorum, Thracumque, et Dacorum genus cum sub Octauiano *Gallica*, id est, ut ipsi aiunt, *veteri* quadam *Germanica*, lingua loqui iussissent, paulo post, quasi Stygem cum his Charontis cimba traiecissent, veteri in obliuionem misso, nouo vniuersos, eoque *Valacho*, sermonis genere instructos producant. Demum, ut scena speciosior esset, et turrim videremus babelicam, Valachi illi totidem linguis, quot circa Istrum numeramus hodie, (quo tempore, incertum) eloqui sua coguntur. Felices Valachos, quibus adeo *sacri* contingere *vates*! Sed rem persequamur.

V. Italos Gothi sequuntur, amplissima natio, apud Getas, quibuscum perperam commiscuntur, non tam origine, quam vocabulo recentiores. Ea enim hodie nobis opinio est, ut omne Gothorum ad Euxini litora nomen e Basternis, Peucinisque, et aliis eodem genere populis vicinis, enatum censeamus. Sic enim Gothos ante Iornandem in Ponto memorant scriptores, ut eos aliunde, in primis e remotiori prouincia, qualis Scandinauia est, venisse non perhibeant, sed tamquam ii olim iam agros Getis Dacisque vicinos coluissent. Certe abolito Basternarum nomine, iisdem plane locis Gothorum inualuit; ante quidem, quam Getarum intercidisset. c) Ex quo factum, ut promotis e continente ad Pontum sedi-

bus,

a) Vid. eum. l. c.

b) Si *Valachiam parua* demas in agro Poshegano, et *Morlachiam* in Croatia, quarum utramque Illyrii, perperam *Valachi* ab exteris nuncupati, colunt. Ad Pindum praeter Graecos Illyriosque Epirotae sunt, siue Arnauti, quorum linguam Valachae similem non nisi ignarus rerum adseruerit.

c) Haec ratio et Iornandem induxerit, ut vetustissima Getarum acta cum Gothis communia faceret; Scanzia perperam huc admixta.

bus, (nam Carpaten adcolebant praecipue) Getisque in societatem acceptis, horum quoque nuncuparentur vocabulo. Quae res magnam induxit in acta confusionem. Enimvero, si Getae eadem cum Dacis utebantur lingua, hos vero ab Gothis posteriores etiam secrete, quid in rerum actis turbatum erit magis, quam *Getas* Gothos dicere? Id quoque ex hac diuersarum gentium permissione historia incommodi cepit, quod, cum in antiquis *Getas* quidam e stirpe Dacorum, et utrosque e Thracum, Mysorumque, et Illyriorum, natos legerent, postea vero Gothos a quibusdam *Getas* vocatos reperirent, populis rebusque non bene distinctis, Gothos Sclauicis adnumerare gentibus Illyricisque; non minus extra oleas vagari, quam qui utrosque e promiscua illa vitiosaque nuncupatione Celtarum adfines arbitrati fuere. Nos uti *Getas* Illyriis dedimus, ita Gothos, Basternarum nepotes, adensem Germanis. a) Quamquam enim Gothorum posterii cis Danubium hodie in partibus Illyricis non compareant, varie olim iam dissipati; tamen in sedibus Basternarum priscis, et si variata non nihil dialecto, hodieque superant. Tractus iugorum Carpati pene ab Euxini ora ad Vistulam Germanos habet, quos non heri admodum haec occupasse loca linguae ratio, ab ceteris longe diuersa, arguere videtur. Colonias Germanorum saepius in Hungariam venisse non negamus; Basternas tamen suis se continuasse *Alpibus*, b) nulla est, ut inficiemur, causa. Horum pars, quae ad ortum spectabat, in *Gothos*; ad occasum, ubi Quadi, Marcomani, Lygii, Elysi, ceteri, in *Longobardos* abiit, utrosque Romano imperio graues, sed missa in nativis sedibus posteritate. Alia deinde nomina fortiti sunt, veluti *Teutonum*, *Flandrorum*, *Saxonum*. Ex quo longa illa inter eruditos concertatio de origine horum nata; aliis e Flandria eos adferentibus, e Saxonia aliis, aut penitiori Germania, nullo, quod sciam idoneo, maxime vetustatis, argumento ductis. c) Quid enim necessum erat Germanos huc seculo primum XI aut XII inducere, si multis ante seculis hos in coluere agros? Oportebat vniuersos ante exterminare colonos, tum nouam gentem istuc aduocare. At, quis illud ostendit vniquam? Et huius epocham quis terminauit? Sed iam loquentes audiamus nostros. Ut de Transilvania, quae pars Daciae veteris erat, Basternis proxima, dicamus primum; Trösterus, vir de *Dacia veteri et noua* praeclare meri-

a) Conf. supr. Cap. VI n. XXI.

b) *Basternicae Alpes* eadem, quae Sarmaticae, postea Carpathicae. Vid. supr. C. V, n. 5. Dacis vicini erant, ut e bello eorum videas ap. Iustin. XXXII, 3. Conf. Seuer. Comm. p. 17.

c) Vid. Pray Dissert. in Annal. VII § VIII, IX. Adde Procop. qui Lib. III Bell. Goth. Cap. II, ait, nationes Gothicas, superioribus temporibus plurimas, olim Sauromatas ac Melanchlaenos appellatas; a quibusdam etiam *Getas*: vna lingua omnibus, Gothica. "Nihil de Oceano septentrionali, nihil de Scanzia, meminit; utpote, quo Sarmatae ac Melanchlaeni non pertinuissent. Huc etiam Vandalos, Visigothos, Gepaedas refert: quorum omnium antiquas sedes ὑπὲρ ποταμὸν Ἰστρον fuisse scribit.

meritus, vt ostenderet, sermonem Saxonum antiquum Gothico adfinem fuisse, adducit e Vulcanii Tractatu orationem dominicam gentis vtriusque; cuius partem e Transilvania Benkonis proferre libet: a)

Gothice.

Atta unfar, thu in himina; weihnai namo thein: vimai thiadinassus theins: vairthai vilga theins, sue in himina, gab ana airthai. —

Saxonice.

Feadar ure, thu the carton heofenum; si thin nama ghehalgod: to cume thin ricke: gewurthe thin willa on carthan swa, swa on heafenum. —

Quorum Saxonum Gothorumque dialecto haec phrasis ab Vulcanio sit expressa, nescio; vix certe eorum, qui Carpatem adcoluerint quondam. Quamquam si textus Gothicus recte habet, magis Bafternarum ori, si rite legas, quam ille Saxonicus, congruere videatur. Sic autem in Transilvania nostri precantur: b)

I

Foater aufer, dier dau best em Hemmel; geheleget verde deing numen; zaukomm aus deing rech: deing well geshey aff ierden, als vey em hemmel. Aufer däglich briut gaff aus heigd; ond fergaff aus aufer Schuld, vey mir fergien auferen Schuldigern; feir aus net en ferfehchung, saunderen erliis aus von dem üwell.

II

WATER unfer, der du bist in den Himmeln; geheiliget werde dein Namen; zukomme uns dein Reich: dein Will geschehe wie im Himmel, also auch auf Erde. Sieb uns heut unfer tägliches Brod; und vergieb uns unsere Schulden, als wir vergeben auch unsern Schuldigern; und führ uns nicht in Versuchung, sondern erlöse uns von dem Uebel.

Paraphrasin altera columna addidi, qua hodie vti consueuimus, etsi vulgus eam non vti scribitur exprimere solet. Ad hanc Saxonum Transilvaniae dialectum
proxi-

a) Tom. I L. IV § CLIV p. 466.

b) Tröst. Ant. Tac. L. II C. 8 ap. eum. l. c. vbi etiam legas, apud Saxones dici *Kripen* pro *Reiß*, *Bum-Baum*, *Wofzer-Wasser*, *Mekter-Mutter*, *Pfard-Pferd*, *Barg-Brig*, *Flich-Fleisch*, *Deiuel-Zeufel*, *dreanken-trinken*.

proxime accedunt ii, qui montanas incolunt ciuitates, in primis circa Scepusium; quorum ore nostri, quos adpellamus rusticos, plurima efferunt. Specimen, vt rem videamus, promere iuuat. Pars dialogi est inter rusticos de arithmetica discurrentes. a)

I

A. Secum loquitur. Woꝛ schlapament, met schlappemet doal; igt schlondan biã doa, fon Nieda-Œhoa, biß zun Oba-Œhoa, s' õs jo goa beit, piß biã õn die Stott komm, bi an die Leut alle beik sõn.

B. Hya doch, bie beit õs aach fon hißna, biß zon Oba-Œhoa?

A. Du thiaricha Bolosch bie beit? s' es jo gleych so beit fon Oba-Œhoa piß zon Nieda-Œhoa, as hißna piß zun Oba-Œhoa.

B. Œhjo, ych baas bol, doß so beit õs, oba, bie palt komba piß durt hin?

A. Alspalt doß bie biaan duot sejn, so biaan bie schon piß duothin sejn komma.

B. Ey, ey! dos baas ich bol, oba, bie vil sejn bol aach Schrytt piß durt hin?

A. Ich baas nõt, bie missn sõ zõhln. —

II

A. Kotz schlapament! mit schläppn, mit oles; jetz schlondrn mir to fon nidr tor pis zun obr tor, 's is jo kor waid: pis mir in ti Shtot kumn, wern ti lait ole wek sain.

B. Ja toh, wie waid is auch fon hir pis zun obr tor?

A. Tu narischr Bolosch; wi waid? 's is jo klaich su wait fon obr tor pis zu nidr tor, als fon hir pis zun obr tor.

B. Hjo, i waas wul, tafs su waid is; obr wi polt kommr pis turthin?

A. Supolt tafs mir wern turt sain, su wer mr schun pis turthin sain kommn.

B. Aj, aj! tos waas i wul; obr wi fil sain wul à schritt pis turthin?

A. I waas nit; mir missn si zehln. —

Haec

a) Ex lib. arith. Bubenka, impresso Leutschon. 1689 ap. k. k. Anzeigen 7 Apr. 1773. p. 117.

Haec altera germanice loquendi ratio *austriaca* dicitur, qua eos, qui oppida Hungariae, circa Danubium in primis, habitant, vti videas. Hi priori dialecto sua efferentes, *Hiencios* vocant, quales in montanis Hungariae, a) vt memorauimus, degunt. Vtrosque, si ratio sermonis habeatur, iam olim indigenis admixtos putes. Certe ab *Sueuis*, qui non ita pridem colonias in Hungariam deducere coeperunt, hi nostri in eloquendo non minimum differunt, et adeo quidem, vt illos, si primum aduenere, hi in quibusdam aegre intelligant. E longa tamen consuetudine Sueui abeunt in austriacos.

VI. De Gepidis, Herulis, Vandalis, Longobardis, qui omnes germanice locuti sunt, intellexeris idem. Scilicet, qui Dacis propiores erant, Saxonibus Transilvaniae dialecto adfines erant; qui ab occiduis Carpati iugis prodire, Hienciorum loquendi modo utebantur. De Francis, quorum possidemus linguam, pluribus differere superuacaneum puto. Minutae quaedam in pronunciando differentiae, quas in remotioribus locis obseruare est, tanti non sunt, vt in Germanis, qui nobiscum in ciuitatem coaluerunt, plures sit dialectos numerare necessum, quam ternas, a nobis paullo ante memoratas. Missis iam populis germanicis, Hunnicos videamus.

Nisi Hunnos Auaresque scriptorum auctoritate Hungaricae genti adfines nossemus, eorum loquendi rationem nescire cogeremur. Nullum enim monumenti genus ab iis relictum est, ex quo id cognoscere queas. Vnde factum, vt essent non nulli, qui Hunnos Auaresque si non penitus inficiarentur eiusdem cum Hungaris fuisse originis, saltem in dubium reuocarent. b) Et perquam difficile, mea quidem sententia, est quidquam certi de hoc statuere: seu, quod Hunni *Scytharum* vocabulo comprehensi fuere, quod amplissimum, diuersisque gentibus commune nouimus; seu, quod ab extremo pene oriente (vti e Scandinauia Gothi) per gentes adeo validas soli prope tam longe penetrasse dicuntur; seu demum, quod variis ad Pontum incolis mixti, quibus numero praeualere non poterant, eorum tamen cognomine in prouincias Romanas excursum fecisse non semel apud Graecos leguntur. c) Quin imo, si hos audias, Auares cum Bulgaris Selauisque confundi passim videbis. Ex quo nonnulli Hunnos Auaresque ad Slauiam retulere gentem; quos Cl. Pray refellere quidem conatus est, sed nullum, quod sciam, idoneum argu-

a) Porriguntur hi ad Bohemiam vsque, mixti cum Slaui, modica linguae variatione. Sic in Königräzensi Bohem. circulo dicunt: *Inu maj geles, wu katr ten hin; wart och risch hema koma?* O mein Herr, wo geht er dann hin; wird er auch geschwind (frisch) heim kommen?

b) Vid. Schlöz. H. S. p. 251 seq. 306 seq.

c) Id. p. 347 not. 7.

argumenti genus, praeter vocum analogiam, in medium proferre potuit. a) Quod si fundamentum valere quidpiam putas, cum idioma Hungarorum tertia pene sui parte Slauicis constet vocabulis, perfacile quis inde ortum existimauerit. Sed vt equidem, qui a puero vtramque norim, id numquam adserui, ita vnam vocum similitudinem in his postremum esse momentum censeo. Et quid de primis Hunnorum sedibus dicemus, quas e Sinicis Deguinesius, ex hoc scriptores nostri designant, si ea apud Herodotum Europae Scytharum vocabula, b) vti cum Otrokotsio existimant quidam, c) Hunnica sunt? Certe *virum* hodieque mulieres *uram* dicunt, *ur* casu nominandi, quod in ore graeco *aor* sonuerit. Sub Philippo Amyntae Macedonum rege, Scytharum Getis vicinorum rex *Artaas* erat; d) *patrem* Hungari dicimus *Attya*: parentum scilicet vocabulo ipsi reges a priscis compellabantur, vt non vno memorauimus loco. Plura huiusmodi e vetustate adduci nomina possent, si hoc dumtaxat ageremus, quae ori hungaro facile adcommodari queant, nescio, an non felicius, quam illa Fennica et Lapponica. Quae si aliquid valere putas, quo modo post ducentos primum ab Dario annos Hunni in Asia dumtaxat, idque ad Caspium, ponuntur? In primis, si Fennos Lapponesque, quos Bayerus Scythis, ab Dario in Europa petitis, adnumerat, Hunnis cognatos dicas. Sed rem plurimis obnoxiam difficultatibus heic definire nec locus nec animus est. Id modo insinuare velim: arbitrari me 1) quaspiam tribus Hunnicas ora Ponti europea iam ante Darium existisse; 2) inde cognatis auctos postea se in occasum sensim promouisse; 3) factis diuerso tempore in has prouincias excursibus, variam expertos fortunam perstitisse; 4) decimo Christi seculo aduenientibus a Ponto Hungaris se iunxisse, nomenque ad nostram vsque aetatem propagasse. 5) Id partim e numero Hungarorum, qui tam validus vno aduentu esse non poterat, partim e scriptorum complurium auctoritate, qui Auares, et Hungaros *Hunnorum* adficiunt vocabulo, censerit posse. 6) Denique, quod nulli genti in prouinciis omnibus, quas Hunni Auaresque peruaserant, ea, quae antiqui de his notarant, adplicari aptius queant, quam Hungaricae. Haec me arbitrari inquam, quae isthic probari longius res non admittit. Itaque linguam videamus.

Hunga-

a) Dissert. in annal. Hunn. I p. 3 not. e. Conf. p. 7, 15. Item Diss. praeu. in ann. Hun. p. 6.

b) *Aor*, *pata*, *enareas*, quasi *ur-bata*, aut *bató*, *orvos*, aut *egyen-orvó*. Item regum nomina *Μαδύης*, *Προτοθύης*, *Τόξαις*, *Σκοπαις*, *Ινδαθύρτος* aut *Ιδανθύρτος*, *Αριπειθης*, *Σκυλης*, cet. ap. Bayer memor. Scyth. p. 184 seq. quae omnia leui mutatione Hungarus etulerit.

c) Vid. Seuer. Comment. Cap. I § 8.

d) Strab. L. VII p. 307. ap. Bayer mem. Scyth. p. 213. alias *Αρταας*.

Hungari a) non ab se, sed ab exteris nuncupati, sermone patrio *Magyaros b)* se adpellant, si non a *Magog*, vel *Mogol*, vnde, nescio. Lingua eorum adeo singularis est, vt, quamquam peregrinis referta sit vocibus, interna tamen compage ab omnibus, quae eruditis innotuere haecenus, linguis non minimum sane distingui videatur. Certe in Europa, quod sciam, nulla est, quae cum Hungara adfinitatem habeat. Vt ii, qui Hungaros aut Lapponum, aut Turcarum, aut Tatarorum cognatos facere conantur, non minus operam ludant, quam qui Slauorum aut Germanorum. Et mirere, viros etiam eruditissimos hac in arena versari; c) quae tamen adeo illis infelicitur saepe succedit, vt, quamquam omnes contendant neruos, nihil ex ea praeter *confusionem* gentium, ex linguarum ignorantia ortam, domum referant. Sed, nonne, sodes, inquit, lingua Hungarorum, a tot seculis mutationem passa, olim esse poterat pluribus, vt Lapponibus, Turcis, Tataris, communis? Ita, inquam, esse hoc poterat, si tam insignis huius variationis modum tempusque ostenditis. Aiunt, XII seculo Hungari ipsi ita loquebantur, vt aegre eos intelligeremus hodie; proferunt exemplum, in funere olim dici solitum: *Latiatuc feley m zuntuchel mic vogmuc. ysa pur es chomuy vogmuc.* cetera. d) quod pauci *Vngari*, addunt, *Vngaricum esse dixerint*. Idque illi, inquam, quibus orthographiae veteris ratio, qua utebantur Hungari, hodie cognita non est. Pro mea quidem in sermone Hungaro notitia, si mihi quis adhuc tyroni interpretandum dedisset: *Látjátok feleim, szemetekkel, mik vagyunk! bizony por és hamu vagyunk*; nescio, an non extemplo dicere potuerim: *Videte oculis, fratres, quid simus! certe puluis et cinis sumus*. Sed de hoc vberius capite sequenti, vbi Literaturam Hungarorum explorabimus. Ceterum omnis linguae Hungaricae natura magis ad grauitatem, quam suauitatem, condita est; vnde fit, vt epopoea speciosior euadat, quam elegia: iocari enim vix sine corruptela fas. Cumanos aiunt Transiluanosque optime eloqui sua; illis equidem conuixi, cum his verba feci non semel: vtrobique sunt politiores ac rudiores. Praeter vocabula quaedam lingu-

G g 2

lingu-

a) *Auiros* et *Hungaros* iam *Iornandes* memorat, R. G. c. 5.

b) Inter *Don*, *Volgam* et *Jaik* adhuc *Маѳароі*. vid. *Schlöz.* p. 522 seqq.

c) Praeter *Pray Dissert.* in *Annal.* II-IV, etiam *Fischer* ap. *Schlöz.* p. 420 - 422, 430 - 433. Conf. *Sajnov.* *Demonstr.* § vlt. vbi plures huius sententiae adducuntur, sed plerique hungarici idiomatis ignari. Cl. *Pray* cum in *Annal. Hung. Dissert.* praeu. p. 320 inter *Finnos Hungarosque* nullam comperisset cognationem, lecta *Sajnovicisii* demonstratione (si ea tamen dici potest, *Schlöz.* p. 306) ex templo sententiam inuauit, adornatis tribus in hoc argumentum dissertationibus. Cum tamen *Sajnovics* ipse fateatur, *Lapponas*, quamquam expressione Hungara vterentur, ab se minime intellectos. Et ne illi quidem intelligi poterant.

d) Vid. Cl. *Sajnovics* *demonstr.* § I p. 4 seq. *Pray Dissert.* in *Annal.* V § 2, p. 92. item *Vit. B. Margar.* p. 249 not. A.

singularia? Cumani familiarem habent ò diphthongum pro simplici e, vt *szömöldök* pro *szemöldök*, *szödöm* pro *szedem* efferant. Qui remoti ab alterius linguae hominibus degunt, nitidius sua enuntiant, neque tot peregrina vsurpant vocabula, quot ii, qui aliis conuiuunt. Hae nostra aetate non minimum accepit florem lingua haec, Hungaris eam diligenti cura excolentibus. Iam et carmine, ad maiestatem Romanam, instructa prodiit. Illyrii e consortio Hungarorum quasdam sunt mutuati voces, in primis Croatae, sed quas illi propriis quoque reddere valeant. Ab Drauo in austrum hodie non reperias Hungaros, tribus coloniis apud Eszekum a) exceptis, quae, si vocabula spectas, pene iam in Illyrios abiure. Circa Sauum, maxime qua is ad Croatiam vergit, hodieque in vicis quibusdam est hungaricam expressionem audire; b) cum sermo ceteroquin sit Illyricus. Per Hungariam quibus in primis comperiantur comitatibus, quibusue sint mixti gentibus, e Schlözero, c) Beliove d) condiscas. Adde pro coronide orationem dominicam Lapponice cum paraphrasi Hungarica, vt censeant Hungari, sintne Lapponico genere fati. e)

I

Ackia mien, jueht lie almen fis,
 ailes hiedde tdu name; quoick pote
 tdu rükie; hiedde tdu syte; nimpt al-
 mis koeckt ai adnamis. Addele müs
 udnaig miien ferne pæive laip; ja ad-
 dele müs syndin andix, nimpt koeckt
 my addel fys jueht, mys voest taek;
 ælemü laidhe toek freste, walle vari-
 le mü vadost.

II

Mi Attyánk, ki vagy menyekben,
 meg-szenteltésék a' te neved; jön-
 te országod: légyen te akarod mint
 a' menyben, ugy a' földön-is. Min-
 den-napi kenyertünet adj nekünk ma;
 és botsás-meg nekünk a' vétkeinket,
 a' mint mi-is botsátunk a' vétkefink-
 nek; és ne-vidj minket a' késértet-
 be, de meg-szabadíts a' gonofztúl.

VII.

a) Sunt *Rét-falu*, *Szent-László*, *Haraszt*.

b) Est locus ad Brodium, *Sicse velike* dictus, in quo *kükürüz* pro *kukuruz*, *xúna*, pro *xúna* dicunt, multaque alia ad sonum hungaricum. Vetus sit expressio patria. Vidj *specim. Philol. et Geogr.* p. 160.

c) *Hist. Sept. P. II. C. I § 24 p. 249 seq.*

d) *Comp. Geogr. Hung. edit. Posson. an. 1777.*

e) Vt est ap. *Pray Dissert. in Annal. III p. 50 not. n. dialecto Lapponum Suecica mixtorum.*

VII. Hunnos *Turcae* sequantur, seu quod cognati etiam fuisse dicuntur, seu quod illi postea horum venere vocabulo. Antiquius *Turcarum* nomen videas, quam ut hoc ad Porphyrogeniti aeuum referri debeat. Plinius, Melaque, *Turcas* memorant. Hic de Maeoticis agens, *primi Maeotidae γυναιμοκρατέμενοι*, inquit, a) *regna Amazonum, fecundos pabulo, at alia steriles nudosque campos tenent. Budini Gelonon urbem ligneam habitant. Iuxta Thyssagetæ Turcaeque vastas silvas occupant, alunturque venando.* Haec Mela, veteres imitatus. At vero Plinius, quamquam posterior, sed aequè prisca vsus scriptoribus, recentiori praeter ea instructus notitia, ubi Sarmatas Tanain supra Cimmerium adcolentes enumerat, primo *Sauromatae Gynaecocratumeni*, ait, b) *Amazonum connubia.* Dein *Euaezæ, Cottæ, Cicimenti, Messeniani, Costobocci, Choatrae, Zigæ, Dandari, Thyssagetæ, Turcae*, vsque ad solitudines saltuosis conuallibus asperas: *ultra quas Arimphaei, qui ad Riphæos pertinent montes.* Thyssagetæ, qui cum Plinii Thyssagetis iidem sunt, iam Herodotus nouit, quos iisdem pene locis statuit, paullo supra maximum Tanais ad Volgam (Rha) accessum, vicinos *Iyrcis*, intra eum Tanais flexum, ad apeliotem sitis. c) Herodotum a Plinio lectum nihil dubito; ex quo Melam quoque non pauca sumissee putes. Vterque Thyssagetis *Turcas* iungit; quod cum et Herodotus faciat: pro *Iyrcis* *Turcas*, aut *Tyrças* legendum quis arbitrabitur. Ordo sane id postulare videtur, et *Tyrças* hodie quoque Germani dicimus. Haec fuerit vetus *Turcarum* patria, ubi nunc fere *Kozaki Donski*, parsque gubernii *Azof*, et ex altera Tanais parte *Astrakan*. Inde posteriori aeuo diuisi pars orientem ac meridiem, pars petierint occasum. Illi retento veteri cognomine orientis prouincias subegere; hi *Tatarorum* vocabulo aliunde tributo partim antiqua restitere patria, partim oram Ponti occupauere. d) Tempus, quo *Turcae* in Asiam minorem, et inde Bosphoro traiecto in Europam infundi coeperint, nouimus; e) non item, quo illi, qui postea *Tatari* nuncupati, litus Euxini petierint. Nam aetate primum *Belae IV*, Hungarorum regis, *Tataros* huc ex Asia traiecisse ut nemo haecenus ostendit, sic ego, ut credam, induci nequeo. Certe *Rogierius*, *Varadinensis* *Canonicus*, qui eo prorsus tempore vixit, quo heic primum *Tatari* coeperunt audiri, sic hos, antequam irrupissent in Hungariam, commemorat, uti *Moldauis*, *Polonis*, *Ruffis*, vicinos intelligeremus. f) Sed nomen *Tatarorum*

a) Sit. Orb. L. I Cap. XIX fin.

b) L. VI H. N. Cap. VII init.

c) Vid. Bayeri tab. Scyth. ex Herod. Conf. Comm. de Scyth. situ p. 91.

d) Vid. etiam Hard. in Plin. L. VI H. N. C. 7 p. 558 not. t. ubi addit: *Hinc profecti (Turcae) qui nunc imperium orientis tenent.*

e) Vid. supr. Cap. VI, n. 4.

f) Praecipue Cap. II, ubi *Kuthen Cumanorum rex se multis annis cum Tataris pugnauisse* ait. Conf. Cap. XVI seqq.

Tatarorum, inquis, tum ex Asia prodiit, vbi magna Tatarorum imperia. Ita, inquam; at scire te velim, *Tataros* ab Sinis omnes sibi vicinos esse nuncupatos, quasi *Ta-ta*, vel etiam *Ta-dse*; quales cum et Mogoli essent, quorum dux *Buthus*, vt eum Rogerius adpellat, a) in Hungariam penetrauit, nomen Tataricum non modo boreali Ponti litore in Europam, sed in omnem pene Turcarum progeniem, diffusum est, non sine rerum confusione. Vt adeo nomen quidem Tatarorum cum Mogolis seculo primum XIII ad Ponti oram Istro vicinam delatum haud negemus; populos autem, quibus haec adpellatio in Europa ex illo tempore adhaesit, ante hic non existisse tunc dabimus, si quis Mogolos vere Tataros fuisse probauerit, aut Turcas ab Tataris proprie dictis non esse diuersos, tempusque et modum ostenderit, quo tam vastum ab Istro ad Maeotim terrae spatium *Tatari* hi Asiatici occuparint, quorum Graeci hoc vocabulo ne meminere quidem. Quin, si hos audias, non alios Pontum adcolentes Tataros videbis, quam *Patzinatritas*. Itaque, vt rem paucis conficiamus, Tataros, europeam Euxini oram tenentes, e Turcarum, Maeoti olim vicinorum, genere natos arbitramur. Id ex eorum lingua et nuncupatione videas. Ab Turcis enim sola dialecto recedunt, seque a regione, quam incolunt, adpellant, nihil magis perosi, quam cognomen *تاتار* *Tatar*; in primis quod Latino ore *Tartari*, quasi ex orco prodiissent, vocari solent. Sed neque Persae, neque Arabes nouere, quid *تاتار* sibi velit. b) His enim *لغة* *moghol*, dicuntur, illis *تورک* *türk*; vt vel inde eos e Turcico genere prognatos videas. Chanus Crimeae hunc sibi titulum vsurpat: *Ulugh jortnin-ve täçhti Kirimnin-ve deshti kipcsaknin- ulugh Chani, Magni regni et throni Crimensis et camporum Kipciacensium, magnus Rex*. Vt adeo perperam Tatari dicantur adcolae Ponti, *Turcae* potius dicendi; quam illi nuncupationem haud respuunt, nostri vero *Turcae*, cognati eorum, libenter adsumunt. Hos porro Tataros, aut potius Turcas, iam olim a Maeotide quasdam ad Pontum colonias misisse puto, quae indigenis mixtae communi Scytharum vocabulo primum, deinde Patzinacarum, Tatarorum denique audierint. Si enim Graecos recte confulas, iisdem Patzinatritas locis deprehendes, quibus Tataros posuere alii, a Borysthene quippe ad Istrum. c) Constantinus quidem ab *Atil* seu *Volga*, pro more suo, vti ceteros, ad haec deducit loca Patzinatritas, vt postea Tataros Latini; sed indigenis ad Pontum, quos ii expulissent, non memoratis. Id eius aetatis Geographiae tribuendum, qua quod ante notum erat, in obliuionem abiit, vt integrae etiam prouinciae, populis refertissimae, pro desolatis et vacuis haberentur, gentesque nouae, quod noua essent nomina, e remotis, id est, ignotis partibus, e Cimmeriis tenebris, e Caucafi angustis, e Tartaro denique producerentur. Et

quis

a) Destr. Hung. Cap. XIX seqq.

b) Vid. Schlöz. P. II H. S. Cap. IV § 22.

c) Vid. Porphy. Adm. Imp. Cap. 37.

quis scriptorum tradidit, Patzinacas ab Tataris agro pulsos? Coniatae, qui sub ru-
miorum Tatarorum commentabatur, a) Patzinacae, quos etiam *Scythas* vocat, ad
Istrum memorantur, *Pecsenegi* Russis nuncupati. b) Non poterant illi *multi an-
ni*, quibus Cumanos Tataris petebant, esse 30 aut 40, ut Coniata quidquam de
iis audire potuerit? Scilicet vocabulum hoc, Graecis ignotum, soli adoprare
Latini, ut non tam monstra, quam genios malos efformarent Tataros. Perdurant
hi sedibus priscis, quibusdam Gothis, pluribus Dacis mixti, seque e Turcarum
veterum c) progenie ortos et lingua et moribus ostendunt, vti ab Hungaris, quos
Graeci quidam Turcos, *Τέρκοις*, perperam dixere, d) longe diuersos. Quodsi
itaque Patzinatzitas, gentem validissimam, suis relinquamus agris (exactos nemo
docuit) nomen eos Tatarorum adsumisse quis negauerit? Nescio, an non et Csa-
zari isthuc adcesserint. e) Quidquid tamen de his sit, ex quibus *Cumanos* effor-
mare non sine machina queas, Patzinacas certe stirpi Hungaricae tunc dabo, qua-
do Tataros Turcasue. Et quare miscemus gentes citra exemplum? Constantinus
Patzinatitzitas, *Uzos*, *Mazaros*, *Chazaros*, distinguit; f) idem faciunt, qui post
eum scripsere, Patzinacas ab Turcis, Vngarisque sedulo discernentes. g) Quam-
quam Turcorum quidem vocabulo hi non solos intellexerunt Hungaros, ut postero-
ra nos docuere tempora. Neque enim Hungari se *Turcas* nuncupant, et nescio
an

a) Initio seculi XIII. Vid. Bert. Hist. Eccl.

b) Vid. Schlöz. H. S. P. II Cap. VI § 34.

c) *Veterum* dico; quia recentiori aeuo plures hoc nomine gentes venere, in primis
apud Graecos Vid. Schlöz. Op. cit. p. 538.

d) Constantin. Adm. Imp. Cap. 38, 39, et pass. Vid. Pray Diss. praeu. ad Annal. vet.
Hung. Schlöz. l. c.

e) E sedibus eorum arbitraris, ap. Schlöz. Op. cit. P. II Cap. IV § 30-33. Bayer.
p. 253.

f) Adm. Imp. C. 37. ap. Schlöz. p. 522 not. Cl. Pray in Annal. suis veter. et
Diss. in eos, probare vult, hos e progenie Hungarica fuisse, quod *Turci* diceren-
tur, et quasdam voces hi cum Hungaris analogas haberent. At *Turci* vox pluribus
lingua diuersis, sub Constantino tributa, et vocabula quaedam non faciunt Gram-
maticam. Si Prayus vocabularium Illyricum cum Hungarico contulisset, nae ille
apud Hungaros plura Slauica comperisset, quam compererit Fennica aut Turcica.
Σαρκελ, καρτζιτζο, Σουβαλλει, Βοροπαλματ, Βελοτροσπον, cet. longe faci-
lius e Turcico interpretaberis, quam ex Hungarico. Vid. Schlöz. p. 530 seqq.

g) Coniata Patzinacas vocat *Scythas*, quo nomine nec ipse, nec Porphyrogenita Tur-
cos Mazarosque adficiunt. Fluctuat Prayus Annal. P. III p. 386 sequ. ad verba
Coniatae, Patzinacas inuito scriptore ad Hungaros trahens. Monnit Cl. Schlöz. H.
S. p. 538 caute haec Byzantinos legendos, ut ne diuersae misceantur gentes.

an vniquam nuncuparint; *Osmani* عثمانی e contrario hoc nomine *Tatarique* تاتاری libentes vtuntur. Seruant nepotes maiorum vt instituta, sic et linguam et cognomina.

VIII. Sed aiunt: nonne a doctissimis, iisque compluribus viris, res iam demonstrata est, Hungaros e Turcarum sanguine olim prodiisse, vti et nomen promiscuum apud Graecos suadere videtur, et innumera pene vocabula vtrisque hodieum communia? a) Ita, inquam: sed tam eis hoc negotium infeliciter cessit, vt se alterutrius linguae ignaros monstrarint. Saltem nemo erat, qui axioma hoc argumentis e natura idiomatum deductis probasset. b) Solam autem vocum analogiam adferre adeo infirmum censeo, vt ea non modo cognationem gentium diuersarum non ostendat, sed insuper velit, quot quot in orbe terrarum populi nationesque sunt, cum omnes in vocabulis quibusdam conueniant, eiusdem esse linguae, aut saltem aliquot ante secula fuisse. Quod cuius momenti dictum sit, iis, qui linguarum diuersitatem nouere, expendendum relinquo. Mihi Turcae ab Hungaris in sermone haud minus dissidere videntur, quam ab Graecis Latini; idque non hodie dumtaxat, sed inde a primis rerum publicarum temporibus. Atque hoc alterum eousque tenebo, donec mihi quispiam celebris illius Hungaricae linguae e Turcica metamorphoseos aetatem ostendat; illud exemplo duplici, in eorum praesertim gratiam, qui Hungaros Turcasue cognatos esse volunt, firmabo. scribendi ratione Hungaris familiari vtar, vti censeant ipsi, an sint Turcica progenie sati. Primum sit inflexio اغانی aghanün, domini.

Singular.

Plural.

اغا	agha,	ur,	dominus.	اغالر	aghalar,	urak,	domini.
اغانی	aghanün,	uré,	domini.	اغانلری	aghalariün,	uraké,	dominorum.
اغانی	aghaja,	urnak,	domino.	اغانلر	aghalara,	uraknak,	dominis.
اغانی	aghajé,	urat,	dominum.	اغانلری	aghalaré,	urakat,	dominos.
یا اغا	já agha,	o uram,	domine.	اغالر	aghalar,	uraim,	domini.
اغانلر	aghadan,	urtól,	a domino.	اغانلردن	aghalardan,	uraktól,	a dominis.

Aliud

a) Vid. Pray Dissert. in Annal. vet. V, § 5.

b) Cl. Kollar in nott. ad Hung. Olahi p. 91. „ Idioma Hungarorum, inquit, vt ab omnibus Europae reliquis diuersum est, ita cum linguis Orientis affinitatem maximam habet, cum Turcica vero in primis; si ingenium vtriusque linguae et structuram orationis spectes; nam etymologia, siue ratione originis vocabulorum mirum quantum mutuo dissident.“ Vice versa dicere oportebat virum doctissimum: voces enim complures eodem sensu vtrique habent, in Grammatica toto caelo dissident.

Aliud exemplum, quo sermonis Hungarici ab Turcico, diuersitas huius autem cum Tatarico apud Euxinum adfinitas clarius videri possit, in medium proferre libet. Oratio est Chani Crimeae ad foederatos. a)

I

Bíz szizén - barcsia dosztun - uzgha doszt, ve dusmanun - uzgha dusman - méz, her kajda afzkjer gyerekj bulsza, také d'zibirurméz: imdi szíz také bizim dosztun - uzgha doszt, ve dusmanan - uzgha dusman. bulup her ne szozun - uz bulysza, muhabbet náme kjaghédén - uz, ve elcsín - uz birile. tarafumuzgha bildürgyajaszéz; ve barghan ulcsimuz mílan iakhfi szojlesüp, széz také szavlék ve eszenlék khaberén - uzni bildure, bu vilajette okunur úld'ze jakhfi jazdurup, barcsia szozun - uzni éhlám kélup, szelámun - uzni d'zibirgyajaszéz.

Nos omnibus vestris amicis amici sumus, et inimicis inimici, vbicumque exercitu opus fuerit, enim mittemus. Ergo vos quoque sitis amicis nostris amici, inimicis vero inimici. Qualiicumque fuerint vestra desideria, aut negotia vestra, officiolis vestris literis, et per vestrum ablegatum nobis, seu parti nostrae

II

Bíz szizén - d'ziümle dosztün - üze doszt, ve düsmanün - üze düsmen - iz, her kanda afzkjer gyerekj olsza, dakhé gyönderürüz: imdi szíz dakhé bízüm dosztün - üze doszt, ve düsmanün - üze düsman. olup her ne szözün - üz olsza, muhabbet name kjaghédén - üz, ve elcsín - üz tarafümüze bildüreszéz; ve varan ulcsimüz ile jakhfi szojlesüp, széz dakhé szaghlék ve eszenlék khaberün - üzi bildürüp, bu vilajette okonur d'ld'ze jakhfi jazdürüp, d'ziümle szözün - üzi éhlám kélup, szelámün - üzi gyöndergyajaszéz.

Mi a' ti minden barátitok' barátik vagyunk, és ellenségitek' ellenségik; valahol a' hadi - népre szükségtek léfszen, azt el - küldünk: tehát ti - is a' mi barátinknak barátik legyetek, és ellenségünknek ellenségik. Akár minémü dolgatok léfszen, barátságos leveleitek és követitek által mi részünknek tudtára adja-

a) Ap. Franc. Mesgnien Meninski in Grammat. Turc. P. II C. IV p. 29 edit. Vienn. 1680.

nostrae significetis; et postquam cum adjatok, 's minek utánna az oda-kül-
isthuc misso ablegato nostro collocuti dött követünkel beszélni fogtok, ti-is az
fueritis, vos quoque nuntium vestrae sa- egézségteknek és jo-voltatoknak izene-
nitatis nobis communicate, et lingua, tét velünk közljetek, 's itt való nyel-
quae hic legatur, scribi rite iubentes, vel minden igeitekét föl-iratván, 's tud-
omniaque vestra verba significantes, sa- tunkra adván, köszöntéstekeket küldjetek.
lutationem vestram mittatis.

Columna prior Tataricum exhibet textum, posterior Turcicum, vbi exiguam
vides differentiam. Si enim quosdam casus, et ü atque ö diphthongos, quibus
Turcae pro u et o vtuntur, demas, in reliquo eadem obseruabis linguam. Ver-
sionem Latinam doctissimi Meninskii posuimus, Hungaricam phrasi Turcicae ipsi
adcommoauimus. Ex quibus an quaepiam vel a longe petita Hungarici sermonis
cum Turcico analogia erui queat, viris hac in re peritis censendum relinquo. Equi-
dem non hic maiorem video conuenientiam, quam in illo:

Béjám Attamúz kijúkkek ghiögda sen. a) *Turcis*
Bizüm Attamüz kjiinan gyökjler-de szin. *Hungaris*
Mi Attyánk, a' ki menyek-ben vagy. b)

Atque haec sint de idiomaticis aduenarum apud Thracas praecipuorum, vt
qui in iis partem dominabantur, dicta. Nunc et illos, quibus nostri aut tamquam
socii, aut inquilini, cessere agros, paucis memorasse liceat; in primis, quod
eorum a plerisque non magna est habita ratio. Inter huiusmodi gentes censebi-
mus *Epirotas, Hebraeos, Armenos, et Zingaros.*

IX. De origine et lingua Epirotarum, quos *Albanenses*, item *Arbanasios*, et
Arnautos, partemque *Clementinos*, dicimus hodie, non eadem est eruditorum opinio;
cum

a) Ita expressit Cl. Pray Dissert. in Annal. Vet. Hun. VI § II p. 114 not. h. cuius
initio ait, pueros Cumanorum in ludo memoriae causa discere orationem, cuius
initium: *Béjám Attamász keuezkikte*; quod corruptius priore est. Nos Turcica dia-
lecto etulimus.

b) E commercio Turcarum quaedam Illyrii Hungariae Slauoniaeque vocabula adoptaue-
re, in primis mulieres, vti *shamia, buruncsuk, kadisa, gyerdan, mengyushe, csizme, pa-
pucse, belnuk, churdia, jorgan*. Item *ada, bábo, espáp, gyecserma, gyerma, csoha, chu-
pria, dal-k, marama, melem, sinczir, pencxer*, cet. vid. Anton. Relkovich Gram. init.
Sed quae nec ab omnibus vsurpantur, et pleraque natia denominatione exprimi
valent.

cum eos alii Graecos, a) alii Valachos, b) alii veteres existiment Illyrios. c) Graeci quidem ipsi et Illyrii, si patriam, quam obtinuerunt, spectas, dici poterunt; sed si linguae ratio habeatur, non minus ab vtrisque his, quam ab omnibus aliis, Europam colentibus, diuersi comparebunt. Specimen quoddam sermonis, ab Daniele Cornides sibi communicatum, dedit Cl. Windisch, ex quo facile hanc diuersitatem agnoscas. d) Ceterum versamur cum illis, duas in agro Sirmiensi colonias obtinentibus. e) Linguae structura, quamcumque Grammaticae partem consideres, admodum singularis est. In exprimendo tria potissimum notantur: diphthongus *ü*, quam ipsi literis ceteroquin vli latinis, *u* scribunt, et sono inter hungaricas *ü* et *o* medio efferunt. Alterum est *r₂* elementum, iis *er₂* dictum, quod apud omnes Europeos expressu est difficillimum, vt in vocabulo *r₂e, terra*; vbi lingua, ore modicum aperto, ad superiores vsque dentes producta expanditur, literamque medio fere *z* inter et *r* sono exprimit, sic tamen, vt nihil caninae audiatur. Denique *z₃^e*, quod ii lingua dentes inter extensa, tenui admodum sibilo, qui s inter et *z* est, efferre consueuerunt. Quae, nisi eos audias loquentes, exprimendo non eris. Vt porro singularis linguae adpareat ratio, specimen duplex adferre libuit, inflexionis vnum *niér* vocabuli, alterum orationis dominicae, ortographia Illyrii familiari, si tria, quae paullo ante notauimus, addas.

<i>Singular.</i>		<i>Plural.</i>	
kü niér,	<i>hic vir.</i>	kéta niérs,	<i>hi viri</i>
tékêti niérit,	<i>viri</i>	tékétüne niérsue,	<i>virorum</i>
kêti niérit,	<i>viro</i>	kétüne niérsue,	<i>viris</i>
ket niér,	<i>virum.</i>	kéta niérs,	<i>homines</i>
oh nier,	<i>o vir</i>	oh niérs,	<i>o viri</i>
prej kâti nierit,	<i>a viro</i>	prej ketüne niérsue,	<i>a viris. f)</i>

H h 2

Heic

- a) *Vulgarem in Illyrico veteri Graecam* facit Cl. Timon. Im. A. H. L. II C. XVII p. 150.
 b) Laonic. ap. Lucium Regn. Dalm. L. V C. 5. Conf. supr. p. 224.
 c) Leibnic. et Thunman, et ex his Taube, ap. Windisch in *Collectan.* quorum primus in Albanorum lingua *Sythici* aliquid, *Germanici*, et *Hungarici*, se reperisse putabat; quasi ex his ea fit coagmentata. Cl. Dolci § XI de ling. Illyr. *Slauam* dixit Graecis mixtam vocabulis, non bene Tuberonem citans, vtqui Albanos *neque Graeca neque Illyrica lingua* vti memoret.
 d) Vngrisch Magaz. Vol. II P. I n. 6 an. 1782.
 e) Infra Mitrovicz, habent *Herkoveze* et *Nikinze*.
 f) Graecum *ἀνδρῶν* non est a *niér* longe remotum; sed quantum *ἀνδρῶν* distat ab *niérit*?

Heic articulum quoque adhibui, quem illi in oratione ad Latinorum Illyriorumque morem vsurpant raro. Vocalis *e* accentu notata in expressione audiri non debet: quamquam in ore vulgi, maxime *i* praecedente, ea non semel audiatur. Precationis vero hic ordo est:

Pêr emnit Attit e Birtit e shpirtit
sheint.

Ati ün, csi jé mbé csielf; sheinté-
nuom kioft emnit tat; ar₂t rexhénia jotte;
ubanft vultedia jotte, ficurfe mbé
csielf, ashtuembé r₂et. Bukéntan tépér-
dicsmen epnã é fod; e nan die fajet
etpatet tona, fikurfe diem na faitorlit-
tan; e mos na le me raâm mbéte kecs,
pona largo fê kecs. a)

Εν ὀνόματι τῆ Πατρὸς καὶ Υἱοῦ καὶ
Πνεύματος ἁγίου.

Πάτερ ἡμῶν, ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς;
ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου; ἔλθέτω ἡ
βασιλεία σου; γενηθήτω τὸ θέλημα σου,
ὡς ἐν οὐρανῷ, καὶ ἐπὶ τῆς γῆς. Τὸν ἄρ-
τον ἡμῶν τὸν ἐπιέσιον δὸς ὑμῖν σήμερον,
καὶ ἄφεσ ἡμῖν τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν, ὡς
καὶ ἡμεῖς ἀφίεμεν τοῖς ὀφειλέταις ἡμῶν,
καὶ μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμόν,
ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ.

Graecam addidi phrasim, eo fine, vt, qui Graecos existimant Epirotas, e collatione orationis vtrorumque facilius de re arbitrari valeant. Peculiare hoc esse idioma, et ab omnibus, quae quidem cognita sint, europeis distinctum, nemo non videt. Sed quae Albanorum origo? Non vidi, qui ad hoc idonee respondisset, Virum. Noui Dolcium in ea Dissertatione, quam de *Illyrica lingua* adornarat, plura de Albanefiis, quos Epirotas veteres interpretatur, memorare, sed quos Illyrico idiomate, Graecis vocabulis referto, vti adferit. Haec sunt eius: „Nostra etiam tempestate, ait, b) Albanefii, quos scimus veteres tum Macedonas cum Epirotas esse, Illyrica vtuntur lingua, summe tamen Graeco sermoni immixta. Ab Olchinio et Scodra in orientem porrecti, montana incolunt tum Macedoniae cum Epiri.“ Citatque in hanc rem Ceruarium Tuberonem, ita scribentem: c) *Lingua* (Epirotae) *neque Graeca neque Illyrica vtuntur; quamuis ex vtroque sermone quaedam accepta inter loquendum immisceant.* Bene Tubero; cuius Dolce sententiam

a) Consona *m, n*, praecedente *a*, saepe nasalis est, vocalisque *a* medio *a* inter et *o* sono effertur; vti heic *ubanft, bukén-tan*, Gallorum exprimenda ore. *Ch* exprimunt ore Italico, medio inter Illyricum *ch*, et *cs*, sono; quo ea, quae heic per *cs* scripta sunt, etuleris.

E; § XI, sed non bene Macedones cum Epirotis Illyriisque committuntur.

c) De gest. Turc. L. II p. 37 edit. Florent.

tentiam non expressit. Ego, vti Arbanasios veterum Epirotarum posteros facile admitto, sic ab Illyrica gente, si linguae ratio habeatur, differendos censeo. Vicinitas gentium diuersarum plura saepe vocabula, in primis ad commercium spectantia, facit communia; sed linguae structuram, in validiore praesertim populo, intactam omittit. Illyrios Epirotis iam olim admixtos nouimus, a) vti sunt hodie; b) sed nouimus etiam Epirotas ab Illyriis, vti olim erant, sic et hodie diuersos. Itaque si nostra cum priscis comparemus tempora, ni Epirotae nostri, sint Phoenices illi, qui cum Cadmo in Europam venerant (quod e cognatis eorum, si qui tamen Phoenicen habuere, cognosci deberet) Epiri indigenas fateare, necessum erit. Atque isthuc propendebit animus, dum quispiam cognatos Albanensium in Asia detegat. Ceterum ex iis, qui apud nos coloniam habent, interrogatus quispiam, quis esset, reponit: *uné jam Iclement, vel IArnaut, vel Ischchiptar, se Clementinum, Arnautum, honestum esse.* c) Hebraeos videamus.

X. Quando primum ad nos hebraea venerit natio, statui pro certo nequit. Quod enim quibusdam placuit, eos sub Decebali aetatem, vrbe Ierosolymorum euersa, et postea orientali imperio ab Turcis occupato, isthuc adducere, d) non obstat, quo minus vti ante hanc orientalium cladem, sic etiam ante Traiani tempora, quaedam ex Asia Hebraeorum coloniae, in primis quod gens mercatui pene soli dedita est, huc adpellere potuerint. Et antiquos quidem colonos ipsa, quae inhabitant, praecipua ostendunt circa Danubium loca, eaque ripensia potissimum, apta commerciis. e) Iudaeos f) adpellamus vulgo, prout et se adpellant ipsi. Gens illuue fordida, et idcirco apud alios vilis contemptaque, magis pene, quam Zingarica. Vtuntur Iudaei nostri lingua Hebraea, sed peregrinis vocibus, maxime germanicis referta saepe adeo, vt praeter expressionem vix quidquam hebraici sonare videatur. g) Structura tamen sermonis natiua per hanc vocum alienarum admixtionem adeo non tollitur, vt Iudaeum a ceteris distinguere sit perfacile. De natura linguae heic multum differere, cum non putem eruditionis aman-

tem

a) Cap. VI n. XVI-XVIII.

b) Op. hui. Cap. VII n. XVIII.

c) *Ishchiptar*, honestum significat; *na jem Shchiptar*, nos sumus honesti. *Ka je?* vnde es? *prei reut té Klemetve, prei Epirit*: e patria Clementinorum, ex Epiro.

d) Benkő Transilu. Tom. I, L. IV § 160.

e) Vti sunt *Buda, Paksh, Baja*, cet.

f) Germanis *Iud, Iuden*; Illyriis *Xudia, Csifut*; Hungaris *'Zidó*; Turcis ad sonum hebraicum *jehúdl*, alias vulgo *Csiufut*.

g) Vid. *Wol-eingerichtete Buchdruckerey* -- p. 146, 151, edit. Norimb. an. 1733. Benkő l. c.

tem esse, qui elementa eius ignoret, operae pretium non censeo. Id vnum lectores monitos velim, mihi sententiam illorum probari minime, qui ex iis septem linguis matricibus Hebraeam statuunt, a) ad eamque, inter alias, *Arabicam, Persicam, Armenicam*, tamquam filias, referunt; quae totidem diuersae ab se, et ab Hebraea, non minus quam Graeca a Latina, sunt linguae. Dabo exemplum rerum in corpore, quas ipsa dedit natura; uti censeat quisque, an haec in vnum compingi possint idiomata.

<i>Latine</i>	<i>Hebraic.</i>	<i>Arabic.</i>	<i>Persic.</i>	<i>Armen.</i>	<i>Turcic.</i>
Caput . .	רֹשׁ rosh .	kjelle . .	rees, fer.	kuluk . . .	bash
oculus . .	עֵין hajin .	æjn . . .	cseshm .	acskh . . .	gyöz
supercilium.	גַּב ghab .	hacxib . .	ebrü . .	unker . . .	kash
capillus . .	שַׁר shar .	shær b) .	mùj . .	maz . . .	facs
barba . .	זָקָן dzakan .	léhjet . .	rîsh . .	muruk . . .	fakal
nafus . .	אַפּ aph .	enf . . .	bejnî . .	kit, snar . .	burun
auris . .	אָזֶן odzen .	üzn . . .	feme . .	unkn, akáncs.	kulyak
collum . .	צַוּאר tzavar	ûnk . . .	gyerdan .	visz . . .	bojun
manus . .	יָד jadh .	dest . . .	kjef, jâl	czerk . . .	el
digitus . .	אֶצְבַּע otzbah	uspu . . .	engyüsht	mat . . .	parmak
vnguis . .	צִפּוֹרֵן tziporen	nakhun . .	pencxe . .	igunk . . .	térnak
venter . .	כֶּסֶף beten .	bætén . . .	shikjem .	por . . .	karn
pes . . .	רֶגֶל reghel .	kedem . .	paj, pà, pej.	vot . . .	ajak
genu . . .	בִּרְךָ berech	rükjbet . .	zánú . .	czunk . . .	diz
os, oris . .	פֶּה peh .	füm, femm.	dihen . .	piran . . .	aghéz
- offis . .	עֶצֶב hetzem	sümük . .	æzm . .	yósker . . .	gyemükj
dens . . .	שֵׁן shen .	finn . . .	dendan . .	atám, agrik .	dish.

Analo-

a) Sunt iis, Hebraea, Graeca, Latina, Germanica, Tatarica, Chinensis, et Illyrica. Vid. Molnar *Jels épül.* p. 170.

b) Quae syllabae sunt per æ scriptae, duplicem habent sonum, a vel e; sic dicunt *ajn* vel *ejn*. Vbi supra vocalem e signum vides, adspirationem ex imo gutture esse, ad modum Hebraeo-

Analogiam, quae heic quaedam inter vocabula comparet, non eo statim retuleris, vt vnam arbitrere linguam; plura enim sunt, quae non congruant, et, si ea inflectas iuxta idioma suum, penitus diuersa erunt. Et quam dabis rationem, quod in numeralibus, quo loco apud plerosque Europae incolas magna est affinitas, hi adeo dissentiant? Libet ea quoque in medium protulisse, addita interpretatione hungarica, et Finnica. a)

	<i>Hebraic.</i>	<i>Arabic.</i>	<i>Persic.</i>	<i>Armen.</i>	<i>Turcic.</i>	<i>Hungar.</i>	<i>Finnic.</i>
1	ekhadh .	ahæd . .	jekj .	mek .	bir .	egy .	yxi
2	shenafim .	isnán . .	dü . .	erku .	ikji .	kettô .	kaxi
3	sheloshan .	feláfet . .	fe, fi .	jerek .	ücs .	három .	kolme
4	arbahah .	erbe-æt .	csehâr .	chorfz .	dört .	négy .	neljä
5	khamifa .	khæmfet .	pencx .	hing .	besh .	ött . .	wis
6	shisha . . .	fittet . .	shesh .	veesz .	alyté .	hat .	kus
7	shibbah .	feb-æt . .	heft .	okhten	iedé .	hét .	seitsemân
8	shemona .	femánijet .	hesht .	uthen .	fekjiz .	nyóltz .	kachdexas
9	teshah . . .	tis-æt . .	nü . .	vine .	dokuz .	kilentz .	ychdexas
10	hafarah . .	æshret . .	deh .	dafze .	on . .	tiz . .	kymmenen.

Arabica heic posita sunt genere, vt aiunt, masculino; femineo aliter non nihil efferuntur. b) Congruentia horum cum Hebraicis non nisi radicem, vnde profecta sint, exhibent; diuersam porro linguae rationem ex terminatione cognoscas. Plura heic vides orientalium vocabula, quae sint Europaeis quoque vsitata: c) neque tamen quis idcirco idiomata haec diuersa confuderit. Illyrii graece dumtaxat

braeorum, y, quod Arabes Turcaeque *Ė ajn* dicunt, é heic occurrens ore hungaro exprimendum.

- a) Expressi Finnica, vti ea ap. Schlöz. p. 422 comparent. Turcica, Persica, Arabica, Hebraica ori hungaro adcommodanda, orthographia supra memorata.
- b) *éhdá, isnatán, felás, erbet, khæms, fitt, febe, femán, tise, zsher.* Vid. Gram. Turc. p. 41.
- c) Vti Persica *jekj*, Illyriis *jedan, dü, dva, csehâr, csetiri, pencx, pèt, shesh, sheft, deh, defet.* Finnica ab Hungaricis penitus diuersa sunt.

taxat numerare scimus: a) quis tamen Illyriorum sermonem a graeco deriuare afit? Ceterum, ea Hebraeorum vocabula, quae apud Europeos non exigua reperiuntur copia, cum e commercio adoptata non videantur (olim enim iam his ea in vsu erant) ab communi illa primigeniae linguae, quam Hebraeam putauimus, b) confusione repetenda sunt. Vt adeo, quamquam ante babelica tempora quaedam mortalium e Noe posteris coloniae in Europam venire, locisque nomina dare potuerint; tamen, quod migrationes ab confusa primum lingua institutae e Mesopotamia leguntur, vniuersam Topographiam vetustiore ad Hebraeos referre, tantum esse puto, quantum ex analogia vocabulorum vniuersas orbis terrarum linguas ex Hebraea deriuare. Itaque, si aliud non sit argumentum, Tauriscos a *Taur* vel *Tur*, c) Thracas ab *Tira*, d) non illico deriuaueris. Non quidem negamus, pleaque gentium vocabula in sermone hebraeo reperiri posse; at cum ea diuersum saepe sensum habeant, et sint multo plura longe aliter sonantia in aliis, quam in hebraea: ad haec structura idiomatum adeo singularis, vt ni adiuncta quaedam testamenti, vt aiunt, veteris pro hebraea starent, aequae aliae, atque ista, dici primigeniae possint; censeo cuilibet genti suam vt patriam, sic et Topographiam tribui oportere. Sed et hic magnae saepe difficultates occurrunt, quod in eadem prouincia olim iam populi diuersa lingua vtentes coluerint, a quibus nomina quoque topographica, diuerso fonte orta, repetenda forent. Quod cum ad Geographiam pertineat, eo tractabitur loco. Nunc ad Armenos gradum faciamus.

XI. Herodotus Armenios facit coloniam Phrygum, Ἀρμένιοι Φρύγων ἄποικοι, e) quem sequitur Eudoxus Cnidius apud Stephani epitomatores, f) Ἀρμένιοι δὲ, inquiens, τὸ μὲν γένος ἐκ Φρυγίας, καὶ τῇ φωνῇ πολλαὶ Φρυγίζουσι, Armenii vero genus trahunt ex Phrygia, atque lingua multa Phrygum imitantur. Strabo quoque Armenios memorat, g) sed e Thessalia eo deductos, Armeno Rhodio, qui cum Iafone concesserat, duce perhibens, a quo etiam nomen acceperint. Quidquid porro de cognomine sit, quod potius ab ἄρῳ Ararat monte, in quo arca

a) ἕν, jedan, δύο, dva, τρία, tri, ἑσπυρα, osetiri, πέντε, pèt, ἕξ, sheft, ἑπτὰ, sedam, ὀκτώ, ofam. ἑνέα, devet, δέκα, deset.

b) Cap. VII. n. 18. Huetius Demon. Propos. 4 c. 13. ap. Molnar op. cit. p. 172 seq. not. * ,, Sentio, *inquit*, -- pristinam illam, et primigeniam, quae ante confusionem linguarum ebtinebat, --- vel funditus interiisse, vel in alias linguas esse disseminatam: vel --- absque temeritate assignari non posse. Certe, si linguarum structura consideretur, quidquam circa hoc determinare difficile admodum est.

c) Aquil. Caesar. Ant. Styr.

d) Bochart, in Phaleg ex Ioseph. Flau. Ant. Iud. vid. supr. C. II, n. 1.

e) Ap. Schlöz. P. II p. 275 not. Q.

f) Voc. Ἀρμενία.

g) L. XI Geogr. p. 530 seq.

ca Noe confedisse fertur, deriuaueris, a) Armenios, de quibus sermo nobis est, a Phrygibus, Theffalisque distinguendos reor; quamquam et Phrygia et Armenia diuersis gentium linguis olim iam personuerit. Missis, qui ad scopum non pertinent, aliis, eos, qui ex Armenia seculis prioribus ad nos uenere, lustremus. Quo agitati fato patriam deserere, atque occasum petere, coacti sint, parte in Perliam secedente, quandoque Transiluaniam primum salutarint, Prayo b) et Benkone in primis, c) edocti sumus. Gens urbium perquam amans, aediumque elegantium, commerciis potissimum dedita. Ingenio sagaci, et ad scientias artesque condiscendas idoneo maxime. Ciuitate iam donati, multi inter nobiles numerantur. Ecclesiasticos ritus habent proprios, quos patria peragunt lingua, ceterum Romano-Catholicis iuncti: Sermone utuntur ab europeis omnibus diuerso; sed neque cum Hebraeo, Arabico, Persico, aut Turcico adfines. Schoening apud Schloezerum, d) iniicit linguae Armenicae memoriam, sed pluribus eam gentibus, quam oporteat, communem facit, idque e paucarum consonantia uocum, miscetque Medos, Cappadocas, Persasque cum Armeniis, veteres cum ueteribus. At, si apud Armenios prisca mansere uocabula, ut ipse refert; qui Persae sua dediscere coguntur? Non extemplo oriuntur linguae. — At Persae ab Armeniis in eloquendo differunt hodie, quidni et olim? Ea ipsa pro exemplo adducam uocabula, quae Schoening pluribus in Europa gentibus communia dicit, addita interpretatione Persica, uti quisque censere possit, utrum eadem sit Armeniis Persisque lingua. e)

<i>Latin.</i>	<i>Armen.</i>	<i>Persic.</i>	<i>Turcic.</i>	<i>Hungar.</i>
anima . .	huëgi . .	rúhum . . .	cxian . .	lélek
aquila . .	ardziv . .	nizr, dâl . .	kartal . .	safs
aqua . .	dfchur . .	ab	fu	viz
caro . .	mis	kjusht . . .	et	bus
cor . .	firt	derún	jürekj . .	fziv
dominus .	ter	agha, basha .	begj	úr

hortus

a) Vid. Nott. in Steph. *Aqueniav*, not. 65.

b) Differt. in *Annal. vet. Hun.* VII, § 11.

c) *Transilu.* § 158.

d) *Oper. cit.* p. 275 seq.

e) *Conf. supr.* n. 10. Ceterum complura ex his Armenicis Schoeningi uocabulis, in *Lexico omnium linguarum Russico* aliter exprimi uideas.

<i>Latin.</i>	<i>Armen.</i>	<i>Perfic.</i>	<i>Turcic.</i>	<i>Hungar.</i>
hortus . .	paradis .	bagh, revczæ .	boştân .	kert
ignis . .	hur . .	fu- ár, ázer .	ot . . .	tüz
iustus . .	ardar . .	setæh, berr .	âdil . .	igaz
lambere .	lakiël . .	læs, lesá . .	jalamak .	nyalni
mater . .	mair . .	mázer, melkúhæt	ana, nene.	anya
mens . .	mit . .	himmet . .	âkl . . .	ész
navis . .	nav . .	zevræk . . .	gjemi . .	hajó
panis . .	pan . .	nân	etmekj .	kenyér
pater . .	hair . .	bù, pezer . .	baba . . .	attya
securis .	facr . .	teber . . .	balyta . .	fejsze
vir . . .	air . .	er, zevcx . .	er . . .	férj
vxor . .	kin . .	zen	âvret . .	feleség.

Illyriis Turcisque Armeni dicuntur Ἰλλυριοὶ *Ermeni*, Hungaris *Örmények*, Hebraeis, vt supra memorauimus אֲרָרָט *Ararat*. Complura Transilvaniae loca, iam et regionis Temesiensis, occupant. Propriis vtuntur literis, de quibus capite sequenti. a) Zingaros videamus denique.

XII. De patria Zingarorum, ex qua in haec loca venerint, magna est eruditos inter contentio; aliis eos ex Aegypto et Africa deducuntibus, b) quod non nulla vtrisque communia essent vocabula; aliis eum irruptione Tatarorum, qui e Mogolica stirpe erant, isthuc venisse scribentibus, c) quod *Chan* vocabulum ori Zingarorum in primis quadraret: aliis denique hos ab Gange et Malabaris, quibuscum lingua conueniant, d) ad Istrum euocantibus. Et priores quidem classes non firmis videntur niti fundamentis eo, quod plures saepe gentes, quibus diuer-

sa

a) Connubia non libenter miscent; et idcirco linguae integritatem, vti et Clementini, conseruant: si pauca demas vocabula, quae e commercio a vicinis adoptant. A puero condiscunt Hungaricam, et Valachicam, vti Clementini Illyricam, quod cum his versantur.

b) Vid. Wiener. Anzeigen, V Jahrgang, 1775. Conf. Auentia. et Vulcan. ap. Benkô Transilu. § 167.

c) Ibid. XXVI Stück num. II. XXIX Stück n. II.

d) VI Jahrgang XII Stueck num. II, XI Stueck n. II.

fa sit loquendi ratio, in quibusdam conueniant vocabulis, vti ex haecenus dictis colligere licet. Postrema non parum fidei apud lectores suo posuisset adserto, si id exemplo firmatum dedisset; qua re cum ea nos voluerit frustratos, etiam Malabaros plurima cum Zingaris efferre, quin eodem sermone vti, concedamus, non idcirco tamen e sinu Malabarico nostros deduci oportere censemus, cum gens eodem cum Malabaris idiomate via circa Armeniam quoque esse potuerit. Et mea quidem opinione, vt paucis hoc argumentum finiam, cum Armenis nostri in Europam venisse videntur, seu tempus, siue loca, vnde venerint, spectas. Non sunt haec ante initium quinti decimi seculi auditi; a) sed eodem plane tempore Armenii quoque huc adire coeperant. b) Hi se Moldavia primum continuere, tum exagitati in proxima Hungariae Poloniaeque concessere loca; hi metanastas imitati, liberaeque adsuetae vitae, totum pene occidentem peruagati sunt. Congruit vocabulum patriae *Sinar*, quod si cum Hebraeis שִׁינָר tercia *ain* efferas; c) pene *Shingar* obtinebis, vocem prima leniore hodie vlitatam. Accedunt voces nostris Persis que familiares, quas ii non nisi e consortio horum acceperint. Strabo quoque hanc videtur firmare sententiam, vbi de Syris agens, Cappadoces ait d) Λευκοσύρους *albos* Syros alias nuncupari, quod alii, iique extra Taurum (in Mesopotamia) μελάνων Σύρων, *nigrorum Syrorum* nomine venient. Nostri certe *nigri* sunt. Vt videas doctissimi Ioan. Molnar opinionem de patria Zingarorum non esse vanam. e) Sed iam loquentes audiamus nostros. Lingua vtuntur singulari, quae sit ab omnibus, quas adhuc memorauimus, diuersa. Persica quidem plura comparent, vt videbimus, sed structura vniuersa recedit. Saepe etiam Hungarica miscet, Valachica, Illyrica, inter quos nimirum versantur, sed ea sic efferunt, vti Zingarum facile dignoscas: nam praeter singularem in aliis expressio-nem, frequens in ore ipsorum est *h*, idque spiritus vehementioris, pene vti *h* *ain* Hebraeorum, quale in *dukhamano shéro*, dolet mihi caput. Pro specimine linguae, primum quaedam vocabula, praecipuas corporis partes denotantia, tum orationem dominicam, adferre libet.

a) Ibid. V Jahrgang XXVI Stueck p. 208. Conf. Benkő l. c.

b) Vid. Pray Dissert. in Annal. vet. Hun. VII n. XI init.

c) Consule etiam Ioan. Molnar Jeles Épület. L. III C. I init. Conf. nott. in Steph. Σίγγαγα.

d) L. XVI Geogr. p. 737.

e) Hodie lingua cum Indostanis, seu Indis orientalibus, conueniunt, vt Cl. Grellman, singulari de Zingaris tractatu ostendit, P. II. Conf. Lexic. Russic. lingu. omn.

<i>Latin.</i>	<i>Zingar.</i>	<i>Persic.</i>	<i>Albanic.</i>	<i>Illyric.</i>	<i>Valach.</i>
caput . .	shéro . .	ser . . .	krüe . .	gláva . .	kàp
oculus . .	jàk . .	díde . .	szü . .	oko . .	oty, illyr. och
supercilium	povja . .	ebrü . .	vetul . .	obérve . .	veshd
capillus . .	bal . .	mùj . .	percse . .	vlàs . .	pöer
barba . .	csòr . .	rish . .	mjekér . .	bráda . .	barba
nasus . .	nàk . .	binì ' . .	hund . .	nòs . .	nàz
auris . .	kàn . .	feme . .	vesh . .	uho . .	urety
collum . .	mèn . .	gjerdan . .	cháf . .	vrát . .	gut
manus . .	váh, vas . .	jál . .	dora . .	rúka . .	mana
digitus . .	gusto . .	engyüsht	gisht . .	pérft . .	deget
vnguis . .	naj . .	pencse . .	zon . .	nokat . .	ungy
venter . .	ógyi . .	bátén . .	barku . .	térbuh . .	fole
pes . .	pròh, pin	pej . .	kam . .	noga . .	pícsor
genu . .	csàng . .	zánù . .	gjun . .	kolino . .	genugy
os, oris . .	muj . .	díhen . .	goj . .	nfta . .	gura
- ossis . .	csang . .	æzm . .	asht . .	kòft . .	os
dens . .	dánda . .	dendan . .	ramp . .	zub . .	dinte

Qui inter Illyrios versantur Zingari, cum iis *vnguem* et *supercilium* efferrunt. a) Iam haecenus monui, me in linguis, praeter latinam, hungarica vti orthographia, demtis *cs, cx, sh, f, ch, x*, quas pro *ts, dzs, f, sz, ty, zs*, in aliis vsurpo idiomatis. Oratio dominica, vti eam in Transilvania efferrunt, sic habet: b)

*Muro Dad, kolim andro therofs; ta veltro szentanao; ta veltro t' him:
ta veltri olya szarthin andro therofs, ke dajn t' he pre p' hu. Sze
kogyes; damante mandro agyes; a mingi; erticza amare bezekha, szar
t' ha-*

a) *Povja* e Lexico Russ. addidi, vti etiam *naj*. Zingarus, ex cuius ore haec didici, digitum *nája*, vngues *nokti* etulit. Lexicon Russ. illud *palczos, kuczilo, guczdo, gufsto*; istud, *nogti* et *nai*, etulit. Zingarus, ventrem *ógyi*, Lexicon per seu *pör*. Ille pedem *pròh*, istud *geródi, pir*, Indis Multauis *per*. Genu meus, *csàng*, Tangutis *csanga*; Lexicon Zingarice omisit: ossa vero, quae meo itidem *csàng*, Lexico *kokalos*. In aliis modica varietas, vt *bala, vas, dand*.

b) Vid. auctor. Dissert. Wiener. Anzeig. VI Jahrgang. p. 95.

t' hamin te ertingisʒama rebezekha; mali xa men andre bezna, miika men le cxungalin manxàtâr; ke tirino t' hin, tiro hino baribo sʒekovari. Amen

Alia versio vetustior talis est:

Dade! gula dela dikha mengi; czaoreng hogodolede; tavel ogoledel hogoladhem: te a felpesʒ trogole anao czarkhode, ta vela mengi sʒtre kedapu. Maro mandro kata agjesʒ igiertisʒara a more besʒekha; male dzsame andro vo lyata, enkala megula dela enkhala zimata; shesʒkesʒ kisʒtrio oothem, banisʒtri, putyere ferisʒamarme, a kana andre vecsi, ale vakosʒ. Pihò. a)

Ipsi se coram aliis *Cziganos* fatentur, quâ ratione ab Germanis quoque, Hungaris, et Illyriis nuncupari solent. In Transilvania, Valachos imitati, *Romé*, quasi *Romanos*, adpellant se; apud nos *more*, quod *nostratem* significat, b) consuetudine Illyriorum, qui et linguam et gentem suam ita nominant. De moribus eorum, vestitu, ac viuendi ratione quantum satis est, egit memoratus auctor Documentorum Viennensium. c) Et hætenus quidem de ratione loquendi gentium Danubium adcolentium. Libeat et Literaturam earum inspicere.

C A P V T IX.

De Isfri adcolarum Literatura.

I. LITERATURAM gentium Danubium adcolentium pertractaturi, id in primis considerabimus, quod apud eas characterum genus inualuerit, et quando primum eo vti coepere; tum, si peregrino vsæ sunt, vtrum idcirco suam dediscere linguam cogi

a) Tertiam, cum paraphrasi Latina, Grellmannus, ex Heynii relatione, adfert, p. 316. In prioribus, iunctura syllabarum non nihil variat: vt *Tavel tro, kethjn t'he pre phu, damande, amingi, malisʒa men andro, ketirino, bino. del adich amengi, hogolodhem, te avel pesʒ tro goloa nao, t' avel amengi, amore, banisʒ tri, akana andro, ale va kosʒ.*

b) *Mor* Scotis *magnum*, Arabis *mora* placidum.

c) Vberius Grellmannus, opere de Zingaris.

cogi aut debuerint, aut etiam potuerint. Ordinem porro eundem, quem tenebamus hactenus, et isthic seruire liber, ducto a priscis temporibus initio, serie ad nostram deinde aetatem promotam sic, vt indigenas primum, tum aduenas quoque videamus. Antequam autem haec singillatim percensere incipiamus, quaedam de literis in communi praefari liber. Vt symbola, quibus nullam pene gentem caruisse puto, praeteream, primi literas ad sermonem adhibere coepisse dicuntur Syri, Phoenicesque, concordia scriptorum sententia; a) sed quando id primum ab iis factum, neminem, qui ad hoc idonee respondisset, vidi. Plinius, vir multiplici eruditione instructus, vbi de Syria et Phoenice verba fecisset, *Ipsa gens Phoenicum, subdit, ut magna gloria literarum inuentionis, et siderum, naualiumque ac bellicarum artium.* b) Alibi vero, de iis, quae quisque inuenerit, agens, *Literas, inquit, c) semper arbitror Assyrias fuisse: sed alii apud Aegyptios a Mercurio, vt Gellius; alii apud Syros repertas volunt.* Vt haec ambigue Plinius, ita distincte Tacitus, Aegyptios semet literarum inuentores perhibere ait, a quibus Phoenices accepissent postea. Multa de his nostros criticos disputare videas; d) aliis pro Phoenice, aliis pro Aegypto stantibus: quorum contentionibus vt me immisceam, operae pretium esse non video; paucis tantum, quid hoc in genere sentiam, praefabor. Mihi eorum placere opinionem, qui literarum inuentionem ab auctore naturae petunt, ea plane ratione, qua et astrorum notitiam, et mensurae, nauigationis, belli, reliquarumque id genus artium leges, quas iam primis ab condito homine temporibus vsurpatae nouimus. Quis enim sibi persuadeat, tot annorum myriades inde ab orbis initio ad Moysen vsque, aut Abraham, aut Noe, tam adcurata serie peruenire potuisse, quin eae diligenti Patriarcharum manu inde ab exordio adnotatae fuerint? Sane quidem, nisi omnia quaeque ex machina trahere velimus, prima iam generis humani aetate literas in vsu fuisse fatendum est. Sed quae illae? Quae lingua, inquam. Literae enim, quibus Hebraea vtitur natio, solae suis denominationibus, ab astrorum similitudine desumptis, respondent, solae figuram, solae integritatem retinent. Apud ceteras gentes confusio linguarum diuersitatem peperit. His scribarum accessit licentia, vt quisque pro lubitu et ingenio suo, literis sursum, deorsum, ad latera productis, inflexis, aliam daret figuram; denominatione, quod mirere, pene cum Hebraeis retenta; vt vel inde originem literarum videas. Floruisse apud Aegyptios longe ante Moylis aetatem scientias, Geometriam in primis Astronomiamque, e sacro codice doceri possumus; at iam iisdem pene temporibus Sinae easdem tractabant artes, vt eorum annales docent, et Babylonii septingentorum et viginti annorum obseruationes siderum

a) Ap. Bayer de vet. inscrip. prussica. p. 376 ed. cit.

b) Lib. V H. N. C. XIII fin.

c) Lib. VII Cap. 57.

d) Ap. Ioan. Molnár, Jeles Épül. Lib. V Cap. 5.

derum coctilibus laterculis inscriptas, Epigenis aeuo, quem granem in primis auctorem nuncupat Plinius, habuere. a) Vt adeo non minus ceteri literarum inuentores dici possint, quam Aegyptii, si a flore petamus originem. Et erat non vna gens, vt postea videbimus, quae etsi a scientiis et artibus clarum nomen haud accepit, literis tamen in scribendo utebatur. Quin, vt quod sentio dicam, non existimo cuiuspiam nominis existisse gentem, quae, in sacris saltem, caractere aliquo vsa non fuerit; quod ex iis etiam, quae dicturi sumus, arbitrari licebit. Sed et cura eorum, qui familiis e campo Senaar deductis praeerant, exigebat, vti rem praecipuam secum deferre non neglexerint. Itaque cum *litteras*, suadente Plinio, *semper Assyrias fuisse, aeternumque literarum usum*, arbitror, dispicere ea, quae de illarum in Europam migratione dicuntur, libet.

II. Cadmus Phoenix, si Herodoto scriptori vetustissimo fides, literas in Graeciam primus e Phoenice adtulit, easque Graecis, antea rudibus, tradidit. Audiamus loquentem: Οἱ δὲ Φοίνικες, inquit, ἔτοι οἱ σὺν Κάδμῳ ἀπικόμενοι, τῶν ἔσαν οἱ Γεφυραῖοι, ἀλλὰ τε πολλὰ, εἰκίσαντες ταύτην τὴν χώραν, ἐσήγαγον διδασκάλια ἐς τὰς Ἑλλήνας, καὶ δὴ καὶ γράμματα, ἐκ ἰούλου πρὶν Ἑλλήσι, ὡς ἔμοι δοκεῖν. πρῶτα μὲν, τοῖσι καὶ ἅπαντες χρέωνται Φοίνικες. μετὰ δὲ χρόνῳ προβαίνοντος, ἅμα τῇ φωνῇ μετεβαλον καὶ τὸν ῥυθμὸν τῶν γραμμάτων. *Phoenices isti, qui cum Cadmo aduenerunt, quorum Gephyraei fuere, dum hanc regionem incolunt, cum alias multas doctrinas in Graeciam induxere, tum vero literas, quae apud Graecos, vt mihi videtur, antea non fuerant. Et primas quidem illas, quibus omnes etiam Phoenices vtuntur: sed progressu temporis vna cum sono mutauerunt et modulum literarum.* Subditque continuo: *Et cum ea tempestate in plerisque circa locis eorum adcolae ex Graecis essent Iones, qui cum literas a Phoenicibus discendo accepissent, earum illi pauca commutantes, in vsu habuerunt: et vtentes confessi sunt, vt a quitas ferebat, vocari Phoenicias, quod essent a Phoenicibus in Graeciam illatae.* b) Sex decim numero literas a Cadmo latas, Plinius docet, c) quae, vt postea ex Aristotele recenset, hac fuerint figura: ΑΒΓΔΕΙΚΛΜΝΟ ΠΡΣΤΥ. His Palamedem Troiano bello quatuor adiecisse, ΘΞΦΧ. Totidem post eum Simonidem Melicum, ΖΗΨΩ. Aristotelem ait Χ et VIII priscas statuisse, enumeratque ordine supra dato, addit Ζ et Φ; quibus duas ΘΧ addiderit Epicharmus, vt essent, Aristotelis opinione, viginti. Quidquid sit de literarum Graecarum numero, si figuram spectas vsuque, non facile Phoenicias dixeris. Quotquot enim haecenus alphabeta phoenicia prodiere, si Beth, Lamed, Mem, Resch, demas, nihil Graecis cum Phoenicibus commune reperies. Accedit apud hos no-

minatio

a) Lib. VII H. N. Cap. 7.

b) Lib. V Terpsichore.

c) Lib. VII H. N. Cap. 57.

minatio literarum hebraica, et vsus a dextra ad laeuam, contra quam Graeci faciunt. Sed neque e tot monumentis vetustissimis, quot e Graecia haecenus prodire, Samaritanae literaturae (hanc enim Phoenicum esse dicunt) a) vllum vel fidiculis vestigium elicueris. Quorsum ergo fides Herodoti? Aio, sic eam nobis tutam fore, si Cadmum, hominem Aegypto ortum, ibique literis instructum, e Phoenice, non peregrinae patriae, sed suae, literaturam ad Graecos tulisse; quod iam pluribus placuisse obseruo: b) adeo enim et literae, et adpellatio, et vsus earum Graecis Aegyptiisque communis est, vt nullum pene discrimen intercedere videas. Nisi Aegyptum e Graecia literas tulisse dicamus; quod tamen rerum acta refellere videntur: cum Graecos diligenter Aegyptum frequentasse, indeque Astronomiam, Geometriae leges, Philosophiam, ceterasque id genus artes ac scientias in patriam retulisse nouerimus. Quidni et literas inde sint mutuati? Certe et hodie in nostra videmus Europa, eos, qui a Graecis profecere, eorum quoque vti caractere, et qui a Romanis, Romano scribendi modo. Quod tamen sic a me dictum intelligatis, velim, vti censeam, Cadmum artes e Phoenice, aut ex Aegypto potius, in Graeciam inuexisse, ibique literaturam excoluisse, Graecisque ostendisse prouinciam, Aegyptum scilicet, in qua haec vberius condiscere possent; non autem sic primum adtulisse literas, vt iis Graeci antea omnino caruerint. Neque enim id adseuerat Herodotus, quem primum hoc in genere testem habemus, sed tantum *sibi id videri* ait; et tempus ante Ilii excidium, quo acta Cadmi pertinent, inter fabulosa referri nouimus. Quamquam igitur cum Tacito censeam, Aegyptios de scientiis bene gloriari, quatenus has ab iis Graeci acceperere postea; inuectores tamen literarum, vt qui eas e Babylone secum tulerint, non magis quam Graecos dixerim. Primis autem ab ea linguae primitiuae confusione temporibus literarum figuram apud plerasque gentes conuenisse puto, quae dein sub manu scribarum, pro ingenii conditione, mutata fuerit. Contende vetustissimos Aegyptiorum ex obeliscis pyramidibusque caracteres cum hebraicis, dextrorsum versis, et me quidpiam, quod probari valeat, dixisse fatebere. c) Sed propius ad rem.

III. Primi in Europa, quantum priscis docemur monumentis, literas excoluere Graeci, in primis postquam Aegyptum frequentare coeperant. Literae eorum vetustissimae, quas e numis, marmoribus, tabulis, viri docti collegere, nosque in specimine Philologiae dedimus, viginti numerantur: ΑΒΓΔΕΖΖΘΙΚΑΜΝΟ ΠϕΡΣΤΧ. quarum et figura vetus et valor in tabella comparent. d) Pro Ζ scribebant ΧΣ, pro Υ autem Ι, Π Η pro ϕ, Κ Η pro Χ, Π Σ pro Ψ, et Ο Ο pro Ω.

Qui

a) Montfauc. Palaeogr. Graec. Lib. II Cap. I.

b) Kirker ap. Molnar l. c.

c) Vid. etiam Io. Molnar. l. c.

d) Vid. Spec. Philol. p. 81

Qui characteres postea ceteris additi fuerunt. Et hae sunt maiusculae, ut dicimus, literae. Minores vero, quas et cursivas adpellamus, e prioribus natae, paucis inflexionibus pro scripturae celerioris commoditate additis; quas itidem in tabella videre licet. Monumenta vetustiora, quales numi, marmora, tabulae, solas exhibent maiusculas; eo tamen modo saepe formatas, ut inde minorem, seu cursivum, formare characterem nihil pene artis esse videatur. Tametsi porro in libris quoque, manu exaratis, antiquioribus praesertim, maiusculas sit conspiceri, uti de latinis etiam dicemus; tamen id nihil obstare videtur, quo minus veteres in tachigraphia cursivis usus fuisse dicamus: quod viciales, et maiusculae, multum exigent temporis, et characteris cursivi non unum exstaret vestigium: passim enim tam in numis, quam in marmoribus vetustis, occurrunt maiusculis mixtae, ita prope, uti nos eas hodie ducere solemus, formatae. Atque haec de literarum Graecarum figura. Quod porro ad orthographiam spectat, si e lapidibus, numisque coniecturam capere licet, vix quampiam eius rationem habitam videas, maxime in syllabarum nexu, ac disiunctione vocum, sine versuum in primis. Sed et notis discriminum, quas interpunctiones dicimus, in numis quidem perquam raro, in marmoribus saepe, iisque punctis dumtaxat, uti fuere, post quamlibet pene vocem. a) Accentus, apostrophos, spiritus, omnis Graecorum vetustas ignoravit; ut quae nuper Grammaticorum *καίτες* repererint. Modus scribendi a laeva ad dextram, Asiaticis contrarius; quo quando primum uti coeperint, divinare quis ausit? Si non ab adventu classis phoeniciae, forte primis iam a dispersione babelica temporibus: certe omnis Europa Graeco dumtaxat more scribere novit, quem novum esse nemo sibi facile persuaserit. De instrumentis ad scribendum necessariis, quantum satis est, prae ceteris Bernardus Montfaucon egit. In imagine divi Lucae, quam adfert, conspiceri est in mensa vasculum pro atramento, et cultellum, in manu calamum, sub manu biblon, seu involucrum. Quae puto uti simplicissima sic et vetustissima esse scriptionis instrumenta. Ac de biblis quidem, seu membrana, haec phrasi supra citatae iungit Herodotus: *καὶ τὰς βιβλοὺς διφθέρας καλέουσι ἀπὸ τοῦ παλαιῆ Ἰωνες, ὅτι κοτὶ ἐν σπάνει βιβλων ἐχρήσωντο διφθέρας, ἀιγέσι τε καὶ οἰέσι. ἔτι δὲ καὶ τὸ κατ' ἐμὲ πολλοὶ τῶν βαρβάρων ἐς τοιαύτας διφθέρας γράφουσι.* *Priscaque consuetudine biblos Iones adpellant pelles, quod aliquando penuria biblorum Aegypti et Syriae, pellibus caprinis ouillisque utebantur: adhuc quoque ad meam usque memoriam multi barbarorum talibus in pellibus scribunt.* Ex quo historici antiquissimi loco videas, chartam, uti vocant, Niliacam iam ante eius tempora in usu fuisse; in pellibus autem ipsos barbaros, quidni aetate vetustissima? scripsisse. Ut inanem eorum contentionem censeas, qui

omne

a) Sic in Atheniensi marmore, quod 450 circiter ante Christum annis positum est, postquamvis vocem tria comparent puncta. Alias unum videas.

omne genus chartae ab hesterno repetere volunt: aut qui *barbaris* (ita eos Graeci nuncupabant, qui graece non loquerentur) omnes literas esse negandas putant. Sed hoc postea viderimus; nunc de literatura Graecorum prima, quae ceteris quoque in Europa vsui fuisse videatur, pauca delibare liceat.

IV. Omnium scientiarum, quas quidem nouerimus, vetustissimam censent eruditi Poesim. Hanc ipsa natura ex imitatione Musicae, quam prima hominum aetate repertam e sacro codice accepimus, peperisse videntur. Et primum quidem non quantitatis, sed numeri dumtaxat ratio habita fuerit, vti sono vocis ad harmoniam musicae adplicato, concentum quempiam ederent, in deorum laudem vel hominum. Hi aeuo posteriore *Rhythmici*, illi vero *Hymni*, audiere. Qualium non modo plura apud antiquos videmus exempla; sed et hodie in ipsa plebe, Illyrica in primis, intuemur, quae suos heroas modulo vocis, adhibita saepe musica, decantare nouit. Cum porro viri docti, qualibus nulla caruit aetas, obseruarent, ex temere congestis vocibus, non obseruato syllabarum numero et quantitate, vt inter pocula fieri solet, cantus harmoniam non minimum turbari, fixere leges, vt, vbi musicae vocisque sonum produci oporteret, ponerent longam vocabuli syllabam; breuem vero, vbi citato esset opus. Et quia ad Lyræ plerumque, suauius quippe musicae genus, canere consueuerant, Lyrica Poësis inde accepit originem. Quam cum singulari elegantia excoluerint Graeci, merito, in Europa quidem, inuentores eius dici poterunt. Incrementa deinde accepit haec ars, *Heroico* accedente versu; cuius etli vestigia apud Hebraeos comperiuntur, Graeci tamen ob eius culturam sibi non minimam vendicant laudem. Initio quidem ad heroum facta celebrandum adhibebatur; postmodum ad varia transiit argumenta. Antiquum carminis genus vel inde censeas, quod iam aetate Homeri, qui mille fere annis natalem Saluatoris antecessit, cum arte Poetica in maximo flore fuisse videtur. Imitatores Graecorum, quod artem spectat, numerumque, et quantitatem carminis, praeter Romanos non comperio, ante, quod agimus, aeuum. Et adeo quidem illos hi religiose imitati sunt, vti non modo sententiam, sed et verba saepe retinerent. Hoc et in aliis fecere artibus, quas ab Graecis vniuersas acceperant, et cum imperio deinde ad Istrum propagarant. Sic tamen id a me dictum intelligas velim, vti censeam, literatos Istri adcolas fuisse, ante quam Romani penetrarent isthuc. Reliquae apud Graecos artes ac scientiae florem accepere postea; quas cum idiomate Istri adcolarum patrio tractatas non comperiam, et quaedam de his, vbi singillatim populos ad Istrum enumerabimus, verba recurrent, vberiore nunc dissertationem, tamquam ad argumentum praefens minus pertinentem, mittimus, nosque ad Thracas, Istri adcolas vetustissimos, conuertimus, visuri, quaenam apud eos Literatura fuerit.

V. Si Androtionem apud Aelianum audimus, neminem Thracum veterum Literas nouisse putabimus. Scribit enim: *Ex veteribus Thracibus neminem aiunt literas nouisse: imo turpissimum putarunt, et summum dedecus inhabitantes Europam*

pam barbari literis vti. Asiatici vero, vt fama est, magis sunt eis vsi. Vnde adfirmare etiam audent, ne Orpheum quidem sapientem fuisse, quod ex Thracia sit oriundus, sed eius carmina vanis mendacijs esse referta. a) Verum vt de fide scriptoris, haec ex fama vulgi in vniuersum dicentis, merito dubitat, subiungens: *Haec Androtion memoriae prodidit, si cui dignus videtur, cui fidem adhibendam putet, de Thracum in literis et disciplinis imperitia;* sic diuersa ex Herodoto, Strabone, Pausania, Fastis Siculis, numis, marmoribus, aliisque id genus priscis monumentis colligere licet. Quamuis enim Herodotus, gentes Ponti adcolas, quibuscum Dario res erat, *omnium imperitissimas* dicit; tamen *Scythas*, quorum vocabulo Geras quoque ab eo comprehensos, qui a Romanis *Daci* postea sunt nuncupati, supra vidimus, excipit. Et quae de Zamolxi, Getarum legislatore narrat, deque immortalitate animae, suadere videntur, vti credamus, Thracas, saltem penes quos cura religionis erat, literarum imperitos non fuisse; in primis, quod iam ante Zamolxin, b) quoniam *subinscite* vixisse dicuntur, literas habuisse videantur. Et cui ἐν τῇ τέττων (Θρηάκων) χώρῃ ἐπιβάσαι αἱ εἴηλαι, in eorum (Thracum) terra tituli, ab Sesoistre, positi erant, nili Thracibus legendi? c) Neque Darius cippos ad Bosphorum, et fontes Teari amnis, literis notatos, erexit alteri quam Thracibus. Atque huius posterioris epigraphen, quia singularis est, heic adponere libet. *Τεάρου ποταμοῦ κεφαλαὶ ὕδωρ ἄριστόν τε καὶ κάλλιστον παρέχονται πάντων ποταμῶν καὶ ἐπ' αὐτὰς ἀπέκετο, ἐλαύνων ἐπὶ Σκύθας στρατὸν ἄνθρωπος ἄριστός τε καὶ κάλλιστος πάντων ἀνθρώπων Δαρειὸς ὁ Ὑΐάσπερος, Περσέων τε καὶ πάσης τῆς ἡπειροῦ βασιλεύς.* Teari amnis capita optimam aquam atque pulcherrimam cunctorum amnium continent, et ad ea peruenit exercitum ducens aduersus Scythas, vir optimus atque pulcherrimus cunctorum hominum, Darius Hyfaspis filius, Persarum cunctaeque continentis rex. d) Strabo quoque, cum Orpheo, Musaeo, Thamyræ, veterem tribuit Musicam, quam postea Graeci acceperunt, ostendit Thracas olim iam nouisse literas: siquidem et Orpheus aetate sua, e) vt Pausanias habet, f) praestantissimus erat Poeta; et Thracas, eodem teste, olim Macedonibus dexteriores, nec aequae rerum diuinarum negligentes. Mores denique, quos Herodotus clare describit, laudes, quas Strabo a musica, ab religione

K k 2

- a) Histor. Lib. VIII Cap. VI, edit. Argentor. 1685.
- b) Pythagorae discipulum facit Herod. Μελοπομένη p. 252 edit. Lugdun. 1715. Pythagoras obiisse dicitur Olymp. 77. atque adeo circiter an. V. C. 280. ant. Chr. 470.
- c) Sesoistris regnare coepit, iuxta Petav. Rat. temp. Tom. II p. 367 edit. Venet. 1758. anno Per. Jul. 3721, i. e. ante V. C. 241. ant. Chr. 991.
- d) Lib. IV Hist. p. 251 edit. cit.
- e) Geogr. L. X p. 471. Vixisse Orpheum ferunt 40 an. ante bellum Troianum. Vid. Gottsched. Handlex. v. Orpheus.
- f) In Boeoticis, nott. ad cit. loc. Aelianii.

gione, recenset, numi regum ac principum, quos nobis non inuidit antiquitas, Thracibus illiteratos non patiuntur. Sed id mihi hoc loco quis opposuerit: Literas Thracibus notas fuisse, verum Graecas; ut ipsi quoque Graeci videantur. Aio, satis id quidem heic nobis futurum, si notitia literarum Thracibus detur, quaecumque demum illa. Ceterum, Graeco non modo caractere, verum etiam sermone in scribendo uti poterant Thracibus, quin idcirco aut linguam suam dediscere coacti sint, aut nullam nisi Graecam nouisse dicantur. Quis enim ignorat (ut vno pro multis utar exemplo) Romanos ab Graecis non artes modo ac scientias, sed magnam etiam vocabulorum copiam cum disciplina mutuatos, et sero admodum sua literas, philosophiam in primis et mathesim, lingua docere orfos? Neminem tamen futurum puto, qui Latinos idcirco Graeca dumtaxat loquendi ratione vsos adferere audeat. Et quot populi diuersissimae linguae hodie quoque comparent, qui Latino sermone tam in sacris quam et profanis rerum negotiis utantur, idiomatis materni neutiquam obliti? Non aliud Thracibus acciderit. Vicini erant Graecorum ab vltima inde hominum memoria, qui cum frequentes isthuc e patria colonias duxissent, adlatis secum artium diuersarum praeceptis, ex quo nimirum eae in Graecia efflorere coeperant, non erat difficile Thracibus, alioquin iam ante musica emollitis, suam suadere literaturam, ut ea in publicis rerum actis vterentur. Quamquam igitur putem, veteres Thracum literas, quae a vetustissimis Graecorum figura non longe abfuerint, post adductas etiam Graium colonias, in rebus priuatis apud plebem, et apud sacerdotes in religionis negotio, perstitisse; emendatas tamen successu temporis, auctasque, ad Graecorum imitationem, additis postea pro linguae natura quibusdam, ad aetatem vsque nostram peruenisse: vsu demum earum non in priuatis modo, sed in publicis etiam tam sacris quam politicis rebus apud plures recepto.

VI. Antequam porro literaturam Thracum posteriorem persequar, quaedam adhuc de veteri eorum scriptura meminisse iuuat. Apud Pannonios, quos Thracum cognatos diximus, illustria patriae uti linguae, ita scripturae, vestigia exstant, in monumento duplici, quae quidem haecenus eruta sint, altera tabula aurea, in thesauro Vindobonensi seruata, altero sepulchrali marmore, in vrbe Sirmii rudibus a Marfilio reperto; quorum vtrumque *libro de Lingua Pannoniorum veterum* exposui. a) His itaque monumentis expressos videas caracteres, Graecorum vetustissimis similes, uti hos in tabula conferenti manifestum est. Quasdam pro linguae natura, et vsu iam olim recepto, literas heic singulares videas. Athanasius Kircher, ut in Dissertatione memorata diximus, ait, hoc vetus Pannonicum scribendi genus *partim e Graecis partim Latinis coaluisse literis*, quod *per Romanum imperium vsitatum fuerit ante et post Caesarem vsque ad Gothorum aduentum*. Sed cum sententiam epigraphes de nescio cuius *Dominatoris Caucafi*

vxore

a) Specim. Philol. L. II, seq.

uxore interpretatur, lingua profus ignota, dubios de vniuersa re nos ille quidem relinquit. Propius ad rem Lambecius, qui cum existimaret, se in monumento Vindobonenli idioma Slauum degustasse, literas quoque cum Cyrillicis quamdam habere analogiam arbitratus est. Quidquid sit de postremo hoc, in quo quidem, si omne Illyriorum scribendi genus consideramus, non admodum fallitur Lambecius, certum esse puto, vetustissimam hanc esse Pannoniorum scripturam, qua vsi fuerint adcolae Danubii a primis inde Rerumpubl. temporibus, ad occasum vsque Imperii Romani. Postea vero Graecis circa haec loca ab Sauro ad ostia Danubii praevalentibus, paucas ab iis accepere literas, veteribus plerisque retentis; ceteri cum ritu Latino adoptauere Latinas, quibusdam etiam e vetustate vitro seruatis. *a)* Et hoc quidem postea quoque videbimus, nunc persequamur antiquitatem: hac siquidem ignorata, frustra quis in recentiorem inuestigarit literaturam. Vetustissimum dicebam Pannoniorum characterem illum, longe ante Romanorum aduentum isthic vsitatum, ex eo in primis, quod cum vetustissimis Graecorum, Ionicis maxime, literis conuenit, et quaedam elemerca profus singularia, quibus neque Graeci neque Latini, florente eorum Republ. vsi fuerint, exhibet. *b)* Qui character, quoniam duplici monumento, locis Pannoniae non minimum distitis reperto, comparet, et pro climatis ratione dialectum linguae adcurate distinguit, *c)* arbitrari queas, eum non apud Pannonios modo, sed apud Illyrios etiam, Thracas, Dacosque, cognatam gentem, in vsu fuisse; neque ante, in rebus praesertim sacris, exoleuisse, quam ab Graecis partim Latinisque christiana religio adferretur. Et quod Thracas quidem concernit, ante alios ii se Graecorum consuetudini adsuefecisse videntur, vt in negotiis rerum publicis, numisque eorum non caractere modo, sed etiam lingua vterentur; maxime circiter Alexandri Macedonis aeuum, cum artes bonae, in primis numaria, flore in praecipuo essent, coloniisque Graecorum et iure Thracia frequentari coepisset. Romani postea ius quidem in Thracas protulere suum, sed cum literatura, quam et ipsi vniuersam ab Graecis mutuati sunt, nihil adtulere noui; plebem Graecis moribus imbutam prisca vt consuetudine permittentes: quod et apud Dacos factum. Neque enim vllum apud hos monumentum patria lingua et latino caractere signatum comperias. *d)* Sed iam literatos Thracas videamus.

VII.

a) Quales sunt ξ pro *cs*; *sc*, pro *sh*. cet.

b) Vti δ , ϵ , β , ζ pro *r*, β , α pro *p*, ξ , cet. In alio β , ω , Δ , cet.

c) Sententia Vindobonenlis est: *Pasal ov jest najavje janturre, dasu s' vame nev a vrata traska, a Krajnci Panjari. Zvam pjajar, cov, a slava vecsna. Sirmienis vero: Ujivice, shta nosishmi jednoga otroka lita csetvertog?*

d) Inscriptiones Latina lingua per haec loca notatae huc non pertinent.

VII. A Poesi celebres video antiquissimis iam temporibus Thracas. Strabonem de hoc in primis luculente scribentem audiamus. Οἱ τ' ἐπιμεληθέντες τῆς ἀρχαίας μουσικῆς, Θρακιεὶς λέγονται, Οὐφέως τε, καὶ Μουσαῖος, καὶ Θάμυρις. Qui antiquam procurauerunt Musicam, Thracas perhibentur, Orpheus, Musaeus, Thamyris. a) Orpheus, quem quadraginta ante bellum Troianum annis vixisse ferunt, b) Alia, Aegyptoque scientiarum, Philosophiae in primis, Astronomiae, ac Poeticae gratia peragratis, in Thraciam reuersus, gentem suam ad meliorem viuendi rationem pertrahere conatus est. Quod ipsi adeo feliciter successit, vt sacerdotio apud Cicones (a quibus originem sumferit) et principatu donaretur, ab obitu inter diuos relatus. Vix credibile putes, adeo insignem doctrina virum, nullam literaturae in patria promouendae curam sumfisse, in primis quod Graeci quoque, eum audiendi caussa, Thraciam frequentarunt, qualem aiunt Musaeum Atheniensem, Eumolpi filium, praeclari magistri gnauum discipulum, fuisse, quem Strabo, vti paulo ante vidimus, inter mulicos Thracum recenset. Nomen Orphei apud Poetas omni aetate celebre fuit adeo, vt vix sit reperire vatem, in primis Latinum, qui eius non meminerit. Virgilius vim cantus, quo Eurydicen ab inferis reuocarit, eleganter sane et copiose describit. c) Paucis Horatius: d)

*Siluestres homines focer interpretsque deorum
Caedibus, et victu foedo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigres rabidosque leones.*

Quamquam is quidem tigres lenire et rabidos leones, vti apud Ouidium e) Arion, dici potuit, non tam ob gentis feritatem, quam musicae cantusue praestantiam; cum Orphei aetate iustitiam coluisse Thracas e Poetarum vetustissimo Homero sciamus, f) quem Strabo eleganter eo loco interpretatus est. g) Carmina,

a) L. X p. 471.

b) Vid. Gottsched. Handlex. v. Orpheus. Conf. sup. n. V.

c) Georg. Lib. IV a v. 454.

d) Art. Poet. v. 361.

e) Faastor. Lib. II a v. 83.

f) δικαιοσύνην ἀνδράπων vocabulo eos afficit, Iliad. Lib. XIII init.

g) Lib. VII Geogr. de Getis agens, in primis p. 301, vbi adducto Aeschylly versu: *Gens iusta, et equis pascendis dediti Scythae;* ita scribit: „Quae sane opinio etiamnum apud Graecos haeret; existimamus enim eos esse simplicissimos, minimeque fraudulentos, tum nobis multo frugaliores, atque paucioribus longe rebus contentos: tametsi nostrae aetatis viuendi ratio fere in omnes gentes propagauit mutationem morum in deterius, introductis luxu, voluptatibus, malis artibus, et mille alium defraudandi studiis.“

na, quae Orphei Musaeique nomine feruntur, a) aetate illorum esse longe posteriora, viri hac in re periti iam dudum obseruarunt. Neque mihi tam facile persuaserim, Orpheum graeco dumtaxat ore cecinisse, cum Thracibus Thracio cantare debuerit. Thamyris porro, quem Naso Thamyran vocat, b) Poeta Thracius, arte et elegantia musicae adeo excellens, vt certare cum Musis ausus esse dicatur. Eius iam Homerus in rebus Iliacis meminit, vbi Graecorum naues, ciuitatesque, e quibus profectae sint, enumerans ait: c)

- - - Δώριον. ἔνθα τε Μοῦσαι
 Ἀντόμεναι Θάμυριν τὸν Θρήικα πᾶσαν ἀοιδῆς,
 Οἰχαλίην ἰόντα, παρ' Εὐρύτου Οἰχαλιῆος·
 Στεῦτο γὰρ εὐχόμενος νικησέμεν, ἔπερ ἂν αὐταὶ
 Μοῦσαι ἀείδοιεν, κοῦραι Διὸς ἀγιόχοιο·
 Αἰ δὲ χολωσάμεναι πηρὸν ἴεσαν· αὐτὰρ ἀοιδὴν
 Θεσπεσίην ἀφέλοντο, καὶ ἐκλέλαθον κίθαρϊσύν.

- - - Dorion: vbi etiam Musae
 Occurrentes Thamyrim Threicium spoliarunt cantu,
 Ex Oechalia venientem, ab Euryto Oechalienti:
 Adferebat enim gloriabundus, se relaturum victoriam, si vel ipsae
 Musae canerent, filiae Iouis Aegiochi:
 At illae iratae caecum fecerunt, sed et cantum
 Diuinum ademerunt, et obliuisci fecerunt artem pulsandi citharam.

Hunc Poetae de Thamyri locum et Strabo memorat, vbi de Dorio sermonem instituit. d) Atque hi sunt Thraciae Poeseos triumviri, qui omnem Ilii memoriam praeuenere. Quamquam, si Strabonem audias, e) vti non postremos Thracum cantores existimaueris hos, ita neque omnium primos. Ab cultura modo artis huius nomen eorum inclaruerit, fama priorum obscuriore facta. Omnem quippe musicae antiquitatem Strabo Thracibus tribuit, quin imo sedes quoque Musarum
 ab

a) Vtriusque opera enumerat Cl. Gottsched. opere cit.
 b) Amor III, 7, 62. Art. amat. III, 399. In Ibin, v. 274.
 c) Iliad. B. v. 549.
 d) Lib. VIII Geogr. p. 350. Conf. p. 339.
 e) Geogr. Lib. X p. 471.

ab Thracibus dedicatas perhibet, his admodum verbis: „ A cantilena autem, numeris, instrumentisque, etiam musica omnis Thracia et Asiatica censetur. Atque hoc de locis intelligi potest, vbi Musae cultae fuerunt. Nam Pieria, Olympus, Pimpla, Libethrum antiquitus Thracia fuere loca et montes: nunc Macedones obtinent: et Heliconem Musis consecrauerunt Thraeces, τὸν τε Ἑλικῶνα καθιέρωσαν ταῖς Μούσαις Θράκες οἱ τὴν Βοιωτίαν ἐποικήσαντες, Boeotiae inquilini, et antrum Libethridum Nympharum.“ Vt adeo Musae quoque a Thracibus originem sumfisse videantur, dictae a *viris*, a) quorum acta heroica cantores voce musicae celebrare solebant, qualem Homerus Phemium, in Vlyssis domo prociis canentem inducit, *diuinam* eius *cantilenam*, *δέσπιν ἀοιδῆν*, adpellans, b) quemue Achiuorum e Troia reditum canentem his adfatur Penelope:

Φήμε, πολλὰ γὰρ ἄλλα βροτῶν θελητήρια οἶδας,
 "Ἐγὼ" ἀνδρῶν τε θεῶν τε, τὰ τε κλείουσι ἀοιδοί.

*Phemie, multa enim alia mortalium oblectamenta nouisti,
 Gesta hominumque deorumque, quae celebrant cantores.*

Huiusmodi cantores nullo vmquam tempore, apud Thracas in primis, esse desierunt. Hodie quoque non viros modo, sed et feminas, apud Illyrios, plebro vtentes, c) videas, regum, heroumque suorum gesta decantantes. d) Vt e nepotibus auos metiri valeas. Nolim tamen vulgus cum literatis, de quibus sermo est, commiseris, vt censeas, quemuis, qui plectrum tangere norit, esse cantorem, qualem nos exigimus, Poetam scilicet. Nostra enim plebecula, maxime quae sti-

pem

a) *Mux* enim, seu *mux*, *vir* est. Vnde *muxice xene*, viriles feminae. Hodie Vates nostri Musas adpellant *Vile*, singul. *Vila*.

b) Odyss. A. v. 329. et v. 336 *δέσπιν ἀοιδόν*, *diuinum cantorem*.

c) Sunt fides, testudo, vna chorda, ex pilis caudae equinae, vti plectrum, constantes, manubrio ad sesquipedem longo; quod illi genus musicae *guzle* dicunt. Alia est Lyra, qua ciuiliores vtuntur, e duabus, quatuor plerumque, aut sex, raro octo chordis chalibeis consistens, omni Thracio cantui aptissima, et soli genti propria, quam ii *Tumburam* dicunt.

d) Vidi etiam Morauos, gentem Sarmatarum, vtre, quod *Lyrripium* vulgo, nostri *Gajde*, vocant, omne cantionum genus (quae ratio apud Illyrios ex parte exoleuit) experimentes. Nostri in Hungaricis ditionibus Thracum nepotes, duplici vtre vtuntur: alio, quod *Gajde* nuncupant, praefixo cornu, vt Italis Morauiisque consuetum, quod ii ad saltum dumtaxat hodie adhibent. Alio *Dude* vocato, quod cornu caret, tonos vero elegantius et maiori cum suauitate exprimit. Plebs infima illo, hoc genere ciues gaudent. Fistula pastores se oblectant. Fides, timpana, aliunde venerunt.

pem corrogare solet, ea dumtaxat, quae a Poetis accepit, cantare nouit. Cantores itaque eos heic intelligimus, quales hodie quoque Illyrici prouinciae, in primis Dalmatia, habent, qualem Homeri *Pheuium* vidimus, aut qualem Virgilius *Iopam* (etsi is quidem cantore maior videatur) depingit, apud Tyriam Didonem Aeneae comitibus ludentem, dum inter pocula,

cithara crinitus Iopas, *inquit*, a)

Personat aurata, docuit quae maximus Atlas.

Heic canit errantem lunam, solisque labores;

Vnde hominum genus, et pecudes; vnde imber et ignes;

Arcturum, pluuiasque Hyadas, geminosque Triones;

Quid tantum Oceano properent se tingere soles

Hiberni, vel quae tardis mora noctibus obstet.

VIII. Et haecenus quidem de Thracum vatibus antiquissimis, quales postea quoque apud Thracas fuisse, ex eo in primis tempore, quo in Graecia effloruere artes, cum e Philosophis Thracibus arbitrari licet, tum e Poetis etiam. Ex iis quidem Zamolxin ac Democritum nominasse suffecerit; Vates persequemur postmodum. Zamolxis aetate Herodoti pro deo habebatur a Thracibus. Fuerit autem, vt is e Graecorum relatione accepit, Pythagorae seruus, tum ab eo libertate donatus, in patriam redierit, crebro Thracibus, conuiuio exceptis, de immortalitate animae concionatus, polliorem vitae rationem, ad Ionicum viuendi genus, suadens. Ex quo factum, vt fato functus inter diuos referretur, nunciis adhuc aetate Herodoti (si tamen heic illi fidem adhibeas) qui necessitatem gentis exhiberent, honoratus. Quamquam ipse scriptor dicat, se Zamolxin Pythagora multo vetustiore arbitrari; vt nomen dei cuiuspiam patrii esse videatur, quem nonnulli Thracum, viuente Herodoto, Γεβελειζιν *Gebeleizin* vocarint. b) Quidquid sit, oportebat Zamolxin olim insignem esse virum, vt qui a Thracibus inter diuos referri meruit. Strabo *Pythagoreum* adpellat, c) talemque fuisse dicit, qualis aetate sua *Decaeneus*, Δεκαίνιος, qui Byrebistae vaticinabatur, erat, sacerdos quippe, legumque lator et custos. Zamolxin excipiat Democritus, Abderae in Thracia natus, d) qui cum a magis, quos Xerxes apud patrem diuersatus reliquit, gustu

narum

a) Aeneid. L. I fin.

b) Herod. L. IV p. 252 ed. cit.

c) L. XIV, p. 762.

d) Circ. annum V. C. 294. Vid. Schul-lex. v. *Democritus*.

narum artium effret imbutus, Athenas concessit, vbi inter alios Leucippum et Athenagoram Philosophos audiuit, ignotus plerisque. Inde reuerfus in patriam, accepta 100 talentum hereditate, Aegyptum, Aethiopiam, et Indiam, peragrauit, consumpta omni pecunia, vt a fratre domi sustentari debuerit; et sepultura quoque patria caruisset, ni pro Geographia, quam composuerat, quae Strabo non minimum, in Asiaticis maxime, vsus est, a) 500 accepisset talenta: maiorem videlicet summam, quam ante ex ditissimi patris hereditate. Certe quidem hoc ille aurum a gente rerum imperita accepturus non erat. Sed Graece scripserit Geographiam Democritus. Quid tum? Et nos Latine scribimus: anne idcirco Latinos habituri parentes? Poterat is idiomate patrio scribere, sed graecum ei, longo vsu perceptum, vti nobis Latinum, accidit facilius. Ea vero lingua, quam in scholis non didiceris, neque scientias tractaris, quam sit quidpiam commentari arduum, quis ignorat? Geographia, mathesique vniuersa, Illyrii vsque hodie caremus; (si nostros conatus demas) neque tamen censeo futurum quemquam, qui adferat, nullum, qui de his tractare scientiis, Illyrium esse potuisse, cum ii Latina eas aut Graeca lingua tractarint. Huius dicti lectorem meminisse velim, maxime cum de diuo Hieronymo sermonem faciemus. Nunc persequamur Thracas.

IX. Aeuum Augusti, flore scientiarum in primis fecundum, Threicos quoque peperit vates, vt non sola gloriari Roma valeat. Sunt ii Phaedrus, Cotys, Ouidius. Phaedrum Thracia genuit, Roma expoliuit artibus, cum Octauiano seruiret, Adeo vero in Poetica profecit, linguaque Latina, vt ad fabulae artificium, sermonisque Romani leporem ac proprietatem, nihil omnino desiderare possis. Meritus profecto vel hoc nomine, qui primus inter eos, qui latine fabulas scripsere, censeatur. b) Candorem animi, singularemque in eo virtutis amorem, vel ex his eius cognoscas verbis: c)

Aesopi ingenio statuam posuere Attici,
Seruumque collocarunt aeterna in basi:
Patere honoris scirent vt cuncti viam,
Nec generi tribui sed virtuti gloriam.
Quoniam occuparat alter, ne primus forem,
Ne solus esset, studui; quod superfuit.
Nec haec inuidia, verum est aemulatio.

De

a) Lib. XI Geogr. p. 703.

b) Fabularum libros V habemus.

c) Epil. ad Lib. II Fabul.

De Cotye, huius nominis quinto, a) Rhoemetalcis Thraciae regis filio, b) sat luculentum habemus testem Ovidium, qui Cotyn a Poesi eximie laudat, in ea epistola, quam ad ipsum regem dedit, in qua, se vt amplecti vellet, rogat. Audiamus Vatem. Is vbi Cotyn ab Erichthonio et Eumolpo genus trahere dixisset, seque eius protectioni commendasset, hunc in modum canit: c)

Non tibi Cassandreuſ pater eſt, gentiſque Pheraeae;
 Quine repertorem torruit arte ſua:
 Sed quam Marte ferox, et vinci neſcius armis,
 Tam numquam facta pace cruoris amans,
 Adde, quod ingenuas didiciſſe fideliter artes,
 Emellit mores, nec finit eſſe feros.
 Nec regum quiſquam magis eſt inſtructus ab illis,
 Mitibus aut ſtudiis tempora plura dedit.
 Carmina teſtantur; quae, ſi tua nomina demas,
 Threiciuſ iuuenem compoſuiſſe negem.
 Neue ſub hoc tractu vates foret vniciſ Orpheuſ;
 Biſtonis ingenio terra ſuperba tuo eſt.
 Vtque tibi eſt animuſ, cum reſ ita poſtulat, arma
 Sumere, et hoſtili tinguere caede manuſ;
 Atque, vt eſ, excuſſo iaculuſ torquere lacerto,
 Collaque velociſ ſteſtere doctuſ equi;
 Tempora ſic data ſunt ſtudiis vbi iuſta paterniſ,
 Vtque ſuiſ humeriſ forte quieuit opuſ;
 Ne tua marceſcant per inerteſ otia ſomnoſ,
 Lucida Pieria tendiſ in aſtra via.

L I 2

Haec

a) Vid. Froelich. Notit. elem. Numism. Cap. X p. 203 edit. Vien. 1758.

b) Ab Auguſto partem Thraciae accepit, a Rhescuporide II, patruo ſuo, per fraudem ad epulaſ vocatuſ, vinctuſ, et abductuſ, cumque a Romanis repeteretur, occiſuſ eſt, an. Chr. 18. Vid. Froel. ibid. Plura in Geogr. Thrac.

c) Ex Pont. Lib. II epiſt. IX a v. 43.

Haec quoque res aliquid tecum mihi foederis adfert;
 Eiusdem sacri cultor vterque fumus.
 Ad vatem vates orantia brachia tendo,
 Terra fit exiliis vt tua fida meis.

Haec Naso de Poeta Thracio apud Thracas versatus. Latino ex his Cotyn scripsisse carmine censeas; sed et graecum ei non ignotum fuerit; quod ea aetate Latini plerique graecum discebant idioma, et Cotys inter Atticos a puero est versatus. Vtrum et Getico quidpiam ore cecinerit, ignotum: sublato iniuria temporum omni eius poemate.

His adensemus Vatem Sulmonensem, eo maxime, quod is non modo diutius apud Thracas moratus est, verum etiam sermonem Threicum Musis gratum effecit, dum Germanici triumphum Getico cecinit carmine; vti supra pluribus ostendimus. *a)* Non putem vero Nasonem absque vilo exemplo Geticam tetigisse Lyram, cum longe ante iam Thracia patrios aluerit Poetas; qui tamen cantum Threicum ad numeros coegerit, metrumque Geticum Latino scripserit caradere, priorem Nafone fuisse neminem censeas,

X. Quae ratio literarum patriae a Nafone apud Thracas fuerit, cum nos monumenta deficiant, arbitrari nequimus. Credibile tamen est, Getas, cum sibi Poetae versus magnopere placerent, *b)* non neglexisse et cantum, et literas etiam Latinas, saltem donec Romanum heic duraret imperium. Spiritus enim ille, quem audito Poetae carmine, conceperant Getae, et, vt ipse fatetur: *c)*

Haec vbi non patria perlegi scripta Camena,
 Venit et ad digitos vltima charta meos;
 Et caput, et plenas omnes mouere pharetras,
 Et longum Getico murmur in ore fuit.
 Atque aliquis, scribas haec cum de Caesare, dixit,
 Caesaris imperio restituendus eris.

Longum hoc murmur, et admiratio apud gentem, quae cantum et musicam iam olim adamarat, non illico esse desierint. Quin, viuente in primis Poeta, carmen

a) Cap. VII num. 1.

b) Pluribus id quidem locis, maxime epist. ad Carum et Taticanum, significat,

c) Ex Pont. Lib. IV epist. XIII.

men non modicum apud Getas incrementum acceperit, vt ex honore, quem deinceps vati tulere, colligas. Referam locum, etſi fuſiorem, quia ſingularis eſt, Getarumque humanitatem, artiumque et literatorum aeſtimationem, belle probat, omnemque a Thracibus barbariem, quam iis inconſulte adpingunt nonnulli, abſtergit. Epiſtola Tuticano ſcripta, in qua vbi quaedam de Getica terra ſibi iniuſa praeluſit, mentem ſuam de tot querelis in Getas iactis expoſiturus, ita fatur: a)

Gramina cultus ager, frigus minus odit hirundo;
 Proxima Marticolis quam loca Naſo Getis.
 Talia ſuccenſent propter mihi verba Tomitae,
 Iraque carminibus publica mota meis.
 Ergo ego ceſſabo numquam per carmina laedi,
 Pleſtar et incauto ſemper ab ingenio?
 Ergo ego, ne ſcribam, digitos incidere cunctor;
 Telaque adhuc demens, quae nocuere, ſequor?
 Ad veteres ſcopulos iterum deuertor, ad illas,
 In quibus offendit naufraga puppis, aquas.
 Sed nihil admifi: nulla eſt mea culpa, Tomitae;
 Quos ego, cum loca ſim veſtra perofus, amo.
 Quilibet excutiat noſtri monumenta laboris;
 Litera de vobis eſt mihi queſta nihil.
 Frigus, et incurſus omni de parte timendos,
 Et quod pulſetur murus ab hoſte, queror.
 In loca, non homines, veriſſima crimina dixi:
 Culpatis veſtrum vos quoque ſaepe ſolum.
 Eſſet perpetuo ſua quam vitabilis Aſcra,
 Auſa eſt agricolae Muſa docere ſenis.
 At fuerat terra genitus, qui ſcripſit, in illa:
 Intumuit vati nec tamen Aſcra ſuo.
 Quis patriam ſollerte magis dilexit Vluxe?
 Hoc tamen aſperitas indice nota loci eſt.

Noe

a) Ibid. epiſt. XIV.

Noc loca, sed mores dictis vexauit amaris
 Scepſius Aufonios, actaque Roma rea eſt.
 Falſa tamen paſſa eſt aequa conuicia mente,
 Obfuit auctori nec fera lingua ſuo.
 At malus interpres, populi mihi concitat iram,
 Inque nouum crimen carmina noſtra vocat.
 Tam felix vtinam, quam peſtore candidus eſſem!
 Exſtat adhuc nemo ſaucius ore meo.
 Adde, quod Illyrica ſi iam pice nigrior eſſem,
 Non mordenda mihi turba fidelis erat.
 Molliter a vobis mea fors excepta, Tomitae,
 Tam mites graios indicat eſſe viros.
 Gens mea Peligni, regioque domeſtica Sulmo,
 Non potuit noſtris lenior eſſe malis.
 Quem vix incolumi cuiquam ſaluoque daretis,
 Is datus a vobis eſt mihi nuper honor.
 Solus adhuc ego ſum veſtris immunis in oris;
 Exceptis, ſi qui munera legis habent.
 Tempora ſacrata mea ſunt velata corona,
 Publicus inuito quam fauor impoſuit.
 Quam grata eſt igitur Latonae Delia tellus,
 Erranti tutum quae dedit vna locum;
 Tam mihi cara Tomis: patria quae ſede fugatis
 Tempus ad hoc nobis hospita fida manet.
 Di modo feciſſent, placidae ſpem poſſet habere
 Pacis, et a gelido longius axe foret.

XI. Haec ea ſunt ſecuta tempora, quibus Romanum heic nomen propagari
 coepit, Thracia per Tiberium, aut C. Caligulam redacta in prouinciam. a) Ro-
 mani vti erant laudis bonarumque artium amantes, Literas heic ſuas promouere
non

a) Vid. Frölich. op. cit. Cap. X p. 204. Adcuratius haec in Geog. Thrac.

non neglexerint. Certe negotia publica ex inde non nisi Latino scripta fuerint sermone, lege Romana id exposcente; alia monumenta, in primis lapidum, numorumque, Graeco partim, partim Latino. Apud Sacerdotes vetus character cum patria lingua manserit, dum religio Christiana praeualere coepisset. Hac autem opera Graecorum in primis vulgata, patrius scribendi modus sensim in Graecum defierit, quamquam non omni ex parte, uti e reliquiis arbitrari licet. Latinum e Thracibus pauci arripuisse videntur, maxime cum res haec Romana in deterius ire coepit. Initio enim quarti seculi, cum diuus Nicetas Bessis, Mylisque, quos Areliaanus Dacos nuncupauit, genti quippe Thraciae, in sacris praeesset, tribus linguis decantasse diuinas laudes Monachi Romatianae a) dicuntur, *Graeca, Bessica, Armenica*, Latinae nulla mentione facta. b) Magis deinde literaturae graecae vsus apud Thracas Dacosue propagatus est firmatusue, vbi se Orientalis ecclesia ab Occidentali separare coepisset. Atque ex eo inde tempore ad nostram vsque aetatem Graeci ritus, ut dicere solemus, homines graecis vtuntur literis, non per Thraciam modo veterem, hodie Romaniam, sed per Bulgariam, Seruiam, Hungariam, Transiluaniam, Valachiam, Moldauiam, Dalmatiam, Epirum, Graeciaeque prouincias, ut Sarmatarum regna mittamus. Quae porro sit characterum apud hos diuersitas, vbi quaedam adhuc de consanguineis Thracum dixero, memorabo.

Dacos Getasque, quos laeuo Istri posuimus latere, eodem cum Pannoniis literarum genere olim vsos existimo, sero admodum, in primis quo vis Romana non penetrarat, graecum aliis, aliis latinum arripientibus. Quamquam neque id in vniuersum adseruerim. Nam, ut de Pannoniis scribit Paterculus, c) Romanis huc iura promouentibus, multi se ut linguae latinae, sic et literis breui aduenerint, ut iis in patrio quoque idiomate vterentur. Id ex epigrapha, sermone Slauo, latino autem caractere saxo insculpta, colligas, quam se Ieremias Ruffus, cum in societate legati Moscovitarum Viennam iret, in sedibus Marcomanorum (circa montem Carpaten) reperisse dicit. Eam Orbinus ita refert: d)

STYN.

a) *Remesiana*, hodie Palanka, ad XXV ab Nissa in exortum lapidem. Geog. Moes. C. IV § I, n. 21.

b) Pag. tom. II ad an. 396 pag. 9. ap. auct. Topogr. Hung. p. 299 edit. Vien. 1718. Locus inter opera Combesicii postuma refertur; Timon *Lambetii* dixit, Imag. Ant. Hung. Lib. I Cap. XVI. p. 76 edit. Vien. 1762.

c) Verba Paterculi sunt: *In omnibus autem Pannoniis non disciplinae tantummodo, sed linguae quoque notitia Romanae, plerisque etiam literarum vsus, et familiaris animorum erat exercitatio.* Hist. Rom. Lib. II Cap. CX.

d) Verba eius sunt, Regn. Slau. p. 104, edit. Pisaur. 1601. „Geremia Ruffo ne gli Annali di Moscouia -- inferisce alcune parole, le quale dice egli haver trovate scolpite in vna pietra nel paese de' Marcomani, quando egli andava in compagnia d' un ambasciadore del Principe di Moscouia all' Imperadore in Vienna.“

STYN. OVVY. VKLOPYEN. BYLIE. IESTI. MERA
SGODE. KRVKOVVYE. NASS MARKOMAN. I BRE
TE. SLAVNOV. LYTO V. BOYA. NASGA.: MARKO
MAN. PROYDE. NI SLAVNOV.: STYN.: POKOY.:
LYTH V VIKA.

Quae inscriptio si bene habet, nae illa singulare Dacorum, qui heic olim habebant, monumentum erit. Dialectus enim sententiae cum ad Thraciam accedat magis quam Sarmaticam loquendi rationem, ostendit Dacas, Thracum cognatos, circa Marum et Cusum olim habitasse, quod nos superioribus capitibus monstrare conati sumus. Deinde annus belli Marcomanici V, qui in epigrapha comparet, siue Christi 173, a) palam facit, *Slauum* nomen vetustius esse, quam vt ad V, aut VI, seculum retrudi debeat, vt plerique, qui de Slauicis rebus haecenus meminere, contendunt. b) Sententia Latina inscriptionis est: c)

*Saxum hoc insertum signum est pacis
Congressus Krakoviensis nostrum Marcomano-
rum et fratrum Slauinorum anno V belli no-
stri. Marcomanus praeteriit Slauinos. Saxo
quies perennis.*

Quamquam igitur, teste Paterculo, multi nostrum linguam sibi Latinorum redderent familiarem, eorumque literis in patrio quoque sermone vterentur, plures tamen maiorum secuti fuerint mores longo post tempore, ii praesertim, penes quos cura religionis erat. Superstitiones autem gentilium florente imperio Romano circa Istrum amplas fuisse, historiis docemur. Irruentibus autem barbarorum nationibus, plerisque gentilibus, ritus ethnicorum creuere, adeo quidem, vt *Paganos* seu ethnicos, adhuc aetate diui Ladislai circa haec loca sit reperire. d) Cum religione autem veteri, veteres quoque mores, instituta maiorum, vetusque literatura, seruata fuerint; his vna cum ea demum mutatis.

Et

a) Exposuimus haec vberius L. de Lingu. Pann. vet.

b) Conf. ea, quae diximus Cap. VII a nam. XIX.

c) Cetera vide, Specim. Philol. L. II, seq.

d) Vid. Cl. Salag. Eccl. Pann. Lib. IV Cap. III n. 15.

Et quae haecenus quidem de Thracibus, Dacisque, et Pannoniis dicta sunt, Illyriis etiam certa ratione applicari possunt. Qui Graecis propiores erant, eorum quoque mores adsumere prius ceteris. Inde numos Dyrrachenorum, Apolloniatum, Gentii, graeco caractere signatos videmus. Artes ac scientiae, in Graecia florentes, causa instituti huius erant, quas nostri, vti et Latini olim, patria lingua tractare non sciebant. Vbi vero Latini Illyrios in suam potestatem redegerunt, suos quoque scribas, notariosque, et suas induxere literas, idiomaque in publicis rerum negotiis. Quod ritus spectabat sacros, cum essent gentiles, vti et victores Romani, vsu eorum non sunt prohibiti. Adueniente postea luce Evangelii, maritimae ciuitates cum ritu Latino literas quoque adoptauere Latinas et linguam, etiam in sacris; trahente citra dubium religionis sanctitate, iure Pontificum Romanorum, et scientiarum apud Latinos flore. Sed cum veritas euangelica toto pene Romani imperii tempore multos pateretur obices, ipsa in id principum cura connitente, multi in auita superstitione, in mediterraneis praesertim, mansere, variis postea temporibus ad fidem orthodoxam a Graecis partim, partim a Latinis conuersi. a) Neque tamen, peregrino ritu adsumto, aut linguae suae, aut literaturae, obliti sunt, quo minus illa quidem integra, haec autem non nihil in graecum mutata, ad nos vsque perueniret. Quam, tempus iam exigit, vt lustremus.

XII. Literas, quibus hodie vtuntur gentes Slauicae in patrio idiomate, quidam *Hieronymianas*, alii *Glagoliticæ*, plerique *Cyrillicæ* adpellant. Illyrii *Bukvice*, libellum alphabeticum *Bukvár*, dicimus. Primi opinantur, ab D. Hieronymo repertas, atque sic nuncupatas, quod Timoni quoque non improbabile videbatur. b) Sed cum is caractere e graeco sumtus (quamquam non omni ex parte) videatur, et longe ante Hieronymi aetatem simili scriptura Istri adcolae vli fuerint, neque vspiam vir sanctus huius suae inuentionis adferat mentionem; hanc illi quidem tribui non posse arbitror. De libris sacris ab eo in Illyricam versis, quod nonnulli adserunt, postea videbimus. *Glagoliticæ* putes nuncupatas ab quarto alphabeti elemento *Glagol*; quemadmodum *Bukvice* a *Buki*, elemento secundo. Qui vero *Cyrillicæ* huiusmodi literas adpellant, repetunt sui dicti rationem ex historia. Aiunt D. Cyrillum, sancti Methodii, Slauium Apostoli, germanum, patria Thessalonicensem, antea *Constantinum*, eumque *Philosophum* dictum, hos reperisse caracteres, cum Slaucis gentibus praedicaret; sed tempus, locumque non assignant. Et illud quidem ex epistola Ioannis VIII, Pontificis Romani colligere licet, in qua is ad Methodium, postquam hic de vsu Slauicae in sacris linguae rationem

a) Vid: Cl. Salag. Eccl. Pann. Lib. II.

b) Hung. Ant. Lib. II Cap. XVI p. 141.

tionem reddidisset, ita scribit: a) *Literas denique Sclauonicas a Constantino quondam b) Philosopho repertas, quibus Deo laudes debite resonent, iure laudamus; et in eadem lingua Christi Domini nostri praeconia et opera ut enarrentur, iubemus.* Confirmat id anonymus scriptor de conuersione Boioariorum et Carantanorum, cum *Sclauicas literas, a Methodio vsurpatas, nouiter inuentas* nuncupat. c) Sed quando eae, et vbi, primum reperiae, neminem adposite respondentem audini. In Morauia quidem, vbi Cyrillus, tum adhuc Constantinus dictus, cum fratre Methodio quatuor annos ac dimidium commoratus est, non censeo: cum et linguae iam Slauicae, et literarum notitia instructus huc accessisse videatur, ut qui ante Chazaris d) praedicauerit. Censeo igitur, Cyrillum, cum ad Slauiicas gentes primum esset profectus, et in *Gersana e)* ciuitate, *Gazarorum terrae, ut biographus inquit, vicina, linguam illius gentis condisceret,* alphabetum pro linguae Russicae natura e graeco contexuisse, eoque apud Russos primum vulgato, vsuque postea firmato, instructum ad Morauos, Russorum cognatos, accessisse. Heic tamen *literis nouiter inuentis* diu esse non licuit, Latinis suum ritum, iam inde ab Apostolis vsu firmatum, suasque literas reuocantibus. Apud Russos magis fidum reperere domicilium; ut qui inde ab Cyrilli aetate ad nostra vsque tempora literas cum ritu graeco non ipsi conseruarint modo, verum etiam ad utramque Danubii ripam, Russica dialecto carentem, miro sane modo propagarint. Atque haec est causa, cur putem operae esse pretium, ut literas, proprie quidem Russicas, sed hodie nostris quoque vsitatas, heic in examen vocaremus; ut, quid Cyrillo, quid vetustati, quidue posteris tribuendum, arbitrari possimus. Characterum varietatem, denominationem, valoremque, eo ordine numeroque, quo ipsi Russi vtuntur hodie, e libello Petropoli impresso, f) adducam.

Series

a) An. 881. Vid. Salag. E. P. Lib. IV Cap. VII n. 12.

b) Malo cum Timone l. c. p. 146 sic legere, quam cum Salagio, quodam.

c) Num. XXI ap. Salag. L. IV fin.

d) *Gazaros* vocat biographus ad XI Martii, n. 1, 2, p. 152 ed. Tyrn. 1743, conf. not. b. ad p. 151. Slauiicum populum *Chazaros* esse oportebat.

e) *Chersona* alibi dicitur, *Chersonesi* caput. Ibid. not. a. p. 152.

f) An. 1745 при императорской Академіи Наукъ.

<i>Series</i> <i>Literar.</i>	<i>Municipatio.</i>	<i>Scriptura.</i>	<i>Expressio.</i>	<i>Varietas.</i>	<i>Valor.</i>
	I.	II.	III.	IV.	V.
1.	АЪЗ	Аѣѣ	Аз	А. а. а.	А.
2.	БЪКИ	Бѣѣки	Вуки	Б. б. б. е.	В.
3.	ВЪДИ	Вѣѣди	Вједи	В. п. п.	В.
4.	ГЛАГОЛЬ	Глаголь	Глаголь	Г. г. г.	Г.
5.	ДОБРО	Добро	Dobro	Д. д. д. г.	Д.
6.	ЕСТА	Еѣѣѣ	Јест	Е. е. е.	Је.
7.	ЖИВѢТЕ	Живѣте	Хивјете	Ж. ж. ж. ѵе.	Х.
8.	СѢЛО	Сѣло	Јјело	Ј. ј. ј.	-
9.	ЗЕМЛА	Земля	Zemlya	З. з. з.	З.
10.	ИЖЕ	Иѣѣѣ	Јѣе	И. и. и.	І.
11.	І	Ј	І	І. і. і.	Ј.
12.	КАКО	Кѣѣѣ	Како	К. к. к.	К.
13.	ЛЮДИ	Люди	Lyudi	Л. л. л.	Л.
14.	МЫСЛѢТЕ	Мыслѣте.	Misljete	М. м.	М.
15.	НАШЪ	Нашѣ	Nash	Н. н. н.	Н.
16.	ОНЪ	Онѣ	Он	О. о.	О.
17.	ПОКОЙ	Покой	Рокoj	П. л. л.	Р.
18.	РЦЫ	Рѣѣѣ	Реѣѣ	Р. р. р.	Р.
19.	СЛОВО	Слово	Slovo	С. с.	С.
20.	ТВЕРДО	Твердо	Tverdo	Т. т. т.	Т.
21.	ИКЪ	Иѣѣѣ	Јк, ѡк	У. ѡ. Уу.	У.
22.	ФЕРТЪ	Фертѣ	Fert	Ф. ф. ф.	Ф.
23.	ХЪРЪ	Хѣѣѣ	Хјер	Х. х.	Х.
24.	ОТЪ	Отѣ	От	О. т. б. ѡ.	ѡ.
25.	ЦЫ	Цѣѣѣ	Сѣѣ	Ц. ц. ц.	Сѣ.
26.	ЧЕРВЪ	Червѣ	Czerv	Ч. ч. ч.	Сѣ.
27.	ША	Шѣѣѣ	Ша	Ш. - ш.	Ш.
28.	ША	Шѣѣѣ	Шѣѣѣ	ш. ш. ш.	Шѣ.
29.	ЕРЪ	Еѣѣѣ	Јер	Ъ. б. б. б.	-
30.	ЕРЫ	Еѣѣѣ	Јери	Ы. - ѣ.	-
31.	ЕРЬ	Еѣѣѣ	Јер	Ь. - ѣ.	-
32.	ЯТЬ	Јѣѣѣѣ	Јат	Ѣ. - ѣ. ѣ.	Је.
33.	Е, Е	Е. је	Је	Ѥ. - ѣ.	Је.
34.	Ю	Јѣ, јѣѣ	Јѣѣ, јѣѣ.	Ю. - јѣ.	Јѣ.
35.	Ѧ	Ѧѣѣѣ	Ѧ	Ѧ.	Ѧ.
36.	ЈА А	Јѣѣѣѣ	Јѣѣ	Јѣ. ѣ.	Јѣ.
37.	КСИ	Кѣѣѣѣ	Кѣѣ	Ѣ. ѣ.	Кѣ.
38.	ПСИ	Пѣѣѣѣ	Лѣѣ	Ѥ.	Пѣ.
39.	ФИТА	Фѣѣѣѣ	Фѣѣѣ	Ѧ.	Тѣ.
40.	УЖИЦА	Уѣѣѣѣѣ	Уѣѣѣѣѣ	Ѥ. Ѥ.	Ѥ.

XIII. Graecas hic literas quisque recenferi videt, exceptis quinque Ж, И, Ч, Ш, Ъ, quas Cyrillus pro linguae natura ceteris addiderit. Vtrum vero omnibus, quae heic enumerantur, is fuerit vsus, quis tacentibus eius aetatis id genus monumentis definire audeat? Ceterum graecus homo graecum etiam caracterem, saltem initio, vsurpauerit, atque adeo horum, quae enumeramus, postrema quoque elementa; quae iam in desuetudinem abiere. Quidquid de hoc sit, inanem videas numeri quadragenarii iactationem; (multi enim in eo gloriantur) cum aliae, pro idiomatis conditione, superfluant literae, aliae vero adhucdum desiderentur. Prioris generis sunt, *Sjelo, Ot, tria Jer,* et reliquae ad finem vsque. Posterioris autem, *ly, et ny,* quae heic recenferi non videas; cum tamen iis Russi non infrequenter vtantur in expressione vocum suarum. Hanc scripturam Bulgaris Cyrillus, quos conuerterat, Morauisque tradiderit, et Methodius Pannoniis quoque: vbi tamen ab obitu praesulis ei Salisburgensēs finem imposuerint, aduetis, a multo tempore, Latino ritui et scripturae Pannoniis. In Thracia, Bulgaria, Dalmatia maiores propagasse radices videtur, in primis ex quo graeci sacerdotes has prouincias frequentare, Orientalesque ab Occiduis diuelli coeperant. Sed tam haec Literatura Illyricae genti, quae illam adoptauit, infauste accidit, vt ii quidem, qui Graecas sectantur consuetudines, dialectum Illyricam, patriam quippe ac natiuam, saepe dediscere cogantur, vli libris in Russicam linguam versis, cum in Illyricam non minori cum elegancia ii quidem verti potuerint. Alii vero, qui Latinam colunt Ecclesiam, eiusque ritum obseruant, quamquam non multi iam hodie, in sacris quidem dialecto Russica (*sacram, et ecclesiasticam* adpellant) saepe ad Illyricum loquendi modum detorta vtuntur; in scriptura autem, cum suo idiomate quidpiam effert: volunt, mire pererrant. Cum enim in serie Russicarum literarum desint *ch, gy, ly, ny, cx,* quarum in dialecto Illyrica singularis ratio haberi debet, nequeunt voces patrias in quibus eiusmodi literae occurrant, caractere Russico exscribere. Ex quo fit, vt, cum pro *ch,* et *gy,* exprimendis adhibeant ❖, quod illis *jer* dicitur, *churka* et *Gyurka* eodem scribant modo, ac legentes remorentur; pro *ly* autem ac *ny* efferendis idem *jer,* tamquam *g,* Dalmatarum Latine scribentium more, praeponant. Ita hoc literarum genere vtentes scribere, ita typis Illyrica dialecto libri exprimi consueuerunt. Nonnulli quidem, vt literarum huiusmodi nescio quam vetustatem, ac in Illyrica lingua, vti aiunt, *proprietatem,* venditare possint, adducunt alphabeta cum supra dictis deficientibus (demta tamen *cx*) hac figura: **М** *ly,* **И** *ny,* **Ѧ** *ch; a)* sed cum haec elementa neque in typo, quantum equidem sciam, neque in scriptura, occurrant, ea equidem inter non dudum comperta refero. Certe Bosnenses nostri, Dalmataeque, vt Seruianos, aliosque praeteream, illa ignorant. Et qui duplicatum **М,** ac **И,** pro mollibus accipi valeant, equidem non video. Ceterum hoc Russico scribendi modo, praeter eos, qui Graecam sectantur ecclesiam, Bosnenses quoque, ritus Latini, pene omnes

a) Vid. Relkov. Grammat. Slauon. p. 4. e dictionario Jambreshich, vid. fin. eiusd.

omnes, Dalmatasque nonnullos, in primis qui sacra Russice peragunt, a puero iam uti videas. Et prioribus quidem seculis maior usus scripturae huius apud Bosnenses fuerit, quam hodie, uti scripta, typique testantur; quae hac aetate Latino caractere, praesertim quae typis dantur, uniuersa prope signari videas. Dalmatae vero, litus adcolentes, Croatae, Pannonique, hoc literarum genus ne recepisse quidem videntur; contenti partim patria, partim Latina, praesertim ex quo fides euangelica heic propagari coepit, literatura. Nullum quippe monumentum, Russico caractere signatum, his in prouinciis compertum memini, quod ii, qui Romanam colunt ecclesiam, seu in lapidibus, siue in chartis, posuissent.

Porro, cum Russicum adpello hoc scribendi genus, nolim quis existimet, me aut inuentionem huiusmodi literarum Russis tribuere, aut nostros ante Cyrilli aetatem nullas habuisse. Literae enim Graecae sunt, eaeque vetustissimae, praesertim quibus in scriptura utuntur, sola denominatio Russica, ab Cyrillo, apud eam gentem euangelium docente, inuenta; qua cum nostri quoque utantur, Russicam adpellare libuit. Ceterum forma caracterum, quibus nostri scribere solent, vetustior esse videtur, quam ut ad Cyrilli aeuum referri debeat; ut quae cum Pannonia illa, cuius supra meminimus, plurimum conueniat: quod tabellam lustranti non potest non euidentem esse. Et haecenus quidem de caractere Russico.

XIV. Nostri Illyrii, qui ritu Latino sacra peragunt, peculiare quoddam literarum genus habent, ab omni, quod sciam, et orientalium et occidentalium gentium alphabetis distinctum. a) Quamobrem vetustissimum putes, in primis, quod nuper quidam singulari dissertatione ostendere adnissus est, id iam Phrygiis illis, si diis placet, in usu fuisse. Sed cum ad id probandum praeter vocum quarundam analogiam, et alphabeti Russici fidam etymologiam, nihil adducat aliud, eam equidem Characteri huic vetustatem tribuere nequeo. Et quid est, quod nullum MS, hoc scribendi genere formatum, comparuit vsquam? Soli codices, typis editi, iique vix alterum seculum antiquitate excedentes, b) innotuere. Sed et ipsi *Glagolitani* (sic enim adpellantur) sacerdotes et caractere in scribendo, et literarum adpellatione cum Russis communi utuntur. Taceo linguam, cuius in sacris usus, Russicam, corruptelis quibusdam demtis, quae ex dialecto Illyrica irrepserunt, uniuersam esse. Si igitur adeo vetustum est hoc literarum genus, uti Cl. Grubishich contendit, c) et nuncupatio uniuersa Russica, quid est, quod nulla caracterum huiusmodi vestigia apud Russos comperiuntur? Aut si numquam alphabetum hoc erat Russis in usu, quid est, quod ei nuncupatio adhaesit Russica, et non Illyrica potius? Sed aiunt: *Sacram esse hanc linguam, veterem illam,*
qua

a) *Glagoliticum* nuncupant.

b) An. 1528, missale Romanum Venetiis caractere hoc impressum.

c) Orig. et hist. Alphab. Sclauon. - Glagol. Venet. 1766.

qua omnes *Slauicae gentes olim locutae fuerint*. Hanc equidem paraemiam saepius cantari audiui, quae Russis in laudem, nobis in opprobrium cedit. Cum enim Russi hac loquendi norma hodieque vtantur, oportet Illyrios intra pauca secula, et cum consensu quodam, hanc nouam sermonis rationem induisse; Russos autem ab Cyrilli inde aeuo suam retinuisse dialectum. Quod vtrum a quopiam bono stomacho perfici queat, nescio; a meo minime gentium. Quid enim vmquam magis arbitrarium dici potest, quam apud Russos cum scriptura mansisse dialectum, apud Illyrios mutatam; quod hi in sacris aliena vtuntur? Monumenta ad hoc in medium proferri debent, non verba. Quod ni facis, declamatione quidem tua in historicis me mouebis numquam. Sed, qui producent ea palam, si partem ignorant, partem etiam nescire volunt? Nostri, ab secessu praefertim Graecorum, cum his et linguam et literaturam odere. Ceteri, quibus haec aliquantum innotuit, scriptores patrii aut Illyricam ignorant, aut antiquitatem linguae gentisue. Hi ergo e tenebris monumenta eruent? Et tamen absque his hoc in genere scriptionis caecutire oportebit. Duum viros nouimus, quorum alter de Illyricae, a) alter de Pannoniae linguae b) vetustate disseruere; sed in vtroque gentis monumenta merito desideres. Et quantum his illud Vindobonense, iam priori seculo repertum, seruisset, quis non videt? Sed abstinere aut sponte, aut inuiti. Ecceur nihil Graeci, nihil characteris Cyrillici protulere, saltem ex aetate, vt dicimus, media? Sed cohibeo impetum; neque enim puto operae pretium esse, haec ex iis vltro quaerere. Adducam autem quaedam haec Illyricae linguae exempla, seu vt eorum, qui linguas omni seculo variari dicunt, seu qui Illyricam dialectum ante haec nouem secula cum Russica eandem fuisse putant, seu qui characteri *Glagolitico*, vt aiunt, nescio quam vetustatem adserunt, vt eorum, inquam, cogitata prorsus inania ostendam, modumque, quo Illyricae gentis et linguae antiquitas inuestigari queat, ostendam.

XV. Primum adducam epitaphium Catharinae Bosnensium reginae, quae capta ab Turcis patria Romam venit, vitamque sub regula III Ord. diui Francisci pie finiit,posito expensis propriis monumento, quod et hodie in ecclesia eiusdem Ordinis, Ara Caeli dicta, e pavimento sublatum, videri potest. Id vero huiusmodi est:

ΚΑΤΑ-

a) Sebastian. Dolci (vulgo Szládich) Dissert. *Historico-Chronologico-Critica* — Venetiis 1754. Adducit quidem § XXVII epigrapham, sed apud Dacas repertam, vti paullo supra meminimus.

b) Stephan. Salagius Eccl. Pann. Lib. I Append. cuius Viri de properata opera nos multum miseret; vt qui nactus bibliothecam omnino singularem, si moram in impedito sane argumento posuisset, non minimum splendoris vetustati Pannoniae collaturus erat.

ΚΑΤΑΡΗΝΗ ΚΡΑΛΗΥΗ ΒΟΣΑΝΣΚΟΗ
 ΣΤΗΠΑΝΑ. ΧΕΡΧΕΓΛ Ψ ΣΒΕΤΟΓΛ ΣΑΒΕ,
 Ψ ΠΟΡΟΠΛ ΕΛΗΝΕ Η ΚΟΥΠΕ ΤΑΡΑ ΣΤΗΠΑΝΑ
 ΡΟΕΝΗ ΤΟΜΑΨΑ ΚΡΑΛΑ ΒΟΣΑΝΣΚΟΓΛ ΖΕΝΗ
 ΚΟΛ ΖΗΒΗ ΓΟΠΗΝΗ. Ν. Η. Π.
 Η ΠΡΗΜΗΝ Ψ Ψ ΡΗΜΗ ΝΑ ΛΗΤΑ ΓΝΑ V. Ψ Ο. Η.
 ΛΗΤΟ. ΝΑ. Κ. ΗΕ ΠΗΝΗ. ΟΚΤΟΒΡΑ ΣΠΟΜΗΝΑΚΒ.
 ΝΕ ΠΗΒΖΟΜΒ ΠΟΣΤΑΒΛΕΝΒ.

Ita Kollarius expressit in opere Lambeciano, non absque mendis, cum tamen ab se inscriptionem emendatam dicat. In prima linea pro **Ψ** Bombardi rectius **Υ** posuit; et in tertia **Π** pro **Π** in voce *kuche*. a) In quinta, ΚΟΛ vterque mendose pro ΚΟΛ. Cetera rectius Kollar Bombardio. Postrema linea, in voce ΠΗΒΖΟΜΒ erratum, literis forsan vetustate erosis. Neque Kollarius emendavit. Assemanus graecis literis illyricas expressit, b) *πυσμωμ*, scripto; quod is; linguae ignarus, *sumtibus*, e Cangio interpretatur. In lapide itaque scriptum fuerit ΠΗΣΜΟΜΒ. Itaque orthographia nostra sic legeris: *Katarini Kraljici Bosfanskog, Stipana Hercega od svetoga Sabe, od poroda Jeline, i kuche Cara Stipana rojeni, (radjenoj) Tomasha Kralja Bosfanskoga xeni; koja xivi godin 50 i 4 (54) i priminu u Rimi (Rimu) na lita Gospodina 1478. lito na 20 i 5 (25) dni Oktobra. Spominak nje pismom postavljen.*

Sententia Latina est: *Catharinae reginae Bosnensi, Stephani ducis S. Sabae, ex progenie Helenae ac domo Caesaris Stephani natae, Thomae regis Bosnensis uxori, quae vixit annos quatuor et quinquaginta, obiitque Romae anno Domini MCCCCLXXVIII, quinto et vicesimo die Octobris. Monumentum eius scripto positum.*

Plura hoc in marmore memoratu esse digna, in primis *genus Helenae*, quae videt. Nos *characterem epigraphes*, et *linguae dialectum*, considerabimus. Forma *literarum Cyrillica* est, quarum tamen nonnullae *singulares* sunt, veluti **Λ**, **Π** **Π** Postrema hac *Russi* carent; nostri, quod memoravi, pro *gy* ac *ch* vtun-

a) Topogr. Hung. p. 263 ed. cit.

b) Calendar. Eccl. Vniuers. Tom. V Part. I C. 3 p. 77.

vtuntur, et vt molles reddantur, consonis *l*, et *n*, praeponunt. Adde vocalem *E*, qua figura apud Russos non nisi in caractere ciuili (*Graxdanska slova* nuncupant) compareret, quem nos in serie alphabetica, quarta expressimus columna. Praeterea superfluas haec literas, quod apud Russos fieri consuevit, nullas occurrere videas, praeterquam **Б**, *jer*, consonantibus in fine subiunctam. Hoc scribendi modo Bosnenses et hodie vtuntur, et libris Venetiis imprimi curant. Dialectus porro inscriptionis ea prorsus est, qua Bosnenses, Dalmatae, Seruii, Pannonii, Thraces, Daci, hodieque vtuntur, *ciuili*, vt dicere solemus, loquendi ratione. Iam si tercentorum spatio annorum dialectus haec nullam accepit mutationem, quorsum ea Philosophorum argumenta, quibus demonstratum esse volunt, linguas omni etiam quinquagesimo anno suas pati vices? Sed non hoc aut vnum, aut vetustissimum est Illyricae linguae monumentum. Adducam epigraphen, aequae antiquam, cuius Draskovich Georgius, Quinqueecclesiarum episcopus, de translatione corporis S. Ioannis Eleemosynarii agens, hac oratione meminit: *a)* „ In veste sacra, quam planetam vulgo appellant, scapulari praeterea, lingua Illyrica, et caracteribus Cyroliticis, minutissimarum gemmarum contextu efformatis, haec verba leguntur, quae latinis literis subdimus: STI IOANE MILOSTIVI POMILUI RABUSI, DESPINU ANRRE LINU IYE DAEE. IESVS CHRISTVS NIKA. Ita quidem editor vitae SS. Hungariae; vbi epigraphen luxatam exhiberi videas. In veste sacra hi fuerint characteres:

С̄ТН ІОАНЕ МНЛОСТІВН
 ПОМНЛАН РАБЪС Н ДЕСПН
 НЪ АНГЕЛНЪС Н УЕ ДАРЕ
 ІЕСУС ХРНСТЪС НКЛ.

Sveti Iovane milostivi pomiluj rabue i despinu Angelinu i je dare. Clavula more graeco addita, sed latino expressa, *Iesus Christus vincit.* Vtroque idioma sic efferres:

*Sveti Iovane milostivi
 pomiluj rabove i Despi-
 nu Angelinu, i nye dare.
 Isus kerst vlada.*

Sancte

a) Ap. auct. Vit. SS. Hung. ex Bolland. ad XXIII Ianuar. p. 68.

*Sancte Ioannes clemens
respice famulos, Despi-
namque Angelinam, eiusque munera.
Iesus Christus vincit.*

Despina heic more graeco, Illyriis quoque olim vsitato, quemadmodum *Despot*, occurrit, vox principem feminam delignans, a) quae cum apud nostros dudum iam in *Gospoja*, aut *Gospoina*, vti *Despot* in *Gospod*, *Gospodin*, abierit, verustatem inscriptionis vel ipsa loquitur. Adde paragramma sacrum, quod peregrinis subiungere linguis, antiquis modo solitum erat temporibus: neque enim scriptum quodpiam recentius, Illyricum inprimis, ea notatum facile comperies. Hoc ipsum paragramma, inscriptioni adiunctum, ostendere videtur, monumentum hoc diuo Ioanni eo dicatum loco, vbi Illyrica esset vernacula, Graecae autem non magna notitia. Non enim Graecus erat dicturus *Iesus Christus nika*, sed Ἰησοῦς Χριστός νικᾷ, *Iifus Christos nika*. Illyricae vero dialecti nitor, et publicum principis feminae monumentum, communem linguae huiusmodi vsum suadent. Certe quidem, vt de tempore etiam quidpiam dicamus, in Hungaria vti planeta, qua sancti clenodia teguntur, ita nec epigraphe facta fuit. Huc Mathiae Coruino Turcarum imperator Constantinopoli sacrum corpus ita vestitum misit. b) In ea vrbe quamdiu id iacuerit, quandoue eo adlatum sit, inconpertum habetur. Amathunte porro Ioannem, in patria sua, primo conditum, hagiographi memorant. c) Quidni et vestis ei ibi parata, et inscriptio posita? Certe Constantinopoli graece hanc posituri erant, principes, septimo et sequentibus seculis. Et quae illa *Despina Angelina* in aula Constantinopolitana? Non *Δέσποινα* heic tunc sed *Σεβαστῆ*, dominabantur, inde ab Constantini M. ad postremi vsque aetatem. d) Linguam in Cypro patriam ostendunt ii, qui ab deuastatione insulae per Turcam facta, ad nos concessere, partim in Bulgaria, partim in Hungaria, e) alibique, sedibus positus. Quod si iam haec inscriptio bene habet, profecto Cyrillus characterum huiusmodi inuentor

a) A Graeco *Δέσποινα*, *domina*, ἀπο τῆς δεσπόζαν, *dominari*. Inde et *Δεσπότης*, *dominus*, quales Seruiam, Rasciam, cet. gubernabant.

b) Vid. Biogr. cit. p. 66, seq.

c) Apud auctor. Vitae SS. Hung. p. 65.

d) Seruiana videtur, vid. famil. Seruian. *Despot*. et paragramma in numis Seruianis.

e) In Bulgaria apud *Chiprovacz* (Cziprovacz) vnde Archiepiscopatus nomen. In Hungaria *Vinkae* cet. *Ciprios* (Cziprovci) se ipsi et hodie nuncupant. Eszekini celebres eorum familiae erant *Pefacevich*, *Junkovich*, cet. quarum posterius, Comites alii, alii nobiles, aut mercatores, hodieque superant.

inuentor non erit; ut quos ante iam nostri usurparint, quidquid de Russis censeas. Atque vel ex his duobus indubiae antiquitatis monumentis videas, 1) Illyrios literis, non Glagoliticis, sed Graecis, in patrio idiomate iam olim usus. 2) Linguae suae dialectum, ab Russica diuersam, a pluribus seculis retinuisse.

XVI. Hodie character hic apud eos, qui Romanam colunt ecclesiam, euiluit, ut praeter Bosnenses, paucosque presbyteros Glagolitas, in vicinis quidem prouinciis, neminem eo uti nouerim. Sed et ipsi Bosnenses Latinum in publicis scribendi modum adsumere, et Glagolitae eodem familiariter uti iam coepere. Latinae literae cum Romano iure huc illatae fuerint, multis eas, quod vel Paterculus perhibet, auide arripiuntibus. Quae cum pro linguae Illyricae natura non essent sufficientes, literati autem Latino potius idiomate, quam patrio, utpote scientiis inculato, vterentur, factum est, ut, quot manus scribarum erant, tot pene scripturae modi enascerentur. Sed ne hodie quidem in orthographia conueniunt, aliis Italicum, Germanicum aliis, aut Hungaricum scribendi genus imitantibus. Hoc familiare Croatae cum non paucis Hungariam colentibus habent; istud vltiores Carinthi, Carnioli, Styriique; illud cum Bosnensibus adcolae maris Hadriatici. Sed cum neque Itali, neque Germani, omnes Illyriorum expressiones habeant, Hungaricae autem scripturae modus non omnibus placeat, mirum non est, magnam esse hoc in genere varietatem. Haec ut adpareat, ratioque scribendi adcuratior videri possit, subiungam haec tabellam.

I.	II.	III.	IV.	V.	VI.	VII.	VIII.	
a	a	a	a	a	a	a	a	1
b	b	b	b	b	b	b	b	2
ç, c, z, cz.	c	z	c	c	tz, cz.	cz	z	3
ch, chi, cchj.	Ch, cch, chj.	cchj, ch, chj.	ch	ch	ty	--	--	4
ç, c	ç, cj, c.	c, cj.	cs	cs	ts, ch, cs.	ch	zh	5
--	--	-- gep.	cx	cx	--	gy	shzh	6
d	d	d	d	d	d	d	d	7
e	e	e	e	e	e	e	e	8
f	f	f	f	f	f	f	f	9
g, gh.	g	gh, g.	g	g	g	g	g	10
gy, gi, gj, ghi.	ghj.	ghj.	gj	gy	gy	--	--	11
h	h	h	h	h	h	h	h	12
i	i	i	i	i	i	i	i, y	13
y, i, j	j	j	j	j	j	j	j	14

I.	II.	III.	IV.	V	VI	VII	VIII	
c, k, ch	k	k	k	k	k	k	k	15
l	l	l	l	l	l	l	l	16
gli, gl, chl.	glj,	glj, gl.	lj	ly	ly	--	--	17
m	m	m	m	m	m	m	m	18
n	n	n	n	n	n	n	n	19
gni, gn, chn.	gn, gnj.	gn	nj	ny	ny	ny	nj	20
o	o	o	o	o	o	o	o	21
P	P	P	P	P	P	P	P	22
r	r	r	r	r	r	r	r	23
S, f	f, s.	f, s	f, s	f, s	fz	fz	f	24
fc, f, sc.	fcj, fc	fc	sh.	sh	f, s	f, s	fh	25
t	t	t	t	t	t	t	t	26
u	u	u	u	u	u	u	u	27
u, v, v.	v, u	v	v	v	v	v	v	28
fg, fc, f, x.	sg	x	x	x	zf, 'z, 's.	'f	sh	29
S, Z, z.	z, z.	z	z	z	z.	z.	s.	30

Prima columna exhibet literarum seriem, qualis in vetustioribus comparere libris, Dalmatarum praesertim, et qui eos imitationi sumere. Altera e Dictionario Iacobi Micalia S. I. Laureti an. 1649 typis dato, quod ego primum norim, excerpta. Tertia e Dictionario P. Ardelii della Bella iidem S. I. Venetiis an. 1728 vulgato, desumpta. Quarta e Grammatica Antonii Relkovich. Quinta e sententia nostra. Sexta Hungarica, septima Croatica, octava Carniolica, e grammaticis, dictionariisque, sumta. Censuram heic de serie quavis longum referre instituti nostri non est. Breuiter de his, quod sentio, dicam. Antonius Relkovich recentissimus quidem, sed in primis breuitate sua et adcuracione commendandus mihi videtur. Molles enim, asperasque, in quibus solis discrepant nostri, duabus modo consonis, non, vt ceteri tribus quandoque, exprimit, et sono magis conaturali, quam in Italicis. a) Haec tamen in eo notaris: 1) quod linguae natura et vetustate non satis perspecta, ad opus hoc scribendum accessit. 2) Molles gy, ly, ny, cum consona j, quae in deriuatis modo cum g, l, n, locum obtinet, non distinxit. 3) Quod scriptores, a quibus profecit, penitus praeteriit, Dellabellam

N n 2

in

a) Vid. eius Gramm. p. 9, 12, 14, 15, 18. edit. Zagrab. 1767.

in primis, et Mikagliam. 4) Quod accentuum, quos initio operis non male tradidit, non magnam in decursu operis habuit rationem. Cetera, quae in epistola quadam, ad eius filium data, exposui, prudens mitto.

Ardelius della Bella magnus vir erat, ut qui linguam Illyricam dictionario suo, eique praefixis grammaticae legibus, non modicum illustravit. In quo tamen haec non admodum probanda censeo: 1) Tantam testium copiam, Poetarum praesertim, quibus novos condere mundos licitum est, et quos manibus quotidie terimus, quae non eiusdem omnes farinae censeantur. 2) Precium vnius Ragufanae elocutionis, contemptis aliorum vocabulis, et pro barbaris habitis; crebrum item *je*, quod civiliores Ragufani, aliorum loquendi modorum periti, non usurpant: plebi id dumtaxat in usu est. 3) Quod nullam Mikagliae, nullam alterius aut grammatici, aut onomastici, cuius opera sit usus, mentionem facit. 4) Inopiam vocum plurium. 5) Accentuum usurpationem superfluum. 6) Vocalium et consonantium geminationem inanem, in mollibus copiam; quae lectionem admodum difficilem reddant.

Iacobus Mikaglia magnum sane sibi adsumpsit laborem, et in dictionario quidem conficiendo, quantum sciam, omnium primus. Adeoque, quod seu inopiam quarundam vocum, seu literarum in vocabulis abundantiam concernit, viro, qui hunc laborem primus sit adgressus, ignoscendum reor. Ceterum plura habet vocabula, quae in Dellabella desideres. Utinam is iterum esset typis datus: cum enim vetustate seculum pridem superarit, in paucissimorum manibus reperitur. Singularis est in eo dialectorum linguae varietas; quamquam ea vocum earumdem iteratio non ubique necessaria videatur.

Columna prima literas e libris typo expressis defuntas exhibet; vetustiores autem seculo sexto decimo prae manibus non habuimus. Omnem in mollibus, durisque, asperis et lenibus, variationem consistere vides: ceterae enim ore exprimuntur Latino. Hoc autem his in codicibus notaris: quo ii vetustiores sunt, eo ad Latinam scribendi rationem magis accedunt. Vnius, Daci nostri (Bunjevacz hodie dicunt) exemplum adduxisse liceat. a) Est monitum ad lectorem, quod sic habet.

Textus

a) Titulus libri: „ Razmischlagna pribogomiona od Gliybavi Boxye- po Fra Mihaylv Radnichiv Bacaninv, Pripouiedaocu, setiocu G neralomu - Prouincie Bosna Argentine, Reda male Bratye fuetoga Francescka, V RIMV M. DC. LXXXIII.“

Textus antiquus.

Dobroftiuomu scioçu Pozdrauglegne.

Viruimi iftinito draghi scioçe, dame drugo niye ganullo, za dati na fuitloft, ouo diello, koiefe zoue, *Razmifeglagna pribogomiona od Gliubaxi Boxye*; nego gliubau, i dobitak fpafegna moga izkargnega; Zato i tij primih' dobroftiuo ouu moiu vruchiu xeglu. Ako nagefc fctoye dobro, fallih' Gospodina Boga, a fctho niye vprauno, fmillouano podilli moioy slabofiti. A kakofe fcto pisce latinskyem slouima i izgouara u nafc yezik, tomuchete vechma vifctina fctiyuchi uviçbati, negote ya mogu ubauiftiti; i budi zdrau, i fpafen. V Rimu na 2 Kollouoza. 1683.

Tuoy Sluga u Ifukarftu

Fra Mihaylo Radnich, Kufctod Bofansky.

Noftro fcribendi modo.

Dobroftivomu shtioçu Pozdravlyenje.

Virujmi iftinito, dragi shtiocse, dame drugo nije ganulo, za dati na fvitloft ovo dillo, kojefe zoue, *Razmishlyanja pribogomiona od Lyubavi Boxje*; nego lyubav, i' dobitak fpafenja moga iskernyega; zato i ti primi dobroftivo ovu moju vruchu xelyu. Ako najdesh shtoje dobro, fali Gospodina Boga, a shto ni je upravno, fmiilovano podili mojoj slabofiti. A kakofe shto pishe latinskim' slovim i izgovara u nash yezik, tomuchete vechma vishtina shtiyuchi uvixbati, nego te ja mogu ubaviftiti; i budi zdrav, i fpafen. U Rimu na 2 Kolovoza. 1683.

Tvoj Sluga u Ifukerftu

Fra Mihajlo Radnich, Kushtod Bofanski.

Adlocutionis Illyricae haec sententia est: „Lectori beneuolo salutem. Indubie mihi crede, lector amice, me alio non esse motum, ad hoc opus luci dandum, quod adpellatur, *Meditationes deuotiffimae de Amore Dei*; nisi caritate, et lucro salutis proximi mei; quare tu quoque beneuole accipe hoc meum feruens desiderium. Si quidpiam boni repereris, lauda Dominum Deum, quod vero adcuratum non est, indulgenter adscribe debilitati meae. Quomodo autem quid latinis scribatur literis et pronuntietur in lingua nostra, ad hoc te peritia in legendo magis docebit, quam possim ego te instruere. Vale. Romae 2 Augusti, 1683.“

In hac epistola vides, initio vocum *v* pro *u*, in medio *u* pro *v*, veteri scilicet more, vsurpari. Ad haec *j* nullum, pro quo *i* et *y* vsurpat. *Sc* pro *sh*, *gl* pro *ly*, *gn* pro *ny*, ad normam Italarum. Et hoc vnum pro multis exemplum sufficiat.

Quinta

Quinta columna exhibet alphabetum, quod equidem censeo, propter molles in primis, praestare ceteris. Quaeuis harum literarum suum habet sonum, neque vlla otiosa est, vt apud Ruffos, sed omnes omnino pro linguae natura necessariae. Dialecti Illyricae vel ex eo puritatem valoremque videas, quod Croatae et Carnioli quibusdam carent, vt supra ostendimus.

XVII. Atque haec pro suscepta materie sufficient. Animus quidem erat, quampiam auctorum Illyricorum seriem, saltem praecipuorum dare; in primis, quod hi de re Literaria scribentibus vna cum lingua ignoti sunt; sed cum id paucis edicere non possim, et alio fusius pertractare loco constituerim, haec praetereundum censeui. Itaque illud iam, quod caput rei esse putes, videndum, scilicet: vtrum Illyrii, quos olim quoque, vt hodie, Illyrice locutos, haecenus monstrare conati sumus, suscepto Romanorum imperio, sermonem quoque Latinum, misso natiuo, adsumere aut debuerint, aut potuerint etiam. Deinde, vtrum ex eo, quod Latino caractere vsi sunt, ac non nulli sermone etiam, adeo, vt nullum e vulgari lingua vocabulum proferrent, consequi rite valeat, scriptores quoque tales, Latinam e matris vberibus suxisse. Postremo, num D. Hieronymus, quem Dalmatae suum faciunt, Latinum a parentibus sermonem acceperit, et vbi locorum Stridon, eius patria, ponenda.

Aiunt nonnulli, linguarum natura non satis examinata, Illyrios, cum potestati Romanae subigerentur, coactos, natiua missa, Latinam adsumere loquendi rationem, et his quidem argumentis nixi. 1) Tot coloniae Romanorum per Illyricum deductae. 2) Lex Romana, qua in publicis rerum negotiis vnum idioma Latinum vsurpabatur. 3) Scripta eorum, qui apud Illyrios aut nati, aut versari essent, Latina, non Illyrica. Quae monstrare videantur, in Illyrico vsu linguae Latinae vulgarem demum euasisse. Prius illud Ceruarii est, cui Sebastianus Dolce respondit hunc in modum: *a) Coloniae nostrae* (enumerauit Docleam, Epidaurum, Naronam, Salonam, Iaderam) *inter eas, quae iure Latii tantum donabantur, erant, et numquam ipsis tot noui coloni, aut milites veterani dati, qui vel pauperibus urbem exonerauerint, vel potuerint auitam nostrae gentis linguam stirpitis eradicare.* Ceruarii sententiam excepit Cl. Salagijs, *b)* multis contendens, ab coloniis eiusmodi non in Pannonia modo, sed vniuerso Illyrico, et multis aliis prouincijs, quae Romano iuri subiectae fuerunt, indigenas Latinum accepisse idioma. Si vir doctus eas *Colonias Ciuium Romanorum* fuisse monstrasset, quidpiam fortasse dicturus erat; sed cum eas *Augustales* potissimum, quae nullis ciuibus R. frequen-

a) Vetust. Lingu. Illyr. § XIV.

b) Eccl. Pana. L. I Cap. I. n. XVII.

frequentatae, *solo iure Latii* gaudebant, a) monumenta perhibeant, b) vt Illyrii cogantur dediscere natiuam, vim huiusmodi nullam esse video. Et, si hoc argumenti genus quidpiam valere dicamus, cum per vniuersum orbem Romanum Coloniae fuerint constitutae, vbique sane locorum indigenas Latine loqui oportuisset; at vero, monstra mihi in prouinciis Illyrici (vt ceteras mittam) huius linguae vestigia hodie. Qua id machina effectum est, vt sermo Latinus, trium, et quod superat, seculorum vsu hęc firmatus, tam subito exolesceret? Qui factum, vt Valachi soli (*Vlahos* Illyrii Latinos dicimus) qui non tam *coloniae*, quam *infinita hominum vis*, ex toto orbe Romano, in Daciam a Traiano illati erant, c) vt Valachi, inquam, soli, numero Illyriis longe inferiores, nomen Latinorum et linguam retinerent? Cum Turcis tantum iam, quantum cum Romanis olim, versamur; Hungaros minimum octo secula in patria habemus; Germanorum, utpote vicinorum, coloniis, vt ante Hungaros, sic et hodie augemur in dies: num idcirco tamen idiomatis natiui obliuiscimur? Magis aduenae opus habent, vt indigenarum sermonem condiscant, si iis recte dominari velint, quam vt hi illorum percipere debeant. Ceterum vulgus a literatis discernendum censeo, vt linguas a peregrinis patrias. Qui Hungariam incolimus, Illyrii, praeter natiuam loquimur Latinam, Hungaricam, Germanicam, praecipuas scilicet in patria linguas, vt minorum gentium ceteras non commemorem; neque tamen vllum sanae mentis fore censeo, qui talem Illyrium, Latinum, aut Hungarum, aut Germanum *natum* arbitretur. Vnam a matre combibimus linguam, quam in populo quopiam, maiori praesertim, quales Illyrii sunt, nulla vicissitudo temporum, nulla vis imperantium, non dicam tollere, sed ne mutare quidem potuit. Negas? Cedo monumenta! Verbis non moueor tuis.

Sed aiunt: Cautum fuisse Romanis alio in publicis rerum negotiis idiomate vti, praeterquam Latino. Ad hoc Dolcius ex D. Augustino d) adcommode respondit, scribens inter alia: e) *Imperiosam urbem curauisse quidem, vt Latina lingua vna cum Romano imperio per totum propagaretur orbem; at potuisse nequaquam ceteras delere linguas et exterminare.* Latinam linguam Pannonii, qui pars Illyriorum erant, iam sub Tiberio, teste Paterculo condidicere, f) citra dubium, vt magistratus capere possint, vt maiores nostri ad haec vsque tempora inde ab Romanis, fecere; et hodie cum Germano sermone faciunt, pro faciliori guber-

a) Vid. Dissert. de Colon. Rom. Pannon. Part. I Cap. II § III.

b) Sic *Scarabantia Iulia*, *Sabaria Claudia*, *Mursa Aelia*, cet. in Pannonia.

c) Eutrop. L. VIII Cap. VI. Conf. supr. C. VIII, n^o 4.

d) Lib. XIX de Ciuit. Dei Cap. III.

e) Dissert. cit. § XIV.

f) Lib. II Cap. CX. Ad quod id. Dolc. § XVI apte respondit.

gubernio rerum, non nostrae modo patriae, sed et vicinarum prouinciarum, filii. Et tamen, praeter Germanum, nouem circa Danubium numeramus genera loquendi, ab se in *natura* diuersa; Illyrii autem sub Romanis patrium sermonem seruare non potuerunt? Pape! Ab Diui Stephani aetate octo pene secula effluxere, quibus tum in sacris cum profanis rebus Latina loquendi ratio publice dominata est, semperque floruit, non minori sane successu, his praesertim vltimis diebus, quam apud Romanos olim; quis tamen illum ostendet mihi patriae filium hoc vniuerso temporis intervallo, *qui Latinam a matre didicisset?* Magno sudore, plurimumque spatio annorum, nos Latii sermonis peritia constat; cum natiuum a matre absque negotio capiamus.

Iam ad postremum difficultatis accedamus caput. Quotquot Illyricos habemus priorum seculorum scriptores, vniuersi scripsere Latine, nemo Illyrice; in primis D. Hieronymus, qui cum in Illyrico natus esset, nusquam tamen *Slauici* meminit *sermonis*. Quid ergo hunc per Illyricum ea aetate diffusum iactas? Aio primum: non Latine modo, sed Graece quoque in Illyrico scriptum; cape ab Dione exemplum, qui cum Pannoniae auspiciis populi Romani praefesset, Graece tamen historiam scripsit. Numi tam apud Thracas quam Illyrios et ante, et post Romanos graeco idiomate cudebantur; monumenta complura graece signata et apud nos comperiuntur: anne igitur Thracas Illyriique origine Graeci? Id palam quidem Cl. Salagius negat. *a)* Et produc mihi, si potes, ante vndecimum seculum, et infra etiam, librum *barbaro* quoquam sermone scriptum, non dicam Hungarico, aut Illyrico, sed cultarum quoque gentium alio, Germanico, Gallico, Italico; nonne vniuersi Latine scripti comparent? Igitur bene dicam, solos in vniuersa Europa ad id vsque temporis *Latinos* existisse? Et quare non videmus aetatem nostram? Tubero commentatus Latine est, Bandurius Latine, Lucius, Salagius cum domesticis innumeris Latine; nae priorum matres patabit quis, qui eorum scripta legerit, *Illyricam*, huius autem *Hungaricam* ignorasse loquendi rationem. *b)* Scilicet, scribere, in primis de rebus a vulgi notitia remotis, eruditionis est, quam apud nos Latine potissimum capere datum erat; quod magis obtinuit aetate Hieronymi, cum Illyricas nondum amisissent Romani prouincias, sermoque Latinus in maiori esset flore, quam postea, barbaris dominationem obtinentibus. Itaque nisi nobis ipsis id probro dare velimus, quod non Illyrica aut Hungarica lingua commentarios scribamus, sed Latina, eaque veteri, quam nemo iam ex vberibus haurit

a) Eccl. Pann. L. I Cap. I n. XXI.

b) In primis, quod et feminas Latinae linguae et artium peritas, censemus, qualis Catharina Frangepana, Grifeldis Bathorea, (Wallaszky p. 131) et plures aliae. Vid. Wallaszky p. 169 seqq. 246. Vt nihil mirum, D. Hieronymum, aetate sua, cum Latina magis floreret, et barbarae linguae nulla haberetur ratio, ad feminas Latine scripsisse; feminas certe eruditas.

rit; qua audacia, id in Hieronymo, aliisque, qui aureo Latini eloquii seculo propiores erant, et idcirco puritatis linguae magis tenaces, reprehendamus? Nonne hodierni quoque scriptores, cum patrio idiomate quidpiam conscribunt, solliciti a barbaris peregrinisque vocibus cauent? Vt Germanos, qui sui florem idiomatis in altum euexere, taceam, quid non Hungarici in Molnario, aut non Illyrici in Kanislichio, comparet? Et tamen quam diu est, quod hae linguae culturam acceperunt? Miramur ergo veteres, barbaras non adhibuisse voces, cum scientiae vniuersae artesque Graece dumtaxat Latineque nosci potuere, omni barbaro sermone non pro vili modo, verum et exoso habito? Mitto cetera, quae cum alii, tum in primis Cl. Salagijs, copiose adducunt, a) quibus vel haecenus dicta abunde sufficiant. Videamus Hieronymi patriam.

XVIII. Cl. Salagijs copiose, vti solet, ostendere conatur, sancti Hieronymi patriam non aliam ab Istria fuisse; idque verba diui scriptoris cum Geographia Ptolemaei conferendo. Sed cum ab hoc *Dalmatiam ab occasu Istria desiniri* ait, b) quod nusquam Ptolemaeus adseruit, eruditus vir de sua nobis demonstratione suspicionem iure mouere potest. Verba Hieronymi primum audiamus; tum sententiam Plinii, Ptolemaei, Geographorum: ex his enim controuersiae decisionem peti oportere existimo. Diuus itaque Doctor, de Viris illustribus agens, patriae suae hunc in modum meminit: c) *Hieronymus presbyter, patre Eusebio natus, ex oppido Stridonis, quod, a Gothis euersum, Dalmatiae quondam Pannoniaeque confinium fuit.* Nemo ab Hieronymo, quod sciam, *Stridonis* meminit, praeterquam lectiones quaedam subscriptionum in Concilio Nicaeno I, vbi *Budion* episcopus nunc *Dardaniae*, nunc *Stridonensis*, nunc *Dalmatiae Striborum*, aliisque modis corrupte pro *Stobienfis*, legitur. Sed id ab oscitantia scribarum repetendum, nobis, etsi *Stridon* recte poneretur, inutile, quod Dardania Pannoniae vicina non erat. In Plinio, qui litoralia modo enumerasse contentus, *Stridonem* incassum quaesieris, oppidum in mediterraneis (Pannonia quippe nusquam ad mare excurrerat) situm, vt ex Hieronymi verbis colligas. Mirum autem videri possit, si Ptolemaeus, qui mediterranea quoque diligentissime recenset, oppidi huius non memi-

a) Cum ll. cc. tum in primis Append. ad Lib. I. Quae si vniuersa in vnum ponis, mirabilem sane gentium ac linguarum metamorphosin videbis, nescio an et Poetis penitus audendam: cum Illyrii primo *Gallorum* formam, hi *Latinorum*, et vtrique rursum *Illyriorum* adsumere coguntur. Appianus initio libri, quem *Illyricum* dixit, e traditione veterum produxit quidem genealogiam Illyriorum; sed fabulosam ipse dixit, et Illyrios a Gallis in opere sedulo distinxit, neque vllius metamorphoseos e sententia sua meminit. Cui potius credendum, Salagijs an Appiano?

b) Eccl. Pann. Lib. IV Cap. I n. IV.

c) Tom. II opp. Cap. vlt. col. 939 edit. Vallarf.

meminisset. Quid, si Σιδρώννα eius *Strido* Hieronymi dicatur? in primis, quod et *Sitronam* apud quosdam a) scribi videmus, et huiusmodi literarum μετάφρασις Graeco ori perquam familiaris est. Ponit eam Geographus in Liburniae mediterraneis, hoc situ: b)

Βούρνον	μβ λ' δ'.	-- μδ γ'.	Burnum	42, 45. -- 44, 20.
Σιδρώννα	μγ λ'.	-- μδ, ε'.	Sidrona	43, 30. -- 44, 10.
Βλανώννα	μβ λ'	-- μδ.	Blanona	42, 30. -- 44.

Burnum Tabula quoque habet, itinere Liburniae mediterraneo, *Blandonam* Iter Antonini; vtrumque ab Iadera procedenti Salonam versus. Si M. P. confideras, circa Titium (*Kerka* hodie) qui Liburniam a Dalmatia dirimebat, vtrumque oppidum esse quaerendum censeas, circiter *Knin* et *Novigrad*, arces. Σιδρώννα Ptolemaei, graduum habita ratione, ad Titii fontes cadit, plane, vbi Dalmatiae, Pannoniae, ac Liburniae fines concurrebant; quo loco et hodie oppidulum *Střemiczám* (*Stermicza* scribitur alias) exstare videas, regno Bosniae adnumeratum. Citra vel ultra inde gradum vix promouere poteris, hinc Titium cum Dalmatia, illinc Albios cum Pannonia offensurus. Fauet *Stermiczae* et Graeca Hieronymi versio, quae sic habet: Ιερώνυμος, υἱὸς Εὐσεβίου ἀπὸ πολίχνης Στρεμόνου τῆς παρὰ τῶν Γότθων πορθηθείσης, ὅπερ Δαλματίας ἐστὶ καὶ Παννονίας ἑμορον. Vbi Στρεμόνος Latinus *Stredonia* verteret, etsi per *i* Graeci malint hodie *η* efferre. Hunc situm ante me iam Stridoni dabant Marulus, Villanouanus, Vghellius, Cellarius, et cum aliis c) *Dolcius*. d) Sed obstat cum Vallarfio Salagius, Stridonem ad Istriam trahentes. e) Quo fundamento? Quia Istria Dalmatiam et Pannoniam contingebat. Quo auctore? Ptolemaeo, et quidem Lib. Geogr. II Cap. 17. Equidem, quotquot Ptolemaei codices lustravi, seu Graecos, siue Latinos, omnes, in ora quidem Adriae, Liburniam Dalmatiae interponunt Istriaeque, eo plane terrarum interuallo, quod ab Arfia ad Titium existit. Complectitur quidem in maritimis Liburniam

a) Vt D' Anuille habet, in charta Hist. Rom. Greuier praefixa.

b) L. II Geogr. Tab. V Cap. 17. edit. Basil. 1533.

c) Bomman Hist. Dalm. Croat. et Bosn. Lib. III ad an. 420 not. qui relatis aliorum sententiis, „Quelli che piu, *scribit*, si accostano al vero, pongono le rovine di Stridone presso Strisna, che sbocca dal monte Pastirevo, il quale è un ramo del gran monte Velebich, ossia Monti Albi, e verso Costajnica entra nel fiume Unna.“ Conf. Marc. Maruli, scrip. rer. Hung. T. III fin. n. 11.

d) Vit. Hieron. Cap. II, Anconae 1750, quem, suo munere bene functum, cum legisset Cl. Salagius, mirum in diuersa eum abiisse.

e) Ille Tom. opp. Hieron. ultimo init. hic Eccl. Pann. L. IV Cap. I n. 4.

burniam et Dalmatiam vno Illyridis nomine, enumeratque oppida ab Aluona ad Lissum vsque adcurate; sed mediterranea loca, et populos, et praetensas in Adria insulas, nonne seorsim in Liburnia, in Dalmatia enumerat seorsim? Et quid est, quod Illyridis oppida litoralia recensurus, clare, *μετὰ τὴν Ἰστρίαν τῆς Ἰταλίας, ἔξῃς Διβουρνιας τῆς Ἰλλυριδος παραλίος*, dixerit, non item *τῆς Δαλματίας*, si vicina Istriae Dalmatia erat? Clarius hoc in genere Plinius: a) *Arstiae* (qui orientalis Istriae finis fuit) *gens Liburnorum iungitur, vsque ad flumen Titium - - XVIII* (M. P. ab Iadera) *ostium Titii fluminis.* b) *Liburniae finis, et initium Dalmatiae Scardona, in amne eo, XII M. pass. a mari.* Adhucne Dalmatiam Istriae vicinam dices? inquit certe Geographia. Quod si hanc audis, vbi, nisi apud Titium Hieronymi patriam quaeres? Ad Titium porro, non ad Arsiam modo, vti hodie, sic et antiquissimis temporibus, gens Illyrica habebat, quod haecenus monstrare conati sumus. Mirus haec quoque, vt alias est, Cl. Salagius, in primis, cum illud Hieronymi adducit: c) *Zython genus est potionis ex frugibus aquaque confectum: et vulgo in Dalmatiae Pannoniaeque prouinciis, gentili barbaroque sermone appellatur Sabaium.* d) Quod ipse hac interpretatur phrasi: „Hieronymus sane nec gente nec sermone barbarus fuit; cui cum sermo Pannonicus, Dalmaticusque barbarus sit, intelligitur certe non fuisse patrius, sed alienus. - - Et qui sustinisset homo Pannonius, vel Dalmata, isque, vt vulgus Croatarum putat, Sclauinus, gentilem linguam suam cum probro vocare barbaram?“ Concedit itaque, vir doctus, Pannonios, Dalmatasque *barbaro*, id est, vt ipse vult, a Latino diuerso, *sermone* vsos. Qua igitur ratione subsistet illud, quod nuper dixerat: e) *Atque inde factum* (scilicet supradictis de causis) *vt progressu temporis veterum indigenarum* (Pannoniorum) *sermo exoleuerit, nec nisi fors apud ruricolos in locis obscuris remanserit, solo Latino apud ciues, meliorisque conditionis homines obtinente?* Idque iam sub primis, vt ipse contendit, Rom. imperatoribus; cum Hieronymi aetate, seculo quippe Christiano quarto, non *obscura* modo loca, sed *prouinciae* et *Dalmatiae* et *Pannoniae* *gentilem*, eumque *barbarum*, non Latinum, *sermonem* haberent. Si haec in vna sede morari possunt? *Sabaium* Hieronymi, adducto etiam Marcellini loco, exposui alibi. f) Hodie quoque paupertinum eiusmodi potum, mixtumque, in primis, quo sues potare consueuimus, *Scha-*

a) L. III H. N. Cap. XXV.

b) Cap. XXVI init.

c) L. IV Eccl. Pann. Cap. I n. 5.

d) Comment. in Isaiam L. VII Cap. 19. Tom. IV opp. col. 292. Et continuo: „Hoc maxime vtuntur Aegyptii, vt non puras aquas bibentibus tribuant, sed turbidas, et commixtarum fecium similes.“

e) L. I Eccl. Pann. Cap. I n. 18.

f) De lingu. Pannon. L. II spec. Philol.

va (Styava) *Shtava*, v pro *b*, quod saepe fit, accepto, nuncupare solemus. *Barbarum* autem sermonem non ex *probro* dixit Hieronymus, sed ex *vsu*, quo tam Graeci quam Latini, gentes vniuersas, quae alium ab suo loquendi haberent modum, compellere solebant. Hoc te Strabo, *a*) praeter alios, Ptolemaeus, *b*) Stephanus, *c*) Graeci; Nepos, *d*) Plinius, *e*) Florus, *f*) Latini, docebunt: vt innumera posteriorum exempla reticeam. Non itaque Croatas, quibus Latini sermonis proprietates cognita sit, putato id sibi ab Hieronymo, conterraneo suo, dictum *probro* accepturos. Secus et ipse vereri deberem, qui, cum Illyricam gentem hoc ipso libro illustrare conor, linguam eius *barbaram*, Romano Graecoue more, non vna dixi vice, vereri, inquam, deberem, ne mihi quispiam Salagius oggerat, id me genti meae *probro* tribuisse. Sed *lingua Latina* scripsit Doctor, eamque *suam* adpellauit, vrgent aduersarii. Quid tum? et nos id ipsum facimus, cum Latina in commentando vtimur; quo casu eam nos quidem rite *nostram* dicere possumus, etsi non *gentilem*. Scilicet non intelligis? Dicam, vt intelligere possis. *Gentilem* et *barbaram* adpellauit Hieronymus linguam Dalmatarum et Pannoniorum; *Dalmatam* vero eum suppar nuncupauit scriptor Palladius; *g*) et *Pannonium* se ipse subindicat, vbi patriam suam *rusticitatis vernaculam*, *h*) vocat, et Castrucium, veterem amicum, fortasse et conterraneum (verba sunt Vallarllii) *Pannonium hominem, id est, terrenum animal, i*) adpellat: quo non videtur disterio fuisse amicum petiturus, nisi et sibi illud commune ex gentis ingenio fuisset. *k*) Ergone adhuc dices Latinam Hieronymum suxisse a matre? Certe quidem, si id verum esset, *labore Latini sermonis, ab ipsis pene incunabulis, semet attritum*, non dixisset. Mitto cetera, quae ex Diui scriptis complura produci possent; vnum id ex te quaero: cuius populi tritum illud prouerbium, *accessit patellae dignum operculum, l*) esse putas? Latine nihil in eo leporis, vt in alio: *similem habent labra lactu-*

a) L. XIV. p. 662.

b) Geogr. Lib. II Cap. XVI.

c) Voc. Βάρβαρος. Conf. not. ibid.

d) In Militiad. Cap. II nott. Cellar.

e) L. XXIX. H. N. Cap. VII. Graeci, Catone auctore, Latinos quoque *barbaros* dicebant.

f) In libb. IV C. 12. I, 13. IV, 12. I, 2. indicem consule, edit. Berol. 1750.

g) Lauf. C. 124, ap. Vallarf. Vit. Hieron. init.

h) Epist. VII, ibid.

i) Epist. XXXVII, ap. Dolc. Vit. Hieron. Cap. II.

k) Ita Vallarfus Tom. XI opp. Hieron. initio, vitae eius.

l) Epist. XXXVII ad Chromatium et Eusebium, ap. Dolc.

lactucam, alino carduos comedente. a) Respexisse igitur putes Hieronymum ad illud gentis suae, non sine sale dictum: *nashao lonacz poklopacz*; quemadmodum alio loco b) serpentem, qualem Hilarion succensa pyra concremauit, apud Epidauritanos *Boas* (*Kravofzjefz*) nuncupari dixit; vsus vocabulis Latinis, more tunc recepto, c) vti et nos saepe facimus, ad patriam vocabuli significationem exprimendam. Sed haec iam pro lingua et literatura indigenarum dicta sufficiant. Aduenas lustremus.

XIX. Quemadmodum inquilinos Thracum genus primos habuit Graecos, ita horum Literatura quoque ante alios dicenda venit. De origine huius, et incremento posteriori, ac propagatione in alios, iam capitis huius principio nonnulla diximus, quae huc pertinere videbantur; ceteris, quae ex illorum scriptis capi poterunt, omissis. Neque enim propositum heic nobis est, historiam gentis texere, aut omnes eius scientias recensere, artesque; sed indicare dumtaxat, quaenam apud nos Literarum Graecarum aestimatio, et quis fuerit vsus. Supra iam arbitrati sumus, maiores nostros, in primis Graecis vicinos, horum Literas, in publicis praesertim, auide arripuisse, ex eo maxime tempore, quo eorum ad nos coloniae deduci, et scientiae Athenis efflorescere, coeperant. Continuis inde earum vsus, Thracibus quidem vniuersis, et Illyriorum parti maiori. De scientiis autem per has prouincias propagatis, seu graeca seu illyrica lingua, cum nullum comperiam vestigium, dicere nihil possum. Graeci quidem eruditi in haec loca frequentes veniebant; et nostri cum ex Attica, tum e partibus aliis, domum variis scientiis instructi redibant: quid tamen vtrique hac rerum notitia apud Thracas profecerint, cum nullum superlit monumenti genus, res vltro manet incerta. Scholas fuisse Thracibus, ea, quae de literis eorum, modoque scribendi, haestenus commentati sumus, suadere videntur; sed eas vltra Grammaticam progressas, non facile quis existimabit. Poesim, Rhetoricam, Philosophiam, Mathesim, Athenis condiscere oportebat. Huc ex vniuersa adolescentes Europa, eruditionis captandae gratia, confluebant. Hoc vnum erat heic scientiarum, artiumque optimarum emporium. Quamuis igitur censeam, plures ex Illyriis veteribus eruditos fuisse; Illyrice tamen praeter mythologiam apud sacerdotes, Graece vero praeter Grammaticam, nihil puto sublimioris publice traditum, ad Romanorum vsque dominationem, qui scholas, suo idiomate tradendas, aperuere. Quod adeo quidem, vt postea dicemus, inualuit, adducta praesertim religione Christiana, vt nulla pene patrii idiomatis excolendi, quamquam artes florerent, toto imperii Romani tempore, cura haberetur. Mansitque haec incuria, scientiis densa caligine sepultis, ad renatas vsque literas. Neque ante hoc, quod viuimus, seculum, noui vllum, qui sermonem
Illyri-

a) Lucilius de Crasso ap. Hieron, loc. mox cit.

b) Vit. Hilarion. ap. Dol. op. cit. Cap. IV.

c) Conf. quae de Ouidio supra diximus.

Illyricum ad Grammaticae leges redegit; si Bohorizii *Arcticas horulas de Latino-Carniolana Literatura*, a) démas, quae iam an. 1584 Wittebergae lucem videre, mihi non dum visae. De quo quidem, ubi de Romanis occurret sermo, plura dicemus. Hi etiam, qui Graecos obtinent ritus, ultra Russicae linguae Grammaticam non sunt eluctati. Paucos numerant historiae scriptores, Rhythmorum (neque enim lingua haec Poema nouit) pauciores. Et miseranda profecto illorum conditio est, si quosdam, qui Latinas audiuerunt scholas, excipis; cum nihil praeter Grammaticam (et utinam adcuratam) Russice audiant, Graecae autem ne legere quidem apud suos condiscere soliti sint. b) Ut adeo omnis Literaturae melioris tantam populi vim ignaram esse, non possis non dolere; in primis, quod indolem, si modo cultura accedat, non minus sane ad quascumque artes et scientias condiscendum idoneam habet, quam aut Latini olim Graeciae habuerint, aut quaecumque hodie politarum gentium, habeat. Tantum de Graecis. Reliquos videamus.

XX. Scythas et Sarmatas, qui iam olim conuixere nostris, ut pro vna saepe gente accepti sint, c) *literatis* accensent Fasti Siculi, qui in Heraclio minore desunt. d) Et Herodotus, historiographorum vetustissimus, Scytharum *sapientiam*, exemplis etiam adductis, celebrat. e) Sed et Bastarnas, quos Getis confines vidimus, iidem Fasti literatos faciunt. Ut non *symbolis* modo, quod Clemens Alexandrinus de Scythis ex Pherecyde opinabatur, f) vsos fuisse videas. Sed quale id literarum genus fuerit, cum nullum eius aetatis monumentum superet, arbitrari nequeas. Si tamen ea, quae de Thracibus Getisque haecenus disputata sunt, in mentem reuocas, caractere eos quopiam, Graeco antiquissimo simili, vsos putabis. Id ex cippis, et pecunia, et coloniis Graecorum circa Pontum, in primis ad Olbiam, non admodum difficile arbitrari erit. Et, si mores maiorum, longo saeculorum decursu firmati, maxime quod Literas concernit, non possint breui in desuetudinem abire, quare non liceat in Sarmatarum caractere hodierno videre priscum? Graecus ille est, et, si MSS. consulimus, omnino vetustus; neque ab Cyrillo primum inuentus, sed quem is a maioribus acceperit: ortographia solummodo, fortasse, pro Sarmaticae linguae natura, emendata, paucisque eadem de causa.

a) Meminit eius Lambec. *Annales. Bibliot. Vindob. Lib. I Part. I p. 194 edit. Vind. 1766.* Item Schloetzer *H. S. p. 333 not. 5.*

b) Demtis, qui priuato id Marte didicissent, qualium opera haecenus non prodire. Raich profecto, quem ob conatus in historia suos magni facio, Latinis modo vsus est: nusquam enim graecum ab eo textum referri videas, cum id in primis facere debuisset.

c) Vid. huius Cap. num. V.

d) Apud Bayer. *Opuscul. ant. de Inscript. Pruss. p. 374, edit. Hal. 1770.*

e) *Lib. IV Histor. p. 237 edit. Lugd. 1715.*

f) *F. 567 ap. Bayer l. c.*

caussa literis adiunctis. Neque Anacharxis, Saulii Scytharum circa Borysthenem regis frater, quem Graeci suos inter sapientes retulere, aliam, Athenis in patriam reuersus, tulit Literaturam, nisi Graecam. a) Quantum vero haec apud Scythas incrementum fecerit, quis diuinabit? *Sapientiam* quidem Scythis palam tribuit Herodorus; quam tamen ego nonnisi *moralem* existimarim, ab Graecis iam ante Anacharxin acceptam; vt qui circa haec loca, mercatu potissimum inuitati, a prima inde aetate frequentes oberrabant: quod Bayerus, vir doctissimus, non vno monstrauit loco. b) Itaque ultra scribendi, legendiue, seu Graeco seu Scythico idiomate, leges, indigenas progressos non putarim; nisi quibus Athenas videre datum, aut si quis priuata cuiuspiam Graeci opera institutus foret. De Sarmatis idem censueris, qui cum Getis ac Scythis conuixerant, et ab iis doctiores domum redibant. Qui conuidus cum olim, antequam vis et auaritia et nefas inualuissent, hominesque adhuc iustitiam et simplicitatem colerent, multo frequentior, quam postea, fuerit, consensum etiam in scribendo maiorem fuisse facile arbitraberis: praesertim quod Romani quoque, et Armeni, et Galli, vt videbimus, non nisi *graece* olim scribere nouerint. De literatura Hunno-Scythica postea sermo recurret. Gallos videre liceat.

Hos, qui Caesaris de bello Gallico lustrauit commentarios, et Geographiam Strabonis, Graeca vsos literatura nemo dubitabit. Caesar de disciplina adolescentum apud Druidas agens, *Magnum ibi numerum versuum*, inquit, c) *ediscere dicuntur. Itaque nonnulli annos vicanos in disciplina permanent; neque fas esse existimant ea literis mandare, cum in reliquis fere rebus, publicis priuatisque rationibus, Graecis literis vtantur.* Adde locum alium, quo *tabulae, Graecis literis confectae*, in castris Heluetiorum, qui pars Gallorum erant, d) *repertae memorantur.* e) In quem locum haec eruditissimus Cellarius: „*Caracteribus Graecis, ait, sed lingua seu verbis Heluetiis.* Gallos enim barbaros ignaros sermonis Graeci fuisse, ex lib. V, 48 manifestum est, vbi ideo epistolam Caesar Graece scripsit, ne intercepta intelligeretur. Literarum autem figuram, quarum antiquitus videntur vsus ignorasse, f) sine dubio a Massiliensibus Graecis acceperunt. Adde

a) Vid. eumd. Bayer. de Anachar. in Memor. Scyth. ad Alex. Mag. p. 184. seq. vbi ait, Anacharxim Athenas vanisse 77 annis ante Darii in Scythas professionem.

b) In primis in Memor. Scyth. Dissert. de numo Rhod. De Venedis et Erid. cet.

c) Lib. VI bell. Gall. Cap. V n. 14 edit. Bassan. 1775.

d) Vid. Casaub. nott. ad Strab. Lib. IV p. 181.

e) Lib. I bell. Gall. Cap. XVI, n. 29.

f) Druidas quidem vix putarim. Nam si Pythagoras horum auditor erat, Gallos ante iam literas habuisse oportet. Quando autem primum vti coeperint, quis definiet? Eccur aeternus in Asia sit literarum vsus, non autem in Gallia? Forma sit postea cum moribus mutata.

de supra lib. I, 19, vbi Caesar cum Aeduis cultissimis Gallorum extra prouinciam per interpretem loquitur, quod non opus fuisset apud gnaros sermonis Graeci. "Haecenus e Caesare Cellarius. Strabonem audiamus. Is de antiquo Massiliensium studio in artibus, literisque agens, „ Quicunque sunt elegantiores ibi homines, *inquit*, ii se ad dicendum et philosophandum conferunt. Itaque vrbs ea paulo ante barbaris loco ludi literarii patefacta, tantum Graecarum literarum studium apud Gallos excitauit, vt contractuum quoque formulas Graece conscriberent. Et hodie nobilissimis etiam Romanorum persuasit, vt discendi studio pro Atheniensi peregrinatione, Massiliensem amplecterentur: quos cum viderent Galli, quia in pace viuunt, ipsi quoque lubentes ocium huic vitae instituto impendunt, non priuatim modo, sed et publice; nam et priuatim et publice a ciuitatibus, vt medici, ita etiam sophistae conducuntur." a) Non autem tum primum, cum Strabo haec scriptis mandaret, Gallos facere coepisse, id est, Graeco vti caractere, suadet Casaubonus in notis ad memoratum Strabonis locum. Certe Strabo id non adferuit. Sed, vtrum Galli, dum Illyricum peterent, hac scribendi ratione iam vsi fuerint, quaeri potest. Si Alexandrum, scriptorem Pythagoricum, audias, qui Pythagoram Gallorum quoque auditorem fuisse memorat, b) opinabere, Gallis olim iam hoc scripturae genus familiare fuisse, in primis, quod cum domestico veteri conueniebat. Itaque cum ii ad nos venissent, noui tulere nihil; vt qui iam ante non minus ac illi cum Graecis conuersati simus, caractere, Graeco perlimili, vsi: et ipsi varia fortuna, plerumque aduersa, iactati, literarum rationem exigua sane habuerint; praesertim, quod ne linguae quidem eorum apud nos vestigium existit. Domi vero Graecus scribendi modus perstiterit longo post tempore, dum Romanum cum imperio adoptassent.

XXI. Germanos, qui olim iam conuixere nobiscum, eadem, qua Gallos, literatura vsos fuisse arbitror. Etli enim Tacitus, in singulari de moribus Germanorum tractatu, scripsit, *Literarum secreta viros pariter ac feminas ignorasse*, c) quod de plebe eum dicere voluisse puto; tamen, cum *monumenta et tumulos quosdam, Graecis literis inscriptos, in confinio Germaniae Raetiaeque adhuc (sua aetate) exstare*, d) fama acceptum retulisset, quamquam ibi de Ulysses peregrinatione occurrat sermo, omnem Germanis literaturam demere noluisse videtur. Certe iis, penes quos summa rerum, aut cura sacrorum erat, nullam fuisse literarum notiam, mihi persuadere nequeo; in primis quod Bardos, in vicina prouincia scientias, maxime diuinas, tradentes, facile audire potuerunt: si eos aliunde literas accipere

a) Lib. IV Geogr. p. 181.

b) Cellar. nott. in Caesar. Lib. VI bell. Gall. Cap. V n. 14 p. 189 ed. cit.

c) Cap. 19 initio.

d) Cap. 3 fine.

accipere potuisse negamus. Quidquid porro sit de vltiora colentibus, oceanoque boreali propinquis a) (quamquam et huc penetrauerunt Graeci, Bayero teste) de vicinis maiorum nostrorum nihil dubitandum, praesertim *Bastarnis*, quos Fasti siculigenibus literatis palam accensent. b) Probant id caractères Gothorum, quos Graecis similes fuisse videmus; Gothos autem in Dacia, vnde in alias postea emigrare partes, e *Bastarnis* potissimum constitisse, supra memorauimus. c) Postea Romanis arma isthuc promouentibus, caracterem vna nobiscum adsumfere Latinum. Nihil autem literaturae Germanicae (quamquam in moribus multa nobiscum haberent communia) in prouincias nostras illatum censeo, ante hoc, quod viuimus, seculum; cuius circa dimidium graue incubere Germani, vt linquant patriam excolerent, artibusque et scientiis illustrem redderent, exteris etiam placitum. Ex quo factum, vt multi hodie nostrum prae Latina malint eruditionem captare Germanicam; in primis quod hoc Literarum genus in scholas quoque suas inuectum vident, eo cum profectu, vt pueri, qui ludos literarios adeunt, multa Germanico melius, quam patrio idioma efferre norint. Sed haec linguae Germanicae cultura, vti et patriae, apud nos in scholis publicis Grammaticam nondum excessit. Vt ii, quos cupido amoeniores literas, aut seueriores, condiscendi incessit, aut Latine eas discere, aut e libris, Germanicis, Gallicis, Italicis, priuato studio comparare, aut exteris petere prouincias, cogantur. Sed iam tempus est, vt ad Latinam demum Literaturam, veniamus, quam nostri magnam partem, cum vicinis omnibus, qui Graecos non sectantur, adsumfere.

XXII.

a) Cl. Schloezer ita de septentrionalium veteri literatura disserit, in primis a p. 595. vt Taciti sententiam presso pede secutus, omnem iis literarum vsum deneget, et Pannoniis quoque ante Romanorum aduentum, Paterculi loco non recte expenso. Cumque apud Strab. L. III. p. 139. νόμους ἑμμέτρους ἑξακισχιλίων ἑτῶν apud Turdetanos Hispaniae populum legisset, hoc tamen non obstante, Latinos ab Graecis, ceteros a Latinis in Europa literas omnes accepisse adserit. Illud vero, quod dicit se alicubi ἔπη pro ἑτη legisse, proba eget: equidem variantem hanc lectionem non reperio. Et Strabonis sententia ἑτῶν exigat; τῆς παλαιᾶς μνήμης ἔχουσι τὰ συγγράμματα, καὶ ποιήματα, καὶ νόμους ἑμμέτρους ἑξακισχιλίων ἑτῶν. Pone ἑτῶν. Quid significabit: *Antiquitatis monumenta habent conscripta, sc poezmata, et metris inclusas leges, sex millium carminum?* Et ὡς φασί nonne ad fidem vetustati ἑξακισχιλίων ἑτῶν conciliandam, additur? In eo quoque mirus, quod, cum Runas omnes dicit recentiores, & a Religione Chr. primum repertas, nec occasionem, nec tempus, nec auctorem, nec modum ostendit. Sed quis ignorat, hanc omnia negandi rationem inuentu admodum facilem, in primis in rebus a nostra aetate longius remotis?

b) Bayer Inscript. Pruss. p. 374. ed. cit.

c) Cap. VIII. n. 2. 5.

XXII. Latinos ab Graecis omnem Litaraturam mutuatos, ipsi Latinorum Scriptores fatentur. Sed qua occasione, quoue potissimum tempore, non perinde conveniunt. Plinius, vir multiplici eruditione insignis, enumeratis Graecorum literis, *quarum omnium*, inquit, *a) vis in nostris (Latinis) recognoscitur*. Memoratisque diuersis de inuentione earum sententiis, e siderum obseruationibus, quas Babilonii coëtilibus laterculis, aetate remotissima, inscribere solebant, infert: *Ex quo adparet, aeternum literarum vsum. In Latium eas attulere Pelasgi*. Clarius nonnihil, quamquam diuerse Tacitus: *In Italia Etrusci*, refert, *b) ab Corinthio Dumarato, Aborigines Arcade ab Euandro didicerunt: et forma literis Latinis, quae veterrimis Graecorum. Sed quoque paucae primum fuere: deinde additae sunt*. Euander in Italiam, Fauno hic regnante, adpulit annis ante excidium Troiae sexaginta. Pelasgi, ante Euandrum, e Thessalia in Epirum primo Dodonamque, inde in Italiam concessere, mixti Aboriginibus, qui ex Arcadia huc primum venerant. *c) Itaque si Aborigines iam ante Euandrum ex Arcadia huc migrauerunt, Literas quoque secum adferre poterant*. Si vero Pelasgi, vt Plinius adserit, eas in Latium tulere, nihil Euandro huiusmodi gloriae reliquerant. Vt videas, nihil e scriptoribus his hac de re certi elici posse. Fortasse quidpiam dicturi erant, si caracterum quoque, quos ab exteris adlatos meminere, aut numerum, aut figuram protulissent; ex quo quidpiam arbitrari poteramus: sed cum id seu sponte, seu inuiti reticuerint, nos de adferti sui fide dubitantes vltro misere. In primis, quod vterque scriptor Graecos characteres huc illatos existimat; cum tamen plura Italorum vetustissima sit videre elementa, quae cum Graecis, aequae vetustis, non penitus congruant. *d) Fortasse non minus recte cum Plinio dicturi essemus, ita aeternum Literarum vsum in Italia fuisse, vt in Babylone*. Equidem de Italis non aliud existimo dicendum, quam de Graecis huius initio capitis monstrarim; eos nimirum Literarum formas e campo Senaar secum in Italiam tulisse, paucas primum, quod & Tacitus dicebat, et adpellationem, primis dumtaxat syllabis, neque iis vbique paribus, retentis. Vtrumque peperit linguarum confusio, qua effectum est, vt quemadmodum alii, ita et nostri, alios e priscis reiicerent, alios vero pro linguae natura effingerent characteres. Horum autem nuncupationem breuitas suasisse videtur, cum eos alio longe, quam primigenium fuerit, idiomate loqui oporteret. Et quid, quaeso, aliud Plinius ipse dicere volebat, quam quod nos dicimus, cum ita fine septimi Libri scriberet: *Gentium consensus tacitus primus omnium conspirauit, vt Ionum literis vterentur. Veteres Graecas fuisse easdem pene, quae nunc sunt Latinae, indicio erit Delphica tabula antiqui aeris, quae est hodie in palatio, dono Principum*
Miner-

a) Lib. VII. H. N. Cap. 57.

b) Annal. Lib. XI. Cap. 14.

c) Vid. Petau. Rationar. Temp. Lib. I. Cap. XI. p. 45. ed. cit.

d) Vti Ω cum Λ , C cum Λ , K cum B, C cum K cet.

*Mineruae dicata in bibliotheca, cum inscriptione tali: Ναυσικράτης Τισαμένε ΑΨη-
ναίος ανέδεικεν. a) Quam ita signatam fuisse censeas: NAYSIKRATEIS TISAMENOY
AΘEINAIOS ANE@EIKEN. Omnes has, veteres vsurpauere Latini, Θ, K, Y,
demtis, quarum posteriores duae postea in Latium receptae sunt, priori per TH
expressa, idque in peregrinis dumtaxat vocibus. Ionum itaque Graecorum litteras,
si Plinium audis, vti antiquissimas, sic omnibus gentibus (in Europa citra du-
bium) communes fuisse putabis. Certe Ionum literae, quas nos e priscis monu-
mentis in tabella b) dedimus, et doctissimus Montfaucon luculenter exposuit, c) non
cum Latinis modo veteribus, sed cum Pannonicis etiam conueniunt. Vetustissimas
porro Latinorum literas, vti et Graecorum, sexdecim numero fuisse arbitror, sed
hoc ordine: ABCDEFILMNOPRSTV. quarum figuram in tabella d) vide. C
in Graecorum quoque numis pro Γ positum reperitur, e) rotunda pro angulari for-
ma. D litera eadem apud Graecos Latinosque figura in eodem monumentorum
genere compareret, ex angulari Δ in arcum sinuata. F apud Graecos pro senario
numero, cum Ϝ & ϝ adhibebatur, apud Aeoles obliquum E pro V consona. L
veteri forma Graecis quoque vsitata, Ionibus hac ipsa. P vetus cum Graeco veteri
eamdem habet figuram; hodie nostrum P Graeci Π, R autem Ρ scribere solent.
Tertium decimum elementum R in Graecorum numis, angulari situ; in Ionicis au-
tem monumentis ipsum R nostrum. S tam rotundum quam angulare vtrisque com-
mune, pro quo hodie Σ angulare malunt scribere Graeci. Postremum V est Y
Graecum, appendice rescissa. Caeterae autem Latinorum literae cum Graecis ex
asse conueniunt; retenta constanter a vetustissimis inde temporibus, ad nostram
hanc aetatem, figura vtriusque communi, si apices, si angulos, olim, situmque, &
barbarie vbique regnante, syrmata, demas; quae tamen non tam in maiori hoc,
de quo agimus, caractere, quam in minuto, addi consueuerant. Quod vero so-
num concernit literarum, cum hae sexdecim pro linguae Latinae natura non suffi-
cerent, quasdam ab Graecis postea mutuati sunt, veluti, H, Q, Z; quasdam ipsi
effinxere, quale G est. Et Z quidem in domesticis vocibus non egebant, prout
nec K, X, Y, et supra memoratum Q; vt qui Z per S, K per C, X per CS, vel
GS, Y per I, Q per CV efferre norint. K ex Latio expunctum penitus est, &
Z; H, Q, X retentum auctoritate Latinitatis aureae; apud multos Y quoque locum
habet, cum J pro I, U pro V, quae tria Latio veteri ignota fuere. C litera non
vnum apud veteres habebat sonum: nam ut K Graecum, & Z Italicum, et G ho-
diernum efferebatur. Itaque scribi solebat ad Spurii Coruillii liberti aetatem, qui*

P 2

C

a) Hist. Natur. Lib VII. Cap. 53.

b) Vid. Specim. Philol. p. 81.

c) Palaeogr. Graec. Lib. II. Cap. I, seqq.

d) Spec. Philol. l. c.

e) Vid. Froelich, Notit. Elem. Num. Tabell. ad p. 12.

C literae partem inferiorem paruo apice signare coepit, teste Plutarcho, a) vt formam nostri G adsumeret, qua postea Latini sunt in iis vñ syllabis, quae ab C distinctum haberent sonum. Q apud Graecos non litera, sed numeralis nota erat, 90 significans, qua Latini postea citra omnem profecto necessitatem, pro CV vñ fuere.

XXIII. Antequam de Literatura Romana in Illyrico agamus, diuersum scripturae Latinae genus monstrare, operae pretium existimo. Si Antiquarios, Grammaticosque nostros, qui his de rebus quidpiam scripsere, audias, duplicem scribendi modum iam a veteribus vsurpatum videbis. *Maiori* caractere, qualem haecenus descripsimus, in publicis monumentis vsos fuisse, tabulis, marmoribus, numis, & id genus instrumentis aliis, insculpendo. Atque hic, florente Republica, vtrumque vniformis erat, si binas literas nonnumquam, ternasue in se implexas, demas. *Minori* vero ad scribendum celerius, qualem fere nostrum censeo, vsos putaris: b) neque enim vllum super est eius aetatis monumentum, ex quo hunc scripturae modum elicere possemus. Non caruisse autem veteres hoc scribendi genere, partim ex eo, quod multum temporis formatio *maiuscularum* eriperet; partim quod *minutissime scriptos* veterum codices, praesertim copia maiori, quales Plini senioris erant, *Electorum commentarii centum sexaginta*, succiliuis dumtaxat a publico munere horis conscripti, c) vix, mea quidem sententia intellexeris, ni hoc, quem tractamus, caractere scriptos censeas. Adde, quod nostra haec scriptura quinto adhuc seculo, quamquam line elegantia, ordineque veteri comparet; quo tempore, cum barbarae gentes vniuersa miscerent, Artesque et scientiae concidissent, inuentam quis credat? Et quorsum syrmata ea literarum, caudaeque, illi cubitales et sesquipedales characteres, quae ab seculo pene sexto ad quintum decimum vsque, in Diplomatum praesertim comparent, reuocatis e sepulcro Musis, adeo repente disparuere? Equidem ita hac de re sentio. Viros illos doctos, qui Artes ac Scientias pristino vigori restituere conati sunt, Literas quoque non e putidis barbari aevi lacunis, sed ex aureae Latinitatis scriniis petisse. Quae si tibi non sufficiunt, fac experimentum ipse: sume quaspiam voces, easque antiquo Latinorum caractere, quem in tabellis habes, sed manu celeri, et literis connexis, describe; si non obtinebis scripturam cursiuam nostram? Ceterum, non id me quispiam hoc loco dicere

a) Noris. Ortogr. Lat. e Tab. Pisan. Tom. II. Ortogr. Cellar. p. 265. edit. Altenburg. 1769.

b) Doctiss. Mannhart. Bibl. Domest. Tom. III. Cap. II. admittit quidem secundum Maillonium triplex genus scripturae apud antiquos fuisse, sed *magnitudine* dumtaxat, non *figura* diuersum. Atqui vero non *triplex*, sed *vnun* id erit genus. Et vnde ille titulus in Tab. XII. *Alphabetum litterarum Romanarum, quae vsui fuerunt in diplomatum in iis a Carolo M. per plura secula?* Non sunt illae, caudis demtis, *cursivae nostrae?*

c) Vid. Plin. iun. Epist. ad Marcum, L. III. Ep. 5.

cere velle existimet, vt omnem scripturae elegantiam Antiquis tribui velim, nulla encomii parte nostris relicta. Laudem ego cuius tribuo: priscis inuentionem, nostris expolitionem. Ab seculo sexto decimo vsque hodie cum Literatura meliori, Typographia, et Chalcographia, scripturam quoque non ad perfectionem modo, sed elegantiam quoque singularem peruenisse. Literas et scripturam inuenerunt antiqui, expolieruntque; nostri mortuas suscitauerunt, lauerunt, auxerunt, candorem elegantiamque addiderunt. Typum et Chalcographiam hanc nostram prisci ignorauerunt; nostri et inuenere et excoluerunt. Sed ad propositum. Nostri hodie in typo duplici caractere minori vtuntur: *recto*, quem *Cicero antiquum*, si mediocris; si minutus, *Garmond antiquum*; si pinguior maiorque, *Romano antiquum*, vocant; sed et hae tres classes in suas diuiduntur partes. *Obliquo*, qui pro magnitudinis ratione, rursum triplex, vt prior est, & *Curfius* adpellari consuevit, quod eodem ad celerius scribendum vtitur. Nihil hic a priori differt, nisi in apicibus & situ. Ille subductas pedibus lineas habet, erectus, elegansque, sed morosior; hic tractu continuo, absque lineolis, parte superiori in dextram acclinis, formatur, vnus in communi scriptura, vt olim, sic et hodie vsurpatus. Maior autem caractere quem antiqui *Vncialem* dicebant, in epigraphis quidem tam sepulcralibus quam honorariis hodieque adhibetur: sed in libris non nisi titulos, et capita, et periodorum principia occupat; quamquam neque id constanter. Olim vero integros etiam codices, qualis Virgilii Mediceus, Evangeliorum & Theodosianus in bibliotheca Heribipolensi, hoc maiusculo caractere, quidni ornatus gratia? scriptos accepimus. Incredibile quippe est, quantam non veteres modo, sed et medii aevi homines, in libris melioris notae describendis, diligentiam adhibuerint, literis auro, argento, minio, notatis, in membranis, et saepe purpureis, addita et librorum initiis artificiosa et eleganti pictura. a) Quae res in libris, qui non scribuntur amplius, euiluit, quamquam non omni ex parte: successit enim ornamento huic chalcographia, ex qua pulcherrimae tabellae prodeunt, libris pro veteri pictura praefixae. Quod demum Orthographiam veterem, vt de hac etiam nonnihil dicamus, concernit, quantum vetustis docemur monumentis, non nisi puncta vsurpabant veteres, sed neque haec semper: nam crebro videre est, non voces modo, verum et incisa, plura simul, absque vlla distinctionis nota, poni. Ante aureum Latinitatis aeuum, vnum, idque literae in vocabulis postremae medio, plerumque post quamlibet vocem, punctum ponebatur. In vetustioribus, Graecis praesertim, nonnunquam tria comparent; duo numquam. Aeuo Ciceronis, cum Grammatica excoleretur, per *cola* doctiores coeperunt distinguere orationem, quod apud Graecos ante Demosthenes fecerunt.

a) Vid. Franc. Mannhart Op. cit. p. 75. seq. Tom. IV. Et D. Hieron. Praef. in Iob. „Habeant, qui volunt, veteres libros, vel in membranis purpureis auro argentoque descriptos; vel vncialibus, vt vulgo aiunt, literis, onera magis exarata, quam codices: dummodo mihi meisque permittant pauperes habere schedulas, et non tam pulcros codices quam emendatos.“ Ex quo etiam diuersitatem characteris antiqui videas.

fecerat, et vtrumque secutus D. Hieronymus. *a)* Primam dixere *subdistinctionem*, comma Graecis, puncto ima literae parte posito. Alteram *distinctionem mediam*, colon Graecis, nobis *media nota*, aut *duo puncta*, posito ad medium literae latus puncto. Tertiam *distinctionem vltimam*, alias punctum, hoc ad summum literae latus adfixo; prout hodie in Graecis, nostrum duo puncta. At haec de scriptura intelliguntur celeriori & minuta; in monumentis quippe antiquis, *maiori* caractere signatis, aut nullum id genus occurrit signum, aut aequabile; posito vel ima literae parte, vel media, raro summa, eiusmodi puncto. Vtrum autem virgulam, quod nos comma dicimus, veteres quoque cum duobus punctis vsurparint, deficientibus monumentis, terminari nequit. Quibus hodie interpungendi signis, quoue loco vtendum, post Aldum Manutium nostri docuere Grammatici. *b)* Videamus iam Latini sermonis & scientiarum apud Illyrios florem.

XXIV. Petere quidem Illyrios ante aureum Latinitatis aeuum Romani coepere, eos tamen non domuerant, antequam Tiberius Rempublicam capefferet; hic demum *Illyrios*, saepe ante tentatos, cum perdomuisset vniuersos, de iis triumphum habuit, quem exul Naso Tomis in Ponto eleganti cecinit versu. *c)* Hoc illud tempus erat, quo *Philosophia et omnes ingenuae disciplinae*, quas Romani, duce Ennio, e Graecia traduxere in Italiam, *d)* teste Cicerone quoque, *e)* mirum in modum effloruere in Latio. Id vel ex iis libris, qui in tanto rerum omnium naufragio ad nos peruenire poterant, intellexeris. Grammaticam, Poesim, Rhetoricam, Philosophiam, Mathesim, praecipuas quippe disciplinas, prae ceteris excultas, monumenta veterum loquuntur, quae plures scriptorum pluribus persecuti sunt. *f)* Sed qua id lingua (interpellet quis) Graecane, an Latina? Fortassis vtraque; Latina citra dubium. Qui enim artes in patriam inuexissent Romani, nisi patriae filiis Latine tradituri? Certe Cato, cum *ab adolescentia confecisse orationes* dicatur, *g)* Graecam autem ab Ennio primum, Praetura Africae defunctus, didicerit, *h)* praecepta Rhetorices a magistro latino accipere debuit. Grammaticam, qua scribendi legendique disciplina continetur, tam puto antiquam, quam literas; cetera Graecorum

a) Praef. ad transl. Isaiae Conf. Mannh. I. c. p. 66. seq.

b) Prae ceteris consule Ortogr. Cellar. a p. 131. ed. cit.

c) Lib. II. ex Pont. Eleg. 1.

d) Vid. Corn. Nep. *Caton.* cum nott. Cellar.

e) Lib. II. de Fin. Conf. Liu. Lib. XXXV. Cap. VIII.

f) Prae ceteris vid. Mannhart Bibliot. Dom. quam XII tomis complexus est. Tom. I. Lib. I. Cap. II, III, in primis.

g) Corn. Nep. in *Caton.* Cap. III. conf. nott. Cellar.

h) Cicer. de Senect. Cap. VIII, Conf. nott. Cellar. in *Nepot.* I. c.

corum addidit consortium, quod ipsum perquam verustum est. Poesim quod spectat, dicit quidem Lucretius: a)

*Ennius vt noster cecinit, qui primus amaeno
Detulit ex Helicone perenni fronde coronam
Per gentes Italas hominum, quae clara clueret.*

Quod de heroico carmine epicoque, vt nostri interpretantur, intelligi possit; sed nullum antea Latinum poematis genus fuisse, vix crediderim. Sane longe ante Ennium Poelis apud Graecos exulta erat, Italique cum Graecis conuersabantur, ab iisque disciplinas condiscabant, et Poetica vetustior est arte Oratoria, quam domi didicisse Catonem memorauimus. Quidquid tamen de hoc sit, sub aetatem Octauiani artium omnium et scientiarum domicilium Roma erat. Inde effusi postea thesauri in omnes pene, quas deuicerant, prouincias; quamquam non eodem passu. Mea hoc loco faciam doctissimi Mannharti verba: „Ex vrbe Romæ, inquit ille, tamquam centro, in prouincias, armis sub iugum missas, in Galliam, Hispaniam, et adiacentes insulas, ipsam denique in Germaniam (*adde Illyricum*) felicissimis auspiciis Literarum commercium inuexere, quamuis harum aliqua citius, aliquae serius illud admittere ac exercere coeperint.“ b) Pannonii quidem vniuersi, quibus iam ante Literatura non penitus ignota erat, et linguae suauitate, et disciplinarum amoenitate pellecti, eas ambabus, vt aiunt, vlnis recepere illico. *In omnibus autem Pannoniis*, scribit Paterculus, c) *non disciplinae tantummodo, sed linguae quoque notitia Romanae, plerisque etiam literarum vsus, et familiaris animorum erat exercitatio*, sub Tiberio scilicet, qui Pannonios Romanis parere iussit. „Plurimum quoque, *prosequitur Mannhartus*, ad scientiarum incrementum et splendorem contulit Christiana Religio. Quum enim haec sine literis et bonis artibus nec satis contra hostes suos se tueri, nec barbarie populis dominante, doctrinam suam latius propagare potuisset, Christiani Principes, & supremi Ecclesiae Praefules, vbi-que scholas, bibliothecas, academias, communi velut consilio, magnisque sumtibus erexerunt, ac maioribus dotarunt, in quibus postmodum omnes omnino artes atque scientiae domicilium fixere.“ Sed haec posteriora fuerunt; antiqua videamus. Postquam Academia spretis Athenis in Latium migrarat, vt Claudianus inquit, d) plurimi ex vniuerso orbe Romano adolescentum eo confluere, vt praeceptores bellarum artium audire possent. Hoc non sub Augusto modo, eiusque successoribus, verum etiam sub Vespasiano, Hadriano, in primis vero Christianis principibus Valenti-

a) *Rer. Natur. Lib. I. 118.*

b) *Mannhart. op. cit. L. I. Cap. I. p. 33.*

c) *Hist. Lib. II. Cap. CX.*

d) *Ap. Mannhart L. I. Cap. II. §. 12.*

lentiniano, Valente, Gratiano, ac Theodosio M. fiebat, qui vatos studiosae iuuentuti, Professoribusque fauores sunt elargiti, seu ex Italia essent illi, siue e prouinciis. Et ista quidem Romae. In prouincias Gymnasia Romani, seu Academas, intulisse non videntur; quod vnam Romam vti imperii sedem, sic et scientiarum domicilium, esse volebant. Grammaticos autem ludos vbique statim apertos, vel e Paterculo videas. Neque enim absque his lingua Latina bene condisci, neque literarum vsus haberi potuit. In primis, quod tam studiosi linguae suae erant Romani, vt Athenis, vbi antea ipsi Graece condiscebant artes, praeeperint Latine Graecam imbui iuuentutem. Legationes non alio praeterquam Latino sermone audiebantur, itaque responsa dabantur. Magistratus seu ciuiles seu militares non nisi Latinae linguae gnaris mandari. a) Ex quo factum, vt prouinciales, seu voluptate, seu commodo allesti, certatim Latinam condiscerent. Atque hoc in prouinciis patriae filii, apertis Grammaticalibus ludis, consequi poterant. Pro amoeniori, ac feueriori, vt dicimus, literatura, aut Romam eos proficisci, aut domi priuatim praecipit adsumere oportebat. Nisi forte, Imperatores, qui ex Illyricis partibus orti fuere, Gymnasia in patriam induxerint, in primis Sirmium, urbem non modo Imperatorum aliquot natalibus, verum et commoratione, et sede Praefecti Praetorio diuturniore, inclutam. Sed cum nusquam sit eiusmodi Gymnasiorum vestigia, praeter Romanum et Constantinopolitanum, reperire, b) hac de re quidpiam adferre nequimus. Et hoc in politicis quidem rebus. Apud sacerdotes non aequum factum censeas. In his enim plures, in primis ecclesiarum praesules, rerum diuinarum humanarumque peritissimos cum reperiamus, eos acceptam in Gymnasiis disciplinam, ecclesiasticae doctrinae iunxisse, cleroque sibi credito praelegisse, quominus censere valeamus, prohibet nihil. Et quid de monasteriis dicendum? Diuinis ii literis humanas addebant, vt vel ex D. Hieronymi docemur actis, adeo quidem, vt vastantibus omnia miscendibusque barbaris gentibus, ni bonae artes in hoc se asyllum recepissent, vniuersae prope periturae viderentur. Quid multis? Monumenta, quae in dies e tenebris in Dacia, Mylia, Pannonia, Illyrico, alibi, eruuntur, quantam patriae filii bellarum artium notitiam habuerint, palam eloquuntur. Neque vquam credo, prouincias Illyrici, Dal'matiam, Noricum, Pannoniam, etiam cum barbaris subessent, viris eruditus caruisse penitus; cum semper pastores, ecclesiae Romanae addictos habuerint, in qua scientiae, diuinae praesertim, inde a tempore Apostolorum, numquam desiere.

XXV.

a) Haec late exposita Vid. ap. Cl. Salag. Eccl. Pann. Lib. I. Cap. I. n. 17. seqq. sed quae de vernacula in Latinam mutata scribit, ad ea reposuimus non ita pridem.

b) Doctiff. Seuerini Pann. Illust. Lib. I. Cap. 13. p. 35. ex Disp. Iac. Zableri sub praefidio Prof. Schurzfleischii, scribit: *Floruerant in hac, dum eminebat, vrbe (Sirmii) artium studia, Mathefis praesertim; inde pertica Sirmii celebris est, apud rerum talium scriptores.* Quam ego Dissertationem cum non legerim, decernere nihil ausim.

XXV. Quamquam igitur heic Latinae linguae vsus apud indigenas quoque, ram in foro, quam in ecclesia, fuisse non modo concedo, verum etiam vltro adfero; neminem tamen fore cenfeo, qui putet ex eo, Illyrios vernaculi sermonis oblitos, arripuisse Latinum. Ad hoc enim iam ante respondi. Vsum dumtaxat Romani suae linguae in provinciis inducere volebant, quantum ea publica spectabat rerum negotia, intacto vulgari idiomate, velut hodie Germani faciunt. Id, si rem prosequamur, clarius intelligetis. Ante Hunnorum excursus pacata erant omnia. Attila Daciam tenuit ab Tibisco, nihil e provinciis Romanis amplius. Gotthi Daciam, Mysiam, postea Dalmatiam, Pannoniamque, sed nullam e toto. Gepidae Dalmatiam ne videre quidem. Longobardi partem Daciae et Pannoniae. Auares, imitati maiores suos, procuriones facere, praedas agere, pede fixo, nomadum instar, nusquam manere, per Daciae, Pannoniaeque agros sparsim degere, Dalmatiam ignorando. a) His ab Carolo M. fuis, quam omnia subito latina! Audi scriptores aetatis illius. Anonymus scriptor de conuersione Boioariorum et Carantanorum, b) agens de Richpaldo Archi-presbytero, sacra apud Pannonios procurante, in quae Slauam intulit Methodius, *Multum tempus*, ait, c) *ibi demoratus est* (Richpaldus) *exercens suum potestatiue officium, sicut illi licuit Archiepiscopus suus*, (Adalwinus) *vsque dum quidam Graecus, Methodius nomine, nouiter inuentis Sclauicis literis, linguam Latinam, doctrinamque Romanam, atque literas auctores Latinas philosophice superducens vilescere fecit cuncto populo ex parte Missas, et Euangelia, Ecclesiasticumque officium illorum, qui hoc Latine celebrauerunt*. Sexennio post, cum aduersatio haec ad Ioannem P. VIII delata esset, ita is ad Methodium: „Audimus etiam, *inquit*, d) quod Missas cantes in barbara, hoc est in Sclauina lingua; vnde iam literis nostris per Paulum episcopum Anconitanum tibi directis prohibuimus, ne in ea lingua sacra Missarum solennia celebrares; sed vel in Latina vel in Graeca lingua, sicut Ecclesia Dei toto terrarum orbe diffusa, et in omnibus gentibus dilatata, cantat.“ Alibi et ad vetustatem linguae Illyricae, et veterem latinae in sacris vsus, clarius Ioannes X epistola ad Croatarum Seruiorumque duces, in qua linguae Illyricae in sacris vsus, quem nuper quidam adsumferant, disuadet vehementer. „Quis enim ambigit, *inquiens*, e) Sclauinorum regna in primitiis Apostolorum et vniuersalis Ecclesiae esse commemorata, cum a cunabulis escam praedicationis Apostolicae Ecclesiae pereceperunt cum lacte fidei, sicut Saxones nouo tempore a nostro antecessore pie memoriae Gregorio Papa doctri-

nam

a) Vid. quae supra de Croatis differuimus Cap. VII. n. 21 — 42.

b) Finiuit libellum an. 873. Vid. Salag. Eccl. Pann. Lib. IV. fin.

c) Ibid. f. c. n. XXI.

d) Epist. XC. alias CXC. ap. Salag. Lib. IV. Eccl. Pann. Cap. VII. n. X.

e) Ap. eumd. Lib. II. Cap. VI. n. IX.

nam pariter, et literarum studia in ea videlicet lingua, in qua illorum mater Apostolica Ecclesia infulata manebat. " Ex quibus dictis tria nobis potissimum colligere licet. 1) Latinitatem Romae seculo adhuc nono fuisse commodam. 2) Vsum linguae Latinae per Illyricum, in sacris praesertim, non intercidisse. 3) Slavam gentem, id est, Illyricam, *inter primitias Apostolorum* relatam, linguam a Latina distinctam habuisse, eamque per octo iam secula fideliter vt vernaculam retinuisse. Mothodii porro doctrina, vti supra meminimus, cum ea in Pannoniis, terraque Iazygum, finem accepit. Apud Croatas Seruiosque, Graecis huc aduentantibus, ex parte persistit vsque hodie. At fuere Pontifici quoque morem gerentes, qui cum lingua ritam etiam Romanum in omnibus his prouinciis ad haec vsque tempora retinuerunt. Dalmatae profecto, et in Pannonia plures, nec linguam in sacris, nec ritum alium, praeter Latinum, inde ab Apostolis nouere. Ex quo factum, vt multi, inter quos Lucius, acri vir ingenio, et magna eruditione, cum omnia Latina maiorum acta viderent, linguam Latinam iis vernaculam sint arbitrati, non admodum lastrata vtriusque idiomatis natura ac vetustate. Seculo decimo Hungari venere, qui occupata Pannonia (quamquam non vniuersa) operaque sui protoregis D. Stephani fide Christiana suscepta, omnia rursus effecere Latina. Sed lingua ea, cum scholarum ratio saepe exigua esset, post SS. Stephani et Ladislai tempora ad Mathiam Coruinum vsque, misere habita est, copiosa barbarie partim iam ante, partim hoc temporis interuallo in eam illata. Sed ab hac aetate abstinere consulto, seu quod propiora nobis, explicatuque faciliora sunt, seu quod hanc prouinciam ante me occuparunt alii. a) Neque ego rei Literariae partes vniuersas hoc opere complecti volui, sed ostendere modo, quonam literarum genere vti adcolae Danubii; et, si Graecum aut Latinum subiinde accepere, vtrum idcirco suam loquendi rationem dediscere debuerint. In quo genere ita versati videmur nobis, vti nostros et ante Romanorum huc aduentum scribere sciuisse; et Latina lingua scripturaque recepta, eaque a septem ac decem seculis constanter, in maiore populi parte, retenta, suum loquendi modum, quem natura dedit, amilisse nunquam, clare ostendisse putemus. Atque haec de Latina apud nos literatura isthic quidem sufficiant. Hunno-Scythicam videamus. Nam, de Valachis, qui a Latinis origine sumta Latinorum quoque literis utebantur, antequam cum ritu characterem quoque adsumissent Graecanicum, dicere nihil ardet.

XXVI. Vtrum veteres Hunni vllas habuerint literas, multi nostrum dubitauere, alii negauere palam. Ego cum et adferentium, et dubitantium, negantiumque argumenta legissem, cupiebam quidem hac insigni laude Hungaros nostros minime frustratos; sed cum nihil certi neque ex Belio, b) neque Defericio, c) neque Wallaszkyo,

a) Cl. Paul. Wallaszky, *Conspect. Reip. Literar. in Hungar. ab initiis regni ad nostra vsque tempora.* Lips. 1785.

b) *Literatur. Hunno-Scythic.* Lips. 1718.

c) *Init. ac Maior. Hung. Lib. III. Cap. VII.*

lafzkyo, a) elicere possem, non dubitare modo de literarum vetustate, verum inter supposita aeuo recentiori opera numerare coepi. Arduum quidem videbatur, obniti tot doctissimorum et grauissimorum virorum auctoritati, qui suis dicuntur caracterem lustrasse oculis; sed cum id nullo firmarent exemplo, quod in tam controuersa re perquam necessarium erat, illud mihi Timonis identidem in auribus sonabat: b) *De literis Scythicis, apud Siculos repertis, multa legi, multa audiui, sed suspectae mihi fuerunt idcirco, quia quid illis notatum, quid expressum fuerit, nemo recensuit, nemo explicuit. Nihil certe adhuc ex illis discimus; et nescio, an vnquam quisquam ex illis (quid) in lucem prolaturus sit.* Mathias Bel e numis quibusdam literas Hunnorum probare visus est; sed eos numos Prayus reuocauit in dubium. c) Desericius inscriptionem quoque, apud Siculos loco Sz. Miklós repertam, in medium protulit; nihil tamen interpretatus est. Cl. Wallafzky cum hanc ipsam, tum plures alias in Transyluania repertas, et a Cel. Cornide feliciter expositas memorat; sed ne fragmentum quidem, cum maxime debebat, profert. Quid mihi supererat, nisi vt rem ignotam inter ignotas referrem; idque alphabetum, quod typis vulgatum erat, inter fictitia censerem; in primis quod ea exhibet literas copia, qualem veteribus notam vix credibile est. De inscriptione ramen aliud suboriebatur iudicium. Simplex literarum ductus. Ordo a dextra ad sinistram. Plurium in vnam literam connexio. Figura singularis, et punctorum vsus. Denique copia longe minor characterum, quam in alphabeto. Sed cum ipsi etiam characteres inscriptionis alium saepe situm, aliamue haberent formam, ne primam quidem vocem exprimendo eram. Duravi tamen, et pertinaciter labori coepto institi, integris diebus ad epigrapham haerendo, eiusque clauim quaerendo. Neque frustra labor improbus susceptus est. Haec enim demum sententia comparuit.

Vuni mast tögy-fo; s a van eo pinizurt, ecs. az eo it erdőbe: ma böt
Ianos, s böte Kovacs. Cfinal-ti, ma böas mastu, avagy mastu cfinaltas.

Hoc sunt literae ordine positae. Capis autem sententiam? Neque ego heic tibi dicam, vt insomnes agas noctes, prout ipse egi. Vellem autem scire, in quali haec epigrapha instrumento fuerit: neque enim Desericius memorat. Peticis Siculi dicisque characteres huiusmodi incidere solebant, vt Thuroczius, Zamofchius, d) aliique testantur. Sed vtum in baculo eodem? neque id significat Desericius. Quidquid de hoc sit, inscriptio mihi vetustissima videtur, seu dialectum linguae considerem, siue rationem scripturae. Et haec quidem a dextra cum procedat sinistram versus, asiaticam sui ostendit originem: neque enim vlla est europea natio, quae

Q q 2

hunc

a) Reipub. Liter. Part. I. Sect. I.

b) Epist. ad Petrum Apor. p. 2.

c) Dissert. ad Annal. Hunnor. IX. §. VII. Conf. Diss. IV. p. 61.

d) Olah, Atil. c. 18. §. 1.

hunc legendi haberet modum. Adde punctorum, et quatuor quidem, post quamlibet pene vocem, frequentiam, quae ipsa scripturae antiquitatem mire commendat; ut ex haecenus dictis colligere licet: certe, inscriptiones Graecae, tribus punctis notatae, qualis ea Atheniensis apud Montfaucon, a) inter vetustissimas referuntur. Sed et quamlibet interpungere vocem aetate hac recentiori non consueverunt; neque media, quam dicimus. Quod vero characterem concernit, is omnino singularis est, neque ulli magis, quam Graeco veteri, in plerisque adfinis. b) De a, e, i, l, r, nullum dubium. d, g, m, o, p, t, u, v, verte ad dextram aut imam partem, literas obtinebis nostras. Ceterae quoque in Graecis comparent, sed valore alio. c) Hoc scribendi genere vsos in patria sua Hunnos ab antiquissimis inde temporibus, idque apud cognatos eorum hodieum superesse, censeas. d) Ceterum in epigrapha, quam prae manibus habemus, pauciores comparent literae, quam in vulgatis haecenus alphabetis. Non hic Belianum *tz, gy, j, ly, ny, ö, r* minus, *sz, ty, ü, cxs* seu *zs*, videre est. Molles videlicet consonae, et diphthongi, seculo primum sextodecimo distingui coepere, et ea, qua hodie utimur, orthographia, ante Tsésium non erat; e) ad cuius aetatem has etiam literas Scythico alphabeto adiectas existimes: nisi id ante iam Telegdi Ioannes, in suis *priscae Hunnorum linguae Rudimentis* f) praestiterit. Eo igitur antiquiorem hanc epigrapham putes, quo paucioribus absolvitur literis. Sed quam antiquam? Nemo facile definiuerit. Si dialectum consideras linguae, si non vetustior, certe supparem Pofoniensi illi orationi, in funeribus dici solitae, facile dixeris. Neque enim hesternum est *vuni* pro *vané*, *fo* pro *fa*, *pinizört* pro *pénizért*, *böt* pro *vött*, *csinal-ti* pro *tsinalj te*, *böas* pro *vehes*, cetera. Quamquam et has voces, cuiuscumque demum aetatis eae sint, non putem sic, uti nos haec Latinis expressimus literis, prolatas, certe non ab omnibus; sed ad nostrum propius modum, qui hanc sententiam ita diceremus:

Vané

a) Palaeogr. Graec. Lib. II. p. 135. ed. Paris. 1703.

b) Cl. Math. Bel. in Liter. Hum. Scyth. characterem alphabeti sui ad Hebraicum Arabicum et Samaritanum referre conatus est; qui tamen ab caractere huius nostrae inscriptionis mire abluunt; maiores pene vices passi, quam hic Scythicus.

c) In Runis Septentrion. quasdam videas. Vid. praeter alios Schlöz. p. 209. 595.

d) Quod si verum est, Ibericae literae, ut Bayer inquit p. 378. quas prussicis veteribus (p. 371.) similes facit, quae longe sunt ab nostris diuersae, vulgatae per *populos Scythicos, Alanicos, Geticos*, vsque in extremum orientem penetrasse, vix dici poterunt.

e) Vid. Praef. Typogr. ad leñor. Dictionar. Paris-Pápai. Tyrn. 1762. in cuius Dictionarii sine Orthographiae leges breuiter sed eximie proponuntur.

f) Ap. Wallaszky Op. memør. Proleg. init.

Vané most tölgy-fa? 's ha van jó pénzért, és a' jó itt erdőhöz? ma vett János, 's vette Kováts. tfinálj-te, ma vehets mástul, avagy mástul tfináltafs. a)

Daturne nunc quernum lignum? et si est bono (leui) precio, et ad bonam isthic siluam? hodie emit

Ioannes, et Faber. Vide tu, hodie possis ab aliquo emere, aut id per alium fieri facito.

Atque hoc est, quod Thurocius dicere volebat, dum scriberet: b) *Hi (Siculi) nondum Scythicis literis obliti, eisdem non encausti et papyri ministerio, sed in haculorum excisionis artificio dicarum instar vtuntur.* Et Nicolaus Olahus: c) „Ad explicandam, inquit, animi sui sententiam ac voluntatem quotidianam, praeter usum papyri et atramenti, aut characteris aliarum linguarum, notas, quasdam bacillis ligneis incidunt, aliquid inter se significantes: quibus ita incilis, apud amicos et vicinos, vice nuntii epistolae vtuntur.“ Id vnicum doleas, quod in obliuionem abierit modus, quo ii characteres suos nuncupare consueuerint: neque enim id Belius docuit, neque alius quisquam eorum, quos equidem hac de re differentes legerim.

XXVII. Vfus Literaturae huius etsi adducta Religione Christiana non modicum accisus est; tamen, vt non illico gentili superstitioni valedictum, ita hunc scribendi modum diu viguisse oportuit. Quin imo., cum preces etiam Christianae iis exaratae literis dicantur, d) earum usum pluribus locis et hodie superesse putes. Ceterum Latinus character iam initio susceptae Religionis receptus fuit, vt nos MSS. quae supersunt, docere valent; et hodie quidem hic vnus Hungariam colentibus innotuit. Ante renatas meliores literas cum ceteris etiam Hungarica squalabat lingua, adeo, vt non pauci ex ipsis fuerint Hungaris, qui non modo ante septem octoue secula, verum ante duo triaue, alium longe Hungaris loquendi modum tribuant, idque ortographiae causa: e) non considerantes, ortographiae Hungaricae leges nostrorum parentum memoria primum stabilitas, antea vagas, et inconstantes, pro scribarum genio et libidine, vt eadem saepe litera, vocalis praesertim, plures habuerit sonos: ex quo lectio scripturae nobis hodie difficilis adparet. Quod

fi

a) Gyarmathi Sam. in sua Grammatica, P. I. p. 6, haec aliter legit. Quis nostrum propius vero accesserit, iudicabunt alii. Nobis hi characteres eiusdem aetatis cum Glagoliticis esse videntur. Certe nullum vetus scriptum his exaratum comparuit.

b) Chron. Hung. Lib. I. Cap. vlt.

c) In Attila Cap. 18.

d) Ap. Wallasz. Liter. Reip. Sect. I. § 9. p. 47.

e) Vti Cl. Sajnovics in sua Demonstr. lingu. Lappon. initio.

fi vagae huiusmodi scribendi rationi nostram substituimus, nonne omnia statim, non ut Lapponica quaedam, *a)* sed Hungarica, quantumvis ea vetusta sint, comparent? Satis id clare monstravit in sua de Lapponica lingua Demonstratione Cl. Sajnovics, qui recitato sermone illo funebri, cuius et Praius, *b)* et Koller, *c)* meminere, cum paucos Hungaros eum Hungaricum didicuros monuisset antea, *Vt autem*, inquit, *d)* haec vere Vngarica esse intelligantur, clauim subiicio a R. P. Francisco Fuludi e S. I. concinnatam, in quo pauculae solum voces occurrent, quae cum hodierna dialecto nostra minus facile conciliari posse videntur. Si praeterea in ea oratione cum nostra dialecto conciliari possunt, qui dialectus alia saeculo tertio decimo, quam hodie sit, fuisse dicitur? Quaeuis pene Hungariae provincia suas quaspian phrasas, suos eloquendi modos, sua habet vocabula, num id circo totidem in lingua Hungara *varietates*? Sed retine, absque clauis, verba orationis, uti sunt, eique nostram substitute orthographiam, nonne facile omnia intellecturus es? Accipiamus, pro specimine, sermonis partem.

I.

Latriatuc feleyim zumtuchel mic vogyunk. ysa pur es chomuu nogyunc. menyi milostben terumteue eleue mi isemucut adamut. es odutta neki paradysumut bozoa. es mend paradysumben volou gimlicictul munda neki elnye. heon tilutoa wt ig fa gimilcetul.

Si quis est nostrum, qui orationem nostra scribendi ratione factam, intellecturus non est? Et tamen ad verbum ea comparet, quemadmodum loco priore. Sed videmus *milosztben* et *paraditsomben*. Non secus, ac illi fortasse risuri erant *malasztban*, *paraditsomban*, cum utraque vox peregrina sit, et *miloszt* gratiam Slauis, non *malaszt* nuncupent. Quid si autem Slauus erat aut Italus sacerdos, non optime Hungaricae linguae peritus, mirabimur eos tum *ben* pro *han* dixisse, quod nostra quoque aetate fieri ipse saepe sum expertus? Promiscue vero *u* pro *ö*, *o*, *u*, *ü*;

II.

Látjátok feleim szömtökkel mik vogyunk. ízem por és hamu vagyunk. menyi *milosztben* terömté élö mi isemünköt Adámot. és odatta neki paraditsomot hazóá. és mind *paraditsomben* való gyümölkítöklö mondá neki élnie. *chon* tiltá ötet egy fa gyümölkösetöl.

a) Quod volebat Cl. Sajnovich in Demonst. cit. in qua Hungarorum et Lapponum idem esse idioma *demonstratum* ibat, philosophice magis quam historice; nihil enim ibi praeter *analogiam* vocum quarundam adferri videas. Quae argumentandi ratio si in his valeret, quam facile, omnium gentium linguas ex Hebraea deriuare possemus!

b) Vit. S. Margat. Virg. p. 249. not. A.

c) Episc. Quinqueecl. P. I. p. 414.

d) Demonst. p. 5.

ü; i pro ü et i; y pro i; ch pro k, h; u pro v; (hanc enim figuram in paruo caractere ignoravit ea aetas) sumi quid mirum, si in ipso caractere Scythico varietas huiusmodi compareret? Latinae literae non erant sufficientes pro linguae Hungaricae natura. Ad haec grammaticae leges nullae; nullus praeterquam in sacris, et is saepe per interpretem, vsus linguae, Latina in reliquis, eaque insigniter depravata, obtinente. Quid igitur ab ea desideramus aetate? Vtinam plura nobis suo idiomate scripta reliquissent monumenta, orthographiam illis grammaticosue errores facile persuri eramus. Ceterum, ut nullae tum fixae erant scribendi leges, ita alius alio ut erat in scientiis et lingua peritior, Hungarice quoque seu quoad stilum, siue orthographiam, scripsit melius. Quid in vita D. Margaritae, praeter vocabula quaedam peregrina, non Hungaricum est? Proferamus exemplum. a)

I.

Mykoron ez zent zuz, zent Margit
 azzon tmmar volna tyz eztendeus. az eu
 zuleynek es Praedicator zerzetbely Frate-
 reknek nagy tyztes tarfoslagyval, es vele
 meg marado jo sororoknak tarfoslagaval,
 Bezprimmeul Zent Katerina azzonnak cla-
 stromabol valtoztatek, hozattatek az cla-
 stromban, melyet az eu zuley az Duna-
 nak zygeteben, mely zyget az ideteul
 fogva nevezteteeek zuz Marianak zygete-
 nek, — elseu fundamentomatul epehtenek.

II.

Mikoron ez szent szüz, szent Margit
 aszszony immár volna tíz eztendős; az ő
 szüleinek, és Praedicator szerzet-béli Fra-
 tereknek nagy tisztes tárfoságival, és vele
 meg-maradó jó sororoknak tárfoságával,
 Veszprimből Szent Katalin aszszonynak
 klastromából változtaték, hozattaték a' kla-
 stromban, mellyet az ő szülei a' Dunának
 szigetében (melly sziget az időtől-fogva ne-
 vezteték szüz-Mária-szigetének) — első
 fundamentomátúl építének.

Dicit quidem eruditissimus Pray: b) *Exemplar apographum, quod mihi prae manibus est, et characterum ductu, et chartae natura, suspicor esse seculi XV, ac non nihil ab autographo forte etiam stilo differre. Sed cum paullo ante meminerit, auctorem vitae MS. ad obitum beatae Margaritae c) proxime accedere, atque e stili ratione virum religiosi ordinis, ac fortasse Praedicatorum fuisse; ostendi nequit, descriptorem seculi quinti decimi quidquam in stilo mutasse: in primis, quod religioni sibi ducebant viri illi pii in huiusmodi rebus mutare aliquid; stili autem aequabilitas eundem auctorem, orthographia diuersos scribas, ostendit. Cum enim*

a) Pag. 255.

b) Dissert. praen. §. VIII. p. 249.

c) Obiit ea an. 1271, 18. Ianuar. ibid. §. IV p. 229.

enim in octo prioribus foliis, saepe *i* patriis vocibus mediis, admodum raro *y* punctis notatum compareat; a pagina 269 *i* abesse, *y* creberrime notari: omitti a p. 286. rursus, ab 313 rursus notari. Quamquam, si eam consideramus aetatem, haec orthographiae inconstantia nihil officit, quominus vitam ab eodem viro descriptam dicamus. Virum autem pro ea aetate oppido eruditum esse oportuit, et linguae patriae imprimis peritum: ut qui et nitidam habeat elocutionem, imperfectis verborum praesertim; et, accentibus demtis, nostro pene scribendi modo vtatur. Si nobis MS. codicem videre licuisset, plura forsitan ex eo notaturi eramus: neque enim typis nostris MSS. exprimi possunt.

Quodsi igitur codex hic MS. ad initium seculi quarti decimi, vti nos suspicamur, compositus ac descriptus est, vsus linguae Hungaricae veterem, eumque nostro aequalem, eximie seruauit nobis. Si ad XV seculum et stili et orthographiae rationem refers, quid tum? non magnam aetate illa, cum naturalis linguae simplicitas vigeret, etiam seculo mutationem sermo acceperit; et sunt eiusdem aevi monumenta, ab hoc nostro MS. et orthographia et stilo abludentia. Quis enim crederet hoc itidem XV seculi scriptum esse? a)

Een Sipos Petor Dobo uram o Nagfaga* jobagia adom tuttara az kiknok illik mindeneknok. Mivoil hoig az Urifston vili Petorth maradeck necoil az vilaigboil ki voitthojo sei fia, sei Leania nom maradot, anakokaert Zelemery Mikloifne afzoniom eis Zelemery Miklois uram mindon mairhiait eil veven tulojo az felesgetol hotha uttan ur Zamara foiglalvan, miut magua jakatnak zoleil az verois Harafston eil viven. cet.

En Sípos Péter Dobó uram ó Nagysága jobbágya, adom tuttára a' kiknek illik mindeneknek. Mivel hogy az Ur Ifsten Vili Pétert maradék nélkül a' világból kivettője (*ki vette, vévén*) se fia se leánya nem maradott; annak okáért Szeleméry Miklósne afzszonyom és Szeleméry Miklós uram minden marháit el-vévén tölője a' feleségétől holta után, ur számára foglalván, mint maga javaknak szöleit a vörös Harászton el-vévén.

Quis diceret, si orthographiae rationem spectas, eiusdem haec bina scripta aetatis esse? Sermo tamen utrobique nonne Hungarus? Videlicet, omnis difficultas circa lectionem scripturae veteris est; substitue orthographiam nostram, et omnem hanc, quanta est, difficultatem dissipabis. Atque haec de Hungarorum literatura vetustiori. Scientiis postliminio reuocatis, typoque reperto, non vltimam adsumfere eorum Hungari in patrio idiomate percolendo, Grammaticis legibus, seculo iam sextodecimo, in vulgus editis. Accessere Chronologi, Historici, Theologi. Haec nostra

a) Dissert. ad Annal. Hunnor. Auar. et Hung. Dissert. V. §. II. p. 92 not.

nostra aetate Poetas quoque et Philosophos audire licet. Ceteras artes bellas desideramus. Scripturae porro latinae ratio eadem apud Hungaros erat, quae apud alios, quaeque e Diplomatibus repeti potest. Sed ea apud nos est Diplomaticae conditio, ut nisi originalia ipsa consulas, nihil de scriptura veteri censere possis: neque enim vel unum e tot veteribus MSS. maiorum nostrorum aeri incisum videre licet. a) Sed iam Gothos lustremus.

XXVIII. Gothos cum parte maiori e Bastarnis, Dacorum vicinis, coaluisse arbitremur, Bastarnas autem Falsi Siculi gentibus literatis accenseant, Graeca, uti vicinis, literarum forma usus putaris, quod hanc in Europa vetustissimam ostendimus. Certe, si scripturam eorum, ab seculo V in Italiam quoque inuectam, consideramus, Graecas ibi omnes pene videbimus literas, quibus ii antiquissimis iam temporibus usi fuerint. Noui, vulgo ferri, Viphilam Gothici characteris inuentorem; sic enim cum aliis Mannhart: *A seculo V inualuerunt literae Gothicae, dictae Toletanae; has inuenit Viphila Gothorum episcopus Arianus, qui circa annum Christi 375 -- vixit, sacraque biblia in Gothicam linguam transtulit, iisdem signata literis.* b) Sed cum character hic, ipso fatente Mannharto, sit Graecus maximam partem, nisi circa orthographiam aliquid emendarit, inuentorem certe non magis, quam Cyrellum Russici, dicere poterimus. Aut fortasse, quia primus Euangelia (haec enim dumtaxat superare dicuntur) in Gothicum idioma vertit, hoc literarum genere usus, idcirco earum inuentor nuncupatus fuerit. Characteris huius usum in Hispania viguisse ad seculum vsque XII ajunt, et frequentissimum etiam apud alias nationes fuisse in codicibus, praesertim Euangeliorum, et adorum in Conciliis (lingua Latina) ita, ut eiusmodi scripti codices ad mille annorum, et ultra, aetatem adscendant. In provinciis Illyriorum, si e lapidum inscriptionibus arbitrari liceat, non magna huius characteris ratio habita est, Latina constanter obtinente. c) Hodie nusquam Gothicae scripturae vestigia, praeterquam apud Graeci ritus Illyrios, qui plures literas eo prorsus modo hodieque notant; d) ut vel inde videas, Gothos olim Sarmatis fuisse vicinos.

De

a) De Literatura Hung. a D. Stephani temporibus egit, quantum satis est, Cl. Wallaszky op. cit. Catalagos scriptorum dedere plures, inter quos praecipuus est Alexius Horanyi e Scholis Piis, de quo vid. Wallaszky Proleg. in Remp. Liter. p. 23. n. 26.

b) Biblioth. Dom. Tom. IV. Lib. III. Cap. III. p. 80.

c) In Bononiensi Pann. oppid. inscriptione E, in Quinqueeccles. B, occurrunt litterae, ceteris Romano ritu incisae. De illa nos agemus in Itin. Pannon. de hac vid. Cl. Salag. Eccl. Pann. Lib. IV Cap. II p. 285.

d) Vti est A, B, Γ, E, Λ, cet.

De Gepidis, qui pars Gothorum erant, idem censueris. Vsi scriptura confanguineorum, cum per Illyriorum terras neque late admodum neque diu sedes haberint, in literatura Latina, apud indigenas iam vigente, aut parum, aut nihil mutationis induxerint.

Qui hos secuti in Pannonia sunt, Daciaque Iazygum, Longobardi, cum essent e Germanorum stirpe, Graeco et ipsi caractere olim fuerint vsi; adsumto postea Latino: qui ab medio sexti seculi dictus est *Longobardicus*, a) non alia censo de causa, nisi, quod hoc nomine Romanas tenuere prouincias. In hac scriptura id singulare videas, quod in ea literae minores, quas *cursumas* diximus, quasue Romani ad celeriter scribendum adhibebant, clare exprimuntur. Qui caracter, cum non modo ad seculum X, verum et postea; vt e MSS. eruere licet, durarit ad inuentam vsque typographiam, scripturamque pristino vigori restitutam, censi debet, non seculo primum sexto aut quinto, sed iam olim, inuentus: in primis, quod e Graeco caractere minuto etiam quasdam exhibet literas, quae hac aetate antiquiores videantur. Vt adeo nihil Longobardi, ceterique barbarorum omnes, veteri Literaturae dederint, praeter nomen, et non minimam saepe corruptionem.

Auares, quod ex Hunnorum genere fuisse putantur, horum etiam scribendi ratione, (siqua tamen erat) de qua paullo ante memoratum, vsi fuerint.

Sub Francis, qui regno Auarum posuere finem, etsi artes quaedam et scientiae in Galliis effloerere; ad nos praeter famam vix quidquam penetrarit. Restitutum vero sacerdotium sacras saltem his in prouinciis literas curarit: in publicis enim politicisque rerum negotiis omnia more veteri, Latina scilicet lingua, peragebantur.

His ea sub Methodio literarum successit mutatio, quae neque vbiuis recepta; neque durauit diu; in politicis vero ne locum quidem, certe ante Hungarorum aduentum, habuit.

Apud hos autem omnia Latine tractata nouimus, more scilicet veteri, adeo quidem, vt in patriam quoque linguam Latinus adsumeretur scribendi modus; vti ex haecenus dictis facile collegeris. Mitto Slauos, Bulgaros, Croatas, de quibus supra, quantum satis erat, differuimus; qui cum patriae fuerint filii, latinum caracterem non deseruere, praeter eos, qui Graecam ecclesiam sequi maluere, adoptato Gyrillico scribendi modo, quem ad hanc vsque aetatem retinent. Id imprimis singulare est, quod nostra etiam dicta confirmare videatur, nullius exterae gentis, quotquot per cultas Illyriorum prouincias vagatae sint, grassataeque, superesse monumentum, propria lingua notatum; vt non immerito, non auorum modo memoria,

a) Vid. Mannhart op. cit. Lib. III. p. 32.

moria, sed hac etiam aetate, multi dubitarint, cuius eae gentes linguae fuerint. Scilicet, etsi barbarae hae gentes, id est, ab Romanis Graecisue distinctae, fuerint; non tamen ea moribus quoque inerat barbaries, certe apud eos, qui rerum summam tenuere, ut Rempublicam, haec olim ab Romanis optime constitutam, saepe in mentem non reuocarint. Quos ut imitarentur, Literaturam, in his rebus maxime necessariam, pro virili retinere; seu, quod id ratio has prouincias administrandi exposceret, seu quod maiorem in nostra gente literarum cultum, quam in sua, experirentur; seu quod vsus literaturae Latinae in omnibus pene prouinciis, quas obtinere Romani, per tot secula firmatus eliminari non debuit, nec facile potuit. Ex quo factum, ut, cum omnia Latine tractarentur, adeo pauca, gentili idiomate scripta, ad nos peruenerint. Apud Hungaros vetustissima est, quod sciam, oratio illa funebris, seculi tertii decimi, de qua supra meminimus; cuius primam fere aetatem vel ipsa ostendit orthographiae ratio, quae paullo post, uti vidimus, emendata erat. Ad hoc usque tempus ducenti effluxere anni, quibus Hungari haec dominationem habuere; neque tamen Hungarice quidquam, sed Latine, omnia et Graece nonnumquam, signata comparent. Atque hae erant praecipuae gentes, quarum singularem oportebat in literatura facere mentionem. Succedant reliquae.

XXIX. Turcae, qui Illyriorum partem magnam et hodie tenent, cum essent Hungaris vicini, a) eorum quoque scribendi modo vsi fuerint, antequam armis in Saracenos versis, Orienteque occupato, b) Mahumetis Alcoranum recepissent. Ex eo autem tempore, abiecta veteri literatura, Arabicam, qua fuit Alcoranus, c) a pseudopropheta conscriptus, adsumfere. Vnde vero suas Arabes sumserint literas, adpellatio earum ostendit. Quod ut clarius videri possit, adducam nomina Hebraeorum, Arabum, et Turcarum, ut simul adpareat, quid hi pristino literarum numero, pro linguae natura, addiderint.

I.	II.	III.	IV.
Aleph	Alef, Elif	Elif	A, e, i, ū, spir. len.
Beth	Be	Be	B
—	—	Pe	P
—	Te	Te	T
—	The	Thse	Cz hung.
Gimel	Gim	Gsim	dzs hung. cx illyr.

Rr 2

a) Vid. supra C. VI. n. 5.

b) An. Chr. 1045. vid. Hist. Eccl. Berti Part. II. p. 35.

c) كورآن kur-án, القرآن el-kur-an, hic liber lectionis. Conf. Berti Hist. Eccl. Breuiar. Part. I. p. 384. not. k.

—	—	Cim	Cs hung.
Cheth	Hha	Hha	H ex imo pectore.
Caph	Cha	Chy	Kh hung.
Daleth	Dal	Dal	D
Dfain	Dhal	Dfal	Dz hung.
Resch	Re	Re	R
—	Zain	Ze, zejn	Z hung.
—	—	Je Gall.	Zs hung. x illyr.
Samech	Sin	Sin	Sz hung.
Schin	Schin	Schin	Sch germ. f hung. sh illyr.
—	Sad	Sad	Sz fz hung. ff germ.
Zade	Zad	Zad	Zz hung.
Tav	Tta	Ty, thy	Th hung.
—	Dtha	Zy	Zz hung.
Ain	Aain	Ajn	Á, é, o guttur.
—	Ghain	Ghain	G hung. illyr.
Pe	Fe	Fe	F
Cuph	Kaf	Kaf	K
—	Kjef	Kjef	ty hung. ch illyr. fere
—	—	Nun	N final. gall. nasal.
—	—	Ghief	Gy hung. fere
Lamed	Lam	Lam	L
Mem	Mim	Mim	M
Nun	Nun	Nun	N
Vav	Vav	Waw	V hung.
He	He	He	H
Jodh	Je	Je	J hung.

Triginta tres heic literas recenseri videas; cum Arabes octo et viginti, Hebraei duas et viginti habeant. Quod si formam earum consideras, cum pleraeque punctis modo distinguantur, has arbitrare originarias:

ا, ب, ج, د, ه, و, ز, ح, ط, ع, ف, ك, ل, م, ن, و, ه, ح, ك
 a, b, g, d, r, f, z, t, e, f, k, l, m, n, v, h, j

Sunt

Sunt hae finales, praecedente non adnexa; vt initiales obtineas, deme caudas. Atque hae septemdecim figura differunt; ex quibus reliquae, punctorum additione, confunt, quas posterior aetas inuenerit. Antiquitatem characteris ex elementorum numero colligas, quae sunt quinque peuciora, quam apud Hebraeos. Accedit illud, quod non Arabes modo, sed et Syri, et Persae, populi nimirum fines campi Sennar occupantes, eodem scribendi modo vtuntur. Originem porro denominatio litterarum, quae Hebraea est, in vulgarem non nihil detorta, ostendit. Sed et forma characteris hebraici, si apices et ornamenta demas (quod in scriptura celeriori necessum est) facile cum Arabico in vna sede morabuntur; et nostri hodie Hebraei plerasque in scribendo literas Arabicis similes expriment. Vt adeo singularem haec scriptura commendationem mereatur, eo praesertim, quod Hebraeorum, Graecorum, Latinorum, aliorum veterum, pictae tantum et maiusculae ad nos peruenerunt literae, Arabicae vero scriptae; vt in his antiquissimum celeriter scribendi modum intueri liceat. Nae et nostrae, quibus vtimur hodie, et sint veteres usi, literae cursivae ex Arabicis originem habebunt! Numeri certe et hodie Arabici dicuntur; literas vero nonnullas paulisper inflecte, partem laeuam dextrorsum, imam sursum; si non habebis, quod dicimus? Ceterum Turcae ab Arabibus praeter scripturam et Alcoranum, et non exiguam vocabulorum copiam, scientiarum nihil acceperunt; neque ad nos tulere quidquam, praeter barbariem, et patriae vastitatem. Neque reliquere his in locis praeterea quidquam, nisi quosdam numos suo caractere notatos, quaedam item covabula apud eos, quibuscum versati sunt, et misetabilem sui memoriam. a) Iam de Iudaeis.

XXX. Iudaei in prouinciis nostris degentes, triplici vtuntur litterarum forma, veteri maiuscula in monumentis, librorumque titulis; mediocri in typo, quae partim Rabina, partim Germano-hebraica est, vt inter se parum diuersae, ita cum veteri similes; cursiva demum in scriptura celeri, quae rursus alia Rabinorum est, Germano-hebraeorum alia, parum ab se distinctae, Arabicis multum adfines; quibus ii non in hebraeo tantum idiomate, verum et in Germanico saepe vtuntur; in quam rem nonnullas veteri alphabeto addidere literas. De vetustate characteris Hebraici, huius iam capitis initio differuimus. Scribunt a dextra sinistram versus more veteri. Vti multa peregrina vocabula, Germanica praesertim, sic et interpunctiones, vt comma, (nam punctum vetus est) adoptauerunt. Ceterum tam in scriptura, quam typo, seu hebraica id notatum sit lingua, seu Germanica, consonantibus plerumque, absque vocalium punctis signatorum auxilio, vtuntur more maiorum, quod apud Rabinos in primis obseruare licet. Exempli causa:

מִיָּן קִיְנֵר וּוְעַן דִּיךְ דִּיא זִינְדֵר אִיבֵר רִידֵן.
reden über Sünder die dich wenn Kind Mein

Vbi

a) Tollius in suo itinere quasdam epigraphas templorum adfert, quarum ego in scriptis nostratium nulla comperio vestigia.

Vbi vides vnum *jodh* pro omnibus pene vocalibus, in primis pro *i, e, v*-surpari, punctis penitus omisiss. *a)* Qua de re cum plures tractarint, vberius commentari non libet. *b)* Id vnum memorare iuuerit, nostros Hebraeos cum lingua literarum etiam nomina corrupisse. Sic enim expriment, *Oleph, Bes, Gimmel, Doles, He, Vov, Sojen, Ches, Thes, Jud jus, Coff, Lamech, Mem, Nun, Samech, Ajen, Phe, Zadik, Kuff, Res, Schin, Tov.*

Armeni supersunt. Hi praeter linguam singularem suam etiam scribendi genus habent. Olim quidem Perficis Graecisque literis, teste Mose Chorenensi, eorum historico, *c)* vsi fuere in domesticis etiam rebus lingua vulgari conscribendis; postea tamen in vnam peculiarem scripturam consensere, quam vsque hodie retinent. Quando autem hoc primum caractere vti coeperint, arbitror definitum non posse. Scribit quidem Chorenensis, Miesrobum quemdam, ante secretarium Varasdati et Arfacis IV regum, *d)* postea monachum, id literarum genus tertio post Christum natum seculo reperisse, narratque rei actae ordinem vniuersum. *e)* Sed cum ea oratio de Miesrobo τὸν θεὸν ἀπὸ μηχανῆς aduocet, cum dicit, *Miesrobo visum videre animi cogitatione manum inscribere lapidi omnes literarum formas copulationesque Armenicae scripturae*, inuentio illa mihi quidem fabulosa esse videtur; in primis, quod huius literaturae vestigia alibi comperiuntur. Ductus characteris, apices, et litus idem pene in Aethiopico, etsi in plerisque valore mutato; similis quoque literarum nuncupatio, ordine dumtaxat mutato et numero ampliore. Non vna praeterea est litera, quae ad Aegyptiacum alphabetum reuocari possit. Id et Bayerus, vir doctissimus, obseruauit, et, vt Armenicarum cum Ibericis, Graecisque literis (veteribus) cognatio adpareat, in tabulis exhibuit, *f)* postquam innuisset, sibi videri, Armenicas ex Ibericis, has e Graecis (quae cum Aegyptiacis conueniunt) deriuatas esse. Et id quidem per Colchos fieri potuit, quos ex Aegypto venisse antiqui perhibent scriptores. Herodotus, *φαίνονται ἔόντες*, inquit, *g)* *οἱ Κόλχοι Λιγύπτιοι, κούσας δὲ πρότερον αὐτός, ἢ ἀκχάσας λέγω.* *Colchi videntur Aegyptii*

a) Ceterum vocales numerantur *κ-a; γ-u, o; ι-i, e; γ-e.* Saepe tamen sunt promiscuae.

b) Vid. in comp. Wol-eingerich. Buchdruck. a p. 145. edit. Norimb. 1733.

c) Scripsit medio V seculo tres libros Hist. Arm. lingua armenica. Vid. Jücher Lexic. Conf. Bayer Inscript. Pruss. p. 377.

d) Arfaces regnare coepit an. Ch. 223, quem Artabanus IV frater, Armeniae rex, regem constituit. Hoc an. 226. ab Artaxare Persa occiso, Armeniae regnum desit. Vid. Fröhl. Num. p. 212.

e) Vid. Bayer. Inscr. Pruss. p. 277. seq.

f) Tab. 29. Fig. VI ad Inscr. dict. vid. ib. p. 379.

g) Ap. Bayer. l. c. p. 379.

ptii esse; id dico, quod iudicio quodam meo et sensu animaduerti, prius quam ab aliis idem referri accepi. Dionyllus item Periegetes: a)

Πὰρ δὲ μυχὸν Πόντου, μετὰ χθόνα Τυνδαριδάων
Κόλχοι ναϊτάσσι, μετήμυδες Αἰγύπτιοιο.

*Ad intimum Ponti recessum, post terram Tyndaridarum
Colchi degunt, colonia Aegypti.*

Hi ex Eegypto literas tulerint secum, easque inter vicinos cum artibus propagarint adeo, vt Armenii, antea Graeco Arabicoque vli caractere, adsumta Religione Christiana, quo magis ethnicos mores execrarentur, hanc vnam adoptarent scripturam, b) additis quibusdam pro linguae ratione, literis, etiam minus necessariis.

Mitto Marcomanos, Quadosue nobis partem vicinos, partem cohabitantes, qui eodem cum ceteris olim caractere vli, heic se adcommodarint filiis patriae. Eae quidem, quas Hrabanus Maurus Marcomanicas dicit, c) singulates literae sunt, si paucas e Latino sumtas exceperis; verum cum ea gens *Nordmanni* alias dicantur, in Saxonibus quaerendi, d) et caracter maiori ex parte *Runico* (ita septentrionalium veterem appellant) conueniat, neque vlla ipsius vestigia, praeterquam in Hunno-Scythico, e) apud nos comperiantur, heic vberiozem iis locum dare operae pretium non esse censeo. Ludouicus Schloezer vbi longum e D. Ihre de Runis disseruit, ambiguos omittit vltimum lectores de origine illarum. Cumque ex Valazquezio Runas et in Hispania repertas memorasset, f) easque in tabella cum aliis g) collatas expressisset, olimque in Europa vniuersa commune hoc scribendi genus aut simile esse debuisset, adfirmasset, denique, quod nullas historias hoc caractere scriptas reperit, Septentrionalibus quidem omnem literaturam ante Christianae religionis tempora denegat, et seculo primum septimo admittit, ita, vt ante, in *saxis* dumtaxat id genus caracteres notarint, scribere autem eo primum seculo coeperint; non recordatus, neque Germanos inferiores, qui eodem caractere vli dicuntur, quidquam, ne in *saxis* quidem, signatum posteritati transmisisse. Verum haec meminisse satis esto.

Reli-

a) Verf. 688. ap. Bayer. l. c.

b) Fauet huic et modus scribendi a laeua ad dextram.

c) Vid. Tabul. ad p. 595.

d) Ibid. pag. 605. seqq.

e) Conueniunt a, h, i, r, ü, cum f, t cum q, zs cum y. cet.

f) Pag. 616. Histor. Septembr.


g) Vulgaribus et Helsingianis p. 209.

Reliqui adhuc essent Epirotæ et Zingari. Illi, cum essent vicini Graecis, eorum scribendi ratione vsi sunt, vel numis testantibus; hodie quoque Ritus Graecos secuti graece scribunt; ceteri Latine, qui Romanam colunt Ecclesiam. Ultra Grammaticam progressi nondum sunt, vtpote scholis, in quibus lingua sua artes traderentur, carentes. Quas idcirco Latine aut Germanice, his in partibus vna cum ceteris, quas memorauimus, gentibus, addiscere coguntur. Zingari, vti artium fabrilium omnis generis musicaeque amantissimi sunt, ita literas nullas nouere, sed neque nostras condiscere curant. Ritus sacros pro varietate locorum sectantes, nihil minus quam constantem habitationem, fixam religionem, et literarum studia persequuntur.

S O L I D E O G L O R I A .



CONSPECTVS OPERIS.



C A P V T I.

Istri memoria vetus.

	Pagina.
Homerus Istri adcolas canit, sed fluuii non meminit	1 - 4
Herodotus Istrum singulari describit calamo	— - 5
Posteriores amnem in Adriam effluere falso tradiderunt	— - 6
Strabo errorem dedocuit primus	7 - 8
Istri fontes	— - 9

C A P V T II.

Variâ Istri nomina, eorumque etymologia.

Nomen fluminis vetustissimum Ister	— - 11
Ab Thira Thracum patre forsitan ortum	12 - 15
Danubii vocabulum ab Caesare proditum, ad fontes	— - 16
Posteriorum quidam Danusim dixere	17 - 18

C A P V T III.

In Istro memoratu digna.

Offia fluminis describuntur	19 - 22
Insulae et paludes ad offia	23 - 25
Pons Darii, in Scythas proficiscentis	26 - 27
Pons in Danubio Traiani	28 - 34
Pons ad Aquinum Valent iniani	— - 35

	Pagina.
Fontes Istrici	35 - 37
Pisces in flumine	38 - 41

C A P V T I V.

Offia fluuiorum in Istrum labentium, et huius magnitudo.

Istara, Guntia, Licus, Vindo, Nabus, Reginus, Isargus	42
Aenus, Anafus	43
Isis, Arlope, Marus, Arabo	44
Cufus, Granua, Drauus	45
Valdafus, Tibiscus	46
Sauus	47
Margus seu Margis	48
Mofchius, Apus, Pingus, Timachus	49
Ratiaris, Ciabrus, Augustus	50
Oescus, Vtus, Tiarantus, Escamus, Ieterus seu Iatrus	51
Ordissus, Naparis, Ararus s. Seretus, Prutus	52
Ister magnitudine Nilo secundus	53
Vniuerso defluxu obtinet MDCLXXXII. M. P.	54 - 55
Latitudo & profunditas eius	56
Insulae et cataractae	57

C A P V T V.

Populi Istrum adcolentes indigenae.

Thracae Homero memorati	58 - 59
Myli eidem noti	60
Getae Herodoti	61
Daci	62
Sarmatae, Iazyges	63
Gens Dacica ad fontes vsque Istrici	64 - 69
Dextro fluminis latere Myli, Dardani, Brygae	70 - 73
Dardanus cum Thracibus ex Europa migravit in Asiam	73 - 75
Pacones in Thracia ad Peneum vsque	76 - 79
Dardani, Mysique latuere diu, sub Geris, Odrysis, Triballis	80
Scythae quando ad Istrum venerint	81
Scordisci, Thracum genus	82 - 83

	Pagina.
Haemi adcolae Plinii	— - 83
Ab Sauro Pannonii, Norici, Vindelici, dexto flum. latere	— - 85
In austrum Rhaeti, Veneti, Carni, Istri, Liburni, Dalmatae, Illyrii ..	85 - 92

C A P V T VI.

Populi circa Istrum aduenae.

Graeci, Scythae, Sarmatae	— - 93
Celtae, Boii, Thufci	94 - 97
Galli per Illyricum & Thraciam	98 - 100
Romani	— - 101
Gothi, Gepidae, Vandali, Longobardi, Heruli, cet.	102 - 103
Hunni, Auares, Hungari	103 - 104
Turcae, Tatari	— - 104
Slauī, Antae, Vinidi, e Sarmatis et Thracibus; vti	105 - 107
Serbi, Bulgari, Vendi; item	— - 108
Socci, Bunyevci, Dalmatae, Bosnii, Croatae, cet.	— - 109
Aduenae praeterea, Iudaei, Armeni, Arnautae, Zingari, indigenis mixti. —	— - 110

C A P V T VII.

Istri adcolarum indigenarum loquendi ratio.

Thracēs et Sarmatae linguae Slauicae dialectis vfi	111 - 118
Getae nec erant Graeci, nec Latini	— - 119
Antiqua Thracum vocabula origine Slaua	120 - 122
Valachi complures Geticas voces adoptauere	— - 123
Idem fecere Hungari	124 - 125
Daci, Getae, Thracum lingua vfi	126 - 128
Thracēs hodie RACI, Myli, Dardani Thracum progenies	128 - 129
Illyrii Threiciae originis	130 - 134
Dalmatae, Liburni, Iapodes, Istri, Carni, Veneti, Rhaeti, Norici, Vin- delici, stirpis Illyricae.	134 - 136
Duplex Slauae linguae dialectus, Sarmatica et Thracia. Ad illam Ruffi, Poloni, Bohemi spectant; ad hanc Illyrii vniuersi. Specimen dia- lecti Rufficae et Illyricae;	136 - 140
Dialecti Polonicae, Bohemicae	— - 141
Bulgari Illyrice loquuntur	142 - 143

	Pagina.
Serbi, Bosnii itidem, quorum hi elegantia dialecti eminent	— - 144
Slauonii, Croatae, Carni, lingua Illyriis cognati	145 - 146
Specimen linguae Carniolanae	147 - 151
Causa duplicis Slavae linguae classis ab antiquitate repetitur	152 - 153
Illyricae dialecti amplitudo.. .. .	— - 154
Slavi ad Istrum, quinto sextove seculo memorati, sunt Getarum Daco- rumue posteri, vti Bulgari Mysorum Thracumue	155 - 159
Croatae, Carantani, sunt in patria sua autochthones, Illyriorum consan- guinei	160 - 199
Porphyrogenetae loca de aduentu Croatarum in Dalmatiam excutiuntur.	199 - 206
Croatice nominis origo	207 - 211
De Serbis, eorumque Zachlumis, Paganis, Terbuniotis, Canalitis, Dio- cletianis, Arentanis	212 - 216
Serbli Triballorum Dardanorumque posteri	216 - 218

C A P V T VIII.

Aduenarum apud Thracas loquendi ratio.

Sermo Graecorum, a quibus non pauca mutuati Illyrii.. .. .	219 - 221
Scythae ad Istrum Germani & Sarmatae	— - 222
Celtae e Germanis Gallisue confistebant, olim iam excisi	222 - 224
Ex Romanis orti Valachi, vt ostendit sermo et nuncupatio	225 - 229
Gothi e Bafternis orti, Germanice loquebantur, specimen linguae	230 - 232
Hunnorum sermonis nullum indicium. E Geticis tamen vocibus, quas longo cum iis vsu adoptauere, non pauca erui possent	233 - 234
Hungari sermone vtuntur profus singulari.. .. .	235 - 236
Turcae, Tatarique, natura linguae ab Hungaris diuersi	237 - 242
Sermo Albanensium peculiaris	243 - 244
Lingua Hebraeorum	245 - 248
Armeniorum idioma ab Hebraeo, Persico, Turcico, Hungaro diuersum.	248 - 250
Ab his omnibus Zingarorum sermo distinctus	250 - 253

C A P V T IX.

De Istri adcolarum literatura.

Scripturae apud Europeos origo, et ratio.. .. .	254 - 257
Rhythmi et Hymni vetustissimum canendi genus	— - 258

Thra-

Thracēs literarum non ignari	259 - 261
Vates Threiciī, Orpheus, Musaeus, Thamyris, antiquissimi;	262 - 265
Aeō Auguſti, Phaedrus, Cotys, Naſo	266 - 270
Ab Romanorum iſtūc aduentu, pars Illyriorum potior veterem carac- terem in Latinum flexit, quo et hodie vtitur; Serbis, qui orienta- les ſequuntur ritus, Graecum uſurpantibus	271 - 276
Tabella Literarū Serbicae	— - 275
Caracter Glagoliticus vetuſtate Romana caret	277 - 278
Lingua in maiori praefertim gente, qualis Threicia, non mutari, exem- plis probatur.. .. .	279 - 281
Ratio ortographiae apud Illyrios, Latino caractere uſos	282 - 285
Illyrii, dominantibus Romanis, auitum ſermonem retinere, eſſi Latino in publicis uſi	286 - 288
D. Hieronymus, natione et patria Illyrius, idioma Latinum a praecepto- ribus didicit.. .. .	289 - 292
Aduenarum apud Illyrios Literatura, ut Graecorum, Scytharum, Baſter- narum, Gallorum, Germanorum	293 - 297
Literatura Latinorum	298 - 302
In prouinciis Illyrici	302 - 304
Lingua tamen popularis, cum viciffitudine temporum ac Literarum, perſtitit integra	305 - 306
Literatura Hungarorum	307 - 312
Literatura Gothorum	— - 313
— — Gepidarum, Longobardorum, cet.	— - 314
— — Turcarum	315 - 316
— — Iudaeorum	— - 317
— — Armenorum	— - 318
— — Marcomanorum, Quadorum, cet.	— - 319
— — Epirotarum, et Zingaror.	— - 320



ERRATA.


CORRIGE.

Pag.	linea.				
1	- 22. v. 238	338.
3	- 30. seposito	seposito
ib.	- 31. Ισρα	Ισρα
10	- 23. accidebant	accidebat
13	- 10. συγκοπή	συγκοπή
15	- 4. obludens	abludens
18	- 22. sunt	promant
19	- vlt. C. XIII	C. XXIII
22	- 4. Scylax	Anonymus
ib.	- 8. quem Scylacem diximus	dele
ib.	- 13. Scylacis	Anonymi
28	- 10. pontem integrum	adde, prope
ib.	- 33. Chr. 140	331
31	- 12. lucus	locus
ib.	- vlt. patte	parte
36	- 13. et 25 mill.	feu 25 mill.
48	- 16. Illiriis	Illyriis
41	- 21. quipem	quidem
47	- 30. persequitur.	persequitur,
51	- 7. non extat.	Conf. p. 28. not. a.
ib.	- 31. p. 178.	Num. Vet. Locus Asiae.
ib.	- 37. g)	e)
54	- 18. lapioem	lapidem
56	- 34. constntes	constantes
57	- 5. scribit;	scribit,
58	- 31. L. VIII	L. VII
ib.	- ib. 303. 563	303. XII, 553
61	- 28. adde: tempore Mithridatis Istriani	ad Tiram quoque, ex Perip. Anon.
62	- 34. Herodo	Herodoto
65	- 17. Plini	Plinii
69	- 2. faciati	fociati
71	- 25. Phygas	Phrygas
73	- 10. Μακεδονία	Μακεδονία
ib.	- 21. τόπους	τόπους
74	- 25. Rhefut	Rhesus
75	- 3. δια	δια
78	- 15. perhibente;	perhibente,
82	- 21. gallorum	Gallorum
84	- 17. μέσην	μέσην
86	- 8. Haec	Hoc
96	- 4. καταλαβόντες	καταλαβόντες
99	- 1. Ι)	a)
102	- 28. confidens	confidens,
103	- 23. filli	fili
105	- 36. Bubits	Pubits.

ERRATA.

CORRIGE.

Pag.	linea.			
116	- 29.	Cap. V n. XXIII	Cap. VI n. 6.
117	- 32.	Cap. V n. 23.	Cap. VI n. 6.
122	- 10.	Βοι βίβιας	Βοιβεβίβιας
126	- 10.	δ' εἶσιν	εἶσιν
129	- 9.	vocabulo;	vocabulo,
ib.	- 30.	ἀγγεμάχους	ἀγγεμάχους
ib.	- 39.	Hierocl.	Hierocl.
130	-	imitati	imitati
132	- 24.	nesciant	nesciat
ib.	- 25.	nolint	nolit
133	- 5.	ἐπιπέμονται	ἐπιπέμονται
ib.	- 6.	Σαγμαται	Σάγμαται
ib.	- 34.	carpatis	Carpatis
134	- 6.	vetorum	veterum
152	- 20.	confunderat	confuderat
ib.	- 21.	proximae	proxime
154	- 16.	fzviefl	fzviest
158	- 23.	barbarorum	barbararum
160	- 4.	per se ipfa	se ipfa
164	- 23.	matae	dele
174	- 23.	societate	societatem
178	- 17.	dicuntur	dicuntur.
183	- 21.	auadentes	euadentes. "
211	- 29.	principis	adde, diplomate.
215	- 20.	valebit!	valebit.
245	17.	obstat	facit
248	- 32.	ebtinebat	obtinebat
251	- 11.	hi metanastas	illi
252	- 16.	nsta	usta
256	- 6.	tulisse;	adde, dicamus
262	- 18.	focer	facer
264	- 6.	coi	oi
270	- 1.	Noc	Non
278	- 25.	ostendam	dele
279	- 4.	ΚΡΑΛΑ	ΚΡΑΛΑ
280	- 6.	libris	libros
288	- 26.	patabit	putabit.
297	- 6.	constitiffie	constitiffie
ib.	- 10.	linguam	linguam.
299	- 17.	mostrum	nostrum
304	- 38.	eminebai	eminebat
311	-	tmmar	immar
319	-	singulates	singulares



Nagyszéchenyi
tanári könyvtár
M. K. T. Állami főgymnázium



0,07